9

Digitized by Google

Digitized by Google

EXAMEN
PRINCIPIORUM
FIDEI.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

Per

ADRIANUM & PETRUM de WALENBURCH,

BATAVOS:

Illum Epiſcopum Adrianopolitanum, Suffraganeum Colonienſem, Eccleſiæ Metropolitanæ Canonicum. Hunc Epiſcopum Myſienſem, Suffraganeum Moguntinum Pro-Vicarium Generalem, &c.

BIBL. DOM. PROF. ROM. IHS

COLONIÆ,

Apud WILHELMUM FRIESSEM,

cIɔ Iɔc LXIV.

Digitized by Google

CENSURA ORDINARII.

E*Xamen Principiorum fidei per Reverendiſſimos & Perilluſtres D D.* Adrianum & Petrum de Walenburch, *&c. olim editum, & nunc auctius typis committendum, viſis Doctorum virorum judiciis, tutò publicari poterit. Coloniæ,* 16 *Dec.* 1663.

Ferdinandus Strobelius, S. T. D.
Metrop. Colon. Eccleſ. Presbyter Can. &
Cenſor Librorum Ordinarius.

E*Xamina quatuor, ex quibus duo priora ſunt de Principiis fidei Adverſariorum, tertium de principiis fidei Catholicæ; quartum de Principio communi, & Appendicem de triplici ratione credendi, à Reverendiſſimis ac Perilluſtribus Dominis* Adriano & Petro de Walenburch, *&c. formata, attentè perlegi, nec quicpiam in illis orthodoxæ fidei vel bonis moribus contrarium, ab ipſis aſſertum inveni: Sed potiùs omnia verè, Catholicè, Solidè, Doctèque, & contra trium opponentium partim frivolas objectiones, partim indecentes calumnias ſingulari cum modeſtia ita propoſita eſſe exiſtimo: ut Adverſariorum fidei Principiorum falſitas, ac injuſta ab Eccleſia Catholica Romana defectio, Solidum autem & certum Chriſtianæ fidei Principium, omnibus veræ fidei, & Salutis amantibus, in illis demonſtrentur. In quorum fidem & teſtimonium hæc dedi in Conventu noſtro FF. Minorum Recollectorum S. Franciſci. Coloniæ, 14 Decemb.* 1663.

F. Bernardinus Vetweis,
SS. Theologiæ Lector Jubilatus.

Digitized by Google

Beatiſſimo Patri

ALEXANDRO PAPÆ VII,

ADRIANUS & PETRUS de WALENBURCH S.

COnvenit ea, quæ ad pacem Eccleſiæ faciunt, ei deferre, quem magna pars Orbis Chriſtiani diſſolvendis exterminandiſque diſſidiis agnoſcit Mediatorem. Majora Beatitudini tuæ oblata ſunt à viris maximis, qui ex agro Eccleſiæ collegerunt abundantiam frugum: Sed nihil impedit quo minùs & nos cum paupere Ruth (Ruth. 2. 2.) colligamus ſpicas, quæ fugerint manus metentium. Collegerunt alii copiam olivarum; licet quod in arboribus relictum eſt (Deut. 24. 20.) advenis & pauperibus deputatum cenſere. Poſt vindemiam ſuam magnam quique fidei defenſores vino abundant generoſo: fas nobis eſt (Deuter. 24. 21.) remanentes colligere racemos, ut debilium ſuccurramus infirmitati, nam qui & noviſſimus evigilat (Eccl. 33. 16. 17.) in benedictione Domini replet torcular. Damus pauperibus quod ſuum eſt; quis invideat? Adverſarii noſtri præ faſtidio reſpuunt panem filiorum; offerimus micas, quæ cadunt de menſa Domini. Non eſt puſillorum cibus qui ſolidus eſt: abundantior oliva non convenit inquietis: nec hi, nec illi, ferunt ſanguinem uvæ meraciſſimum. Hac de cauſâ, quæ per multos ſunt diſcuſſa, examinata, diſſipata; ad pauca reducimus principia, oſtendentes, nihil ab adverſariis unanimiter poni, cui ſolidè inſiſtunt. Cùmque diſputandum non ſit contra negantem principia, quoniam id fruſtra fiat: monſtramus ab adverſariis ex privata determinatione ea poni, in quibus deſit prora & puppis: Scripturaſque eos recipere, ſine certa lege, pro cujuſcunque interpretatas arbitrio; atque adeò determinati fixique nihil. In noſtris ea dicimus, quæ communibus Scholæ

Digitized by Google

opinionibus congruunt, quæque à communibus placidis diſcrepant. Secernimus inter dogma Catholicum, ſemper ubique & ab omnibus tenendum; & ea quæ ad faſtigium tantæ dignitatis non aſcendunt;ut faciliùs internoſcantur articuli contra adverſarios fidei noſtræ defendendi. Hoc an aſſecuti ſimus judicabit Beatitudo tua; judicabunt Catholici, ſed carpent & vellicabunt adverſarii,quibus nihil moleſtius accidit, quàm errores ſuos in propriis principiis refutatos aſpicere; licèt etiam inter ipſos ſint, qui hoc examen bono affectu avidè expectent. Quod quidem debito citiùs publicamus, tum ut ſub auſpiciis Beatitudinis tuæ lucem aſpiciat; tum ut contradicentibus adverſariis, nobis ſupereſſe poſſit reſpondendi locus. Non munus offerimus Beatitudini tuæ, Sed reddimus debitum; debitores ſumus ob ſingularem ergà nos affectum ſæpe teſtatum, quem quoties recogitamus, totiès majoris debiti agnitione confundimur. Et hæc quidem ſcribebamus ante annos ſeptendecim, dum Examen principiorum fidei Beatitudini tuæ inſcribebamus. Interim, ex Adverſariis communis fidei, inventi ſunt, qui hinc inde nonnulla vellicarent, Joannes Coccejus Lugduni Batavorum. Joannes Muſæus Jenæ, Fridericus Spanhemius Heidelbergæ Illis dum occurrimus, excreſcit tractatus; & occaſio probetur quædam apertiùs proponendi. Hinc quæ priore editione tractabantur, particularibus controverſiis, omiſimus; futurum ſperantes, ut Deus vires & otium præbeat, eaſdem poſthac pleniùs exhibendi. Precamur Beatitudini tuæ proſperam & pacificam in Eccleſia Dei præſidentiam. Coloniæ. 9. Decemb. 1663.

IN-

Digitized by Google

INTRODUCTIO.

I. CUm in Part. 1. Meth. Auguſt. *poneremus principia; unde tàm Lutherani & Reformati, quàm Catholici judicarent deſumendas eſſe articulorum controverſorum probationes; putavimus, ex iis utrimque ſuppoſitis inſtituendum eſſe particularium controverſiarum examen, ne ipſis principiis in controverſiam deductis, longior eſſet veritatis indagandæ, inveniendæque ratio.*

II. *Verùm quia adverſarii noſtri conſueverunt innocentiſſima quæque in malam partem rapere; neque prædictum inſtitutum noſtrum à ſiniſtris ipſorum interpretationibus fuit immune: quæ tamen ſponte ſuâ concident, ubi viderint, hoc noſtro tractatu utriuſque partis examinari principia.*

III. *Principium igitur eſt propoſitio immediata, quâ non eſt altera prior. Hæc autem tripliciter dicitur:* 1. *Dignitas, quæ eſt communis animi notio, conceptio, ſeu maxima, ex propriis terminis adeò per ſe nota, ut ei neceſſe ſit omnem qui docetur aſſentiri: v.g. quòd affirmatio & negatio non ſint ſimul vera de eodem; quorum contrarium ſibi nullus perſuadet, etiamſi id ore profiteatur.* 2. *Poſitio eſt indemonſtrabilis propoſitio ſecundùm ſe; ſed ei non eſt neceſſe, ut qui docetur præbeat aſſenſum: licèt enim immediata ſit ſecundùm ſe, tamen ejus termini non ſunt ita noti, ut ab omnibus concedantur: v.g. quòd omnes anguli recti ſunt æquales.* 3. *Suppoſitio eſt illa propoſitio, quæ in ſcientia, cui quis incumbit, præſupponitur; probatur tamen per principia alterius ſcientiæ: v.g. à puncto ad punctum contingat lineam rectam ducere, quæ in Geometria ſupponitur, licèt in Phyſicâ probetur.* Ariſt. 1. poſt. cap. 2.

IV. *Cùm dicimus* 1. Credere oportet accedentem ad Deum, quia eſt: *eſt hæc propoſitio immediata, nec habet alteram priorem, quâ probetur. Licèt enim Metaphyſica à poſte-* Hebr. 11. 6. Canus. lib. 12. cap. 3. concl. 3. pag. 568.

riori probet, Deum eſſe; non tamen probat, hoc credendum eſſe: adeoque talis propoſitio habet ſe per modum Dignitatis. Uti & cùm dicimus, Deo affirmanti aſſentiendum : *eſt enim ita communis, ut nullus ſibi contrarium perſuadeat; modò ab habente auctoritatem ſufficientem nobis proponatur. 2. Cùm dicimus;* Scriptura eſt Verbum Dei: *eſt poſitio, ſeu indemonſtrabilis propoſitio ſecundùm ſe: licèt enim probetur ex traditione Apoſtolica, quæ etiam eſt Verbum Dei; hoc tamen non facit demonſtrationem: quia ipſam traditionem Apoſtolicam eſſe Verbum Dei, non eſt magis per ſe notum, quàm Scripturam eſſe Verbum Dei. Utrumque ſecundùm ſe notum, nobis innoteſcit ex propoſitione Eccleſiæ; cujus in proponendo auctoritas infallibilis, eſt evidenter credibilis.*

V. *Tenent adverſarii noſtri, per modum principii* 1. Solam Scripturam ſufficere, ad probandos articulos fidei. *Poſſet peti* 1. An Scriptura, quam habent, ſit Verbum Dei? *ſed huic examini reſervamus tractatum peculiarem. Poſſet* 2. *peti:* Undè probent, eſſe Scripturam aliquam, quæ ſit Verbum Dei? *& de hoc agemus ad probandam traditionem. Examinantes autem primum ipſorum principium; cùm dicant,* ſolam *Scripturam ſufficere, &c. ſupponemus, Scripturam eſſe Verbum Dei: & quid vox, ſola, habeat ſoliditatis, ex propriis ipſorum ſententiis diſcutiemus.* Exam. 1.

VI. *Tenent adverſarii noſtri per modum principii* 2. Dari veram interpretationem Scripturæ ad probandam fidem. *Hoc à nemine Chriſtianorum negatur. Sed quæritur* 1. Quæ interpretatio Scripturæ ſufficiat ad probandum articulum fidei? *Et de hoc erit* Exam. 2.

VII. *Catholici tenent, unum eſſe ſolum principium ad probandam fidem:* Verbum Dei ab Eccleſia propoſitum. *Hic dicendum erit, quid intelligamus per Verbum Dei: nam adverſarii noſtri non credunt eſſe, vel extare Verbum Dei, quod non ſit ſcriptum. Explicandum erit, quid ſit propoſitio Eccleſiæ; quam ad-*

adverſarii noſtri non talem agnoſcunt, qualis à nobis defenditur. Et hæc erit diſquiſitio Exam. 3.

VIII. *Adverſarii nobiſcum tenent*; Doctrinam Chriſtianam primorum ſeculorum, quæ in libris Sanctorum Patrum, & antiquorum Conciliorum reperitur, eſſe incorruptam, ſaltem quoad articulos neceſſarios. *Hoc autem, quia non eodem modo hinc inde accipitur, dabit* Exam. 4.

IX. *Porrò, ſi qua occurrant in aliquo prædictorum examinum longiorem deductionem requirentia, ea remittemus ad controverſias particulares; licèt hæ præcedenti impreſſioni fuerint additæ; quòd propter adverſariorum oppoſitiones pleniorem tractationem poſtulent.*

X. *Videbis, lector, hîc nihil afferri novi. Scimus enim nos tractare rem non ingenii, ſed doctrinæ; non uſurpationis privatæ, ſed publicæ traditionis; rem ad nos perductam, non à nobis prolatam; in qua non auctores debemus eſſe, ſed cuſtodes; non inſtitutores, ſed ſequentes.* Eſto, *inquit ille Sanctus*, Spiritualis Tabernaculi Beſeleel. Precioſas divini dogmatis gemmas exſculpe, fideliter coapta, adorna ſapienter; adjice ſplendorem, gratiam, venuſtatem. Intelligatur te exponente illuſtrius, quod ante obſcurius credebatur; per te poſteritas intellectum gratuletur, quod ante vetuſtas non intellectum venerabatur; eadem tam, quæ didiciſti, ita doce, ut cùm dicas novè, non dicas nova. Vinc. Lirin. contr. proph. voc. nov. cap. 27.

XI. *Nulla profectò eſt, in rebus fidei tractandis, major utilitas, quàm probatio manifeſta veritatis revelatæ, habens adjunctam errorum refutationem. Ita enim pax Eccleſiæ ſtabilitur, tollitur ſchiſma, ſeparataque membra corpori Domini noſtri Ieſu Chriſti adunantur.*

XII. *Intellexit illud vir doctus Georgius Scholarius, ex parte Græcorum, dicens in Concilio florentino:* Ad ea ſtatim oportet incumbere, per quæ ſola licet conſequi pacem. Conſideranti porrò mihi videntur hæc eſſe: Primò quidem Tom. 4. Conc. pag. 651. D.

EXAMEN PRIMUM,

DE PRIMO

ADVERSARIORUM PRINCIPIO:

Solam Scripturam ſufficere ad probandos Articulos fidei.

§. 1.

Ratio hujus Examinis.

I. CUm in tractatu proprio egerimus *de articulis Proteſtantium neceſſariis & non neceſſariis*, ſive de fundamentalibus & non fundamentalibus; juxta quam diſtinctionem Eccleſiam quamlibet veram judicant, vel falſam; ejuſque communionem tenendam vel repudiandam autumant: & propriis Proteſtantium teſtimoniis docuerimus, neque Lutheranam, neque Reformatam Eccleſiam; ſicut nec Lutheranos, nec Reformatos Doctores inter ſe eſſe concordes; non erit neceſſe hîc iſta repetere.

II. Sed quemadmodum ibi ex iſta Proteſtantium diviſione, additis quibuſdam aliis axiomatibus, generaliter apud ipſos receptis, varias deduximus inconvenientias, & abſurditates; ita hîc oſtendemus, eandem illorum diſcordiam ad non pauca valere.

§. 2.

Adverſarii docent: *Articulos neceſſarios ex ſola Scriptura eſſe probandos.*

III. Diximus in *Meth. Auguſt.* adverſarios intelligere primum *Part. 1.* ſuum principium de articulis fidei neceſſariis. Nunc illud ipſum *cap. 2.* oſtendemus, tam de articulis neceſſariis fidei, quàm de articulis neceſſariis morum.

IV. De articulis fidei ita habet Conf. Belg. *art. 7. Credimus Sacram hanc Scripturam, perfectiſſimè omnem Dei voluntatem complecti, & in ea abundè ea omnia doceri, quæcunque ab hominibus credi neceſſe eſt, ut ſalutem conſequantur.* Angl. *pr. art.* 10. in Scriptura conti-

Digitized by Google

nentur *ea omnia, quæcunque ad ſalutem noſtram ſunt neceſſaria.* Vide Angl. poſter. *art.* 6. *&* 20. Gall. *art.* 5. Helv. poſt. *art.* 1. Scot. *art.* 18. Argent. *cap.* 1. Conf. Remonſtr. *cap.* 1. §. 13.

V. Idem docent Lutherani in Conf. Wirtenb. *art.* 30. *Manifeſtum igitur eſt, quod omnia quæ ad ſalutem cognitu neceſſaria ſunt, in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis contineantur.* Vide Bohœm. *cap.* 1. *in Harm. conf.*

VI. De articulis neceſſariis morum, ita ſtatuit Conf. Gall. *art.* 5. *Quumque hæc* (Scriptura) *ſit omnis veritatis ſumma, complectens quicquid ad cultum Dei, & ſalutem noſtram requiritur.* Vide Conf. Belg. *art.* 7. Helv. poſter. *art.* 1. Argent. *cap.* 1. Angl. poſter. *art.* 10. Remonſtr. *cap.* 1. §. 3.

VII. Idem docet Conf. Bohœm. *cap.* 1. quæ à Luthero, aliiſque Lutheranis eſt approbata.

§. 3.
Quo modo adverſarii doceant, *Articulos neceſſarios eſſe in S. Scriptura.*

VIII. Volunt adverſarii noſtri, neceſſarios articulos fidei & morum, perfectiſſimo modo, clarè, & perſpicuè contineri in S. Scriptura.

IX. Conf. Helv. poſter. *art.* 1. *In hac Scriptura ſancta habet univerſalis Eccleſia perfectiſſimè, quæ cunque pertinent, cùm ad ſalvificam fidem, tum ad vitam Deo placentem rectè informandam.* Conf. Belg. *art.* 7. dicit: *Perfectiſſimè, abundè, exactiſſimè & fusè.* Angl. pr. *art.* 10. *cumulatè & plenè.* Vide Helv. pr. *art.* 1. Remonſtr. *cap.* 1. §. 14. & Catech. Remonſtr. *quæſt.* 5.

X. Conſentiunt Lutherani in Conf. Bohœm. *cap.* 1. *In hac* (Scriptura) *quæ ad doctrinam, & Sanctæ Eccleſiæ diſciplinam, & gubernationem, ad ſingulos & univerſos in ordinario ſalutis miniſterio* (unde & vera fides exiſtit) *neceſſaria ſunt: ea, inquam, omnia plenè, omnino, & quantum opus eſt, ut in eximio artificioſiſſimoque Sancti Spiritus opere, in hac comprehenſa ſunt & concluſa.* Vide Conf. Wirtemb. *art.* 3.

XI. Alios è Lutheranis & Reformatis, in hanc ſententiam, refert Method. Auguſt. *Part.* 1. *cap.* 2. adde Zanchium, *Tom.* 8. *de S. Script. q.* 8. *col.* 369.

§. 4.

Digitized by Google

§. 4.

Iohan. Muſæi objectio, circa remotionem conſequentiarum à probatione articulorum neceſſariorum, conſideratur.

XII. Quia diximus in Methodo Auguſt. tenendum eſſe primum Proteſtantium principium ex Confeſſionibus publicis; & notandum, quod generaliter doceant: *Omnia ad ſalutem neceſſaria, clarè & perſpicuè contineri in Scriptura, adeò ut interpretatione vel conſequentiâ non egeant:* ecce quid opponendum duxerit Muſæus. *Part. 1. Cap. 2.*

XIII. Dicit: *Illud videtur huic innui argumento: Nullum dogma controverſum, quod non expreſſis aut ſaltem æquivalentibus terminis Scripturæ, citra conſequentiarum uſum, probari poteſt, juxta Proteſtantes, eſt ad ſalutem creditu neceſſarium. Omne dogma, inter Proteſtantes & Pontificios controverſum, tale eſt, quod ſcilicet non expreſſis aut ſaltem æquivalentibus terminis Scripturæ, citra conſequentiarum uſum, probari poteſt. Ergò nullum dogma, inter Proteſtantes & Pontificios controverſum, juxta Proteſtantes, eſt ad ſalutem creditu neceſſarium.* Reſp. Hoc argumento nos non ſemel eſſe uſos, libenter agnoſcimus. Videndum, quid ad illud Muſæus afferat. *De Converſ. hom. diſp. 9. cap. 4. §. 67. pag. 633.*

XIV. Aſſerit: *Majorem propoſitionem probant: quia Proteſtantes dicunt, omnia ad ſalutem neceſſaria, tam clarè, tam perſpicuè, tam evidenter legi in Scripturis, ut interpretatione, hoc eſt, conſequentiis non egeant.* Reſp. Hanc eſſe ex probationibus noſtris unam, iterum fatemur. *Ibid.*

XV. Addit: *Verùm ut de minore propoſitione, quæ non uſquequaque vera eſt, nunc nihil dicamus, majorem propoſitionem falſam eſſe, evincunt dogmata de* Trinitate perſonarum in una Dei eſſentia, *& de* dualitate naturarum, divinæ & humanæ, in una Chriſti perſona, *quæ non aliter, quam adhibito conſequentiarum uſu, ex Scripturis probari poſſunt. Quod ſi hæc ad ſalutem creditu neceſſaria ſunt, nec tamen aliter, quàm per conſequentiam, ex Scriptura probari poſſint, quid impediet, quò minùs etiam inter dogmata, de quibus Proteſtantes & Pontificii inter ſe controvertunt, quædam ad ſalutem neceſſaria ſint, quamvis ad illorum probationem, ex Scripturis deducendam, conſequentiis opus ſit?* *Ibid.*

Digitized by Google

ubi de articulis neceſſariis agitur, à quibus ſolis & veritas fidei, & ſalus fidelium, juxta adverſarios, dependet. Promittunt adverſarii omnium articulorum fidei probationem ex ſola Scriptura, idque clarè & evidenter. Hoc enim oportebat, ut eâ diſtinctione neceſſariorum à non neceſſariis, indicarent de veritate aut falſitate, de vita & morte, hujus & illius Eccleſiæ: & conſequenter determinarent, quæ communio ſervanda, quæ repudianda foret.

XXII. At verò, ſi hæc res tanti eſt, liceat nobis ab adverſariis petere, quinam ſint articuli neceſſarii fidei & morum, ſine quibus nulla eſt ſalus, & quibus habitis tenetur vita æterna. Nullus, ſperamus, indignè feret, ſi à Catholicæ Eccleſiæ unitate dicamus non eſſe recedendum; donec à parte adverſa melius aliquid, & ſolidius fuerit allatum.

XXIII. Indagavimus igitur, tanquam neſcientes veritatem, quid ſentirent adverſarii de articulis neceſſariis fidei & morum. Invenimus in Confeſſionibus publicis, in Scriptis particularium Doctorum eam diſſonantiam, quam in Tractatu ſeparato exhibuimus.

XXIV. Atque hinc concludimus: cùm apud adverſarios non ſit certum, nedum probatum, quinam articuli ſint fundamentales ſeu neceſſarii; nullius momenti eſſe ipſorum promiſſionem, de ſufficientia ſolius Scripturæ ad probandos articulos neceſſarios; donec ſtatuerint, quinam ſint iſti articuli neceſſarii, & illud ipſum ſufficienter probaverint. Sed, *Confuſum eſt labium*. & ut S. Irenæus: *Alienati à veritate* (quam ſtatuit ab Eccleſia petendam) *dignè in omni volutantur errore, fluctuati ab eo, aliter atque aliter per tempora de eiſdem ſentientes, & neutiquam ſcientiam ſtabilem habentes, ſophiſtæ verborum magis volentes eſſe, quàm veritatis.* Lib. 3. cap. 40. pag. 310.

Gen. 11. 9.

§. 6.

Ex primo adverſariorum principio præcludi viam ad ſingulas controverſias Lutheranas & Reformatas.

XXV. In controverſiis fidei non agit perſona particularis contra particularem; ſed probatur fides Eccleſiæ Lutheranæ v. g. contra fidem Eccleſiæ Catholicæ. Non quæritur, quid doceat Melanchthon, vel Jonas, ſed quid doceat Eccleſia Lutherana.

XXVI. Do-

Digitized by Google

XXVI. Docet autem hæc Eccleſia (idem eſt de Reformatis) omnia ad ſalutem neceſſaria, clarè & perſpicuè reperiri in Scripturis.

XXVII. Docet ea Eccleſia, ſalvis articulis neceſſariis, ſalvam eſſe Eccleſiam; nec ſcindendam unitatem propter errorem in articulis non neceſſariis.

XXVIII. Hinc in omni controverſia particulari, quæ eſt inter Eccleſiam Lutheranam, & Catholicam, hoc antè omnia indagandum eſt; An agatur de articulo neceſſario. Nam cauſa, quæ inter Lutheranam & Catholicam Eccleſiam agitur, concernit juſtitiam, vel injuſtitiam ſeparationis, & diviſionis Eccleſiæ Lutheranæ à Catholica: quæ, ut ipſis placet, tota dependet ab articulis neceſſariis.

XXIX. Hæc indagatio, ad quam, ex ipſo adverſariorum principio, quaſi manu ducimur, tollit omnes controverſias, quas Lutherana Eccleſia contra Catholicam docet. Agatur v. g. de communione ſub utraque ſpecie, quem articulum præ aliis conſueverunt urgere. *Doceant primò, Eccleſiam Lutheranam eum articulum habere in neceſſariis.* Et quomodo hoc præſtabunt? Certum eſt, Lutheranos (idem eſt de Reformatis) in materia de articulis neceſſariis inter ſe non convenire. Adducant aliquam Confeſſionem publicam, quæ eum articulum ponat inter neceſſarios. Adſunt alia publica Lutheranorum teſtimonia, quæ cùm faciant mentionem articulorum neceſſariorum, eum, qui de communione ſub utraque ſpecie eſt, non nominant. Adeſt v. g. Calixtus, qui Lutheranus haberi cupit; & tamen docet, eum articulum non eſſe ſimpliciter neceſſarium. Quid ergò dicent? Certum eſſe, & fide tenendum, eum articulum eſſe neceſſarium? At ſic magna pars Eccleſiæ Lutheranæ non erit Lutherana; ut quæ erret in articulo neceſſario; eum, qui revera neceſſarius eſt, ut neceſſarium non recipiens. Dicent fortè; non eſſe apud Lutheranos certum, ſitne articulus de communione ſub utraque ſpecie neceſſarius, an minus? Sed hinc pateret, non eſſe abſolutè neceſſarium; cùm inter ipſos Lutheranos non abſolutè conſtet de ejus neceſſitate. *Reſp. ad Theol. Mogunt. n. 26.*

XXX. Unde concludimus; Lutheranos, & Reformatos nullam Catholicis poſſe movere litem, de omnibus iis controverſiis, de quibus ſive inter Lutheranos, ſive inter Reformatos non conſtat, an ſint neceſſariæ. Atque his ſublatis, inquirant de iis, quæ ſuperſunt, controverſiis, & fortè nullam invenient de articulo neceſſario. *Confuſum eſt labium.* *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.* *Gen. 11. 9.* *Hebr. 13. 9.*

§. 7. Ex

Digitized by Google

§. 7.

Ex primo principio Lutheranorum & Reformatorum deſtrui omnes controverſias Lutheranorum & Reformatorum.

XXXI. Docent adverſarii, omnes articulos neceſſarios probari ex ſola Scriptura. Quod ſi faciant, ut viros bonos decet, in negotio ſalutis, & damnationis æternæ; rogamus, & obteſtamur, ut oſtendant in Scripturis, quinam articuli ſint neceſſarii. Non petimus, an Scriptura contineat omne illud, quod neceſſarium eſt ad ſalutem; ſive an ſit aliquid neceſſarium ad ſalutem, quod non contineatur in Scriptura: illud enim diſcutiemus, agentes de Traditionibus. Sed compendii cauſa, non examinantes, an verè, vel falſò dicatis, omnes articulos neceſſarios contineri in Scriptura; poſtulamus ut aſſignetis loca ex Scriptura, ubi ipſa dicat, quinam articuli ſint neceſſarii, & præter quos non ſunt alii neceſſarii.

XXXII. Si putetis hoc Scripturam dicere; periit Lutheranorum, periit Reformatorum Eccleſia; cùm neutra quid certi habeat de articulis neceſſariis, ſive Confeſſiones publicas, ſive Doctorum particularium ſcripta perluſtretis. Non enim poteſt eſſe vera Eccleſia, veraque fides, quæ determinatis per Scripturam articulis neceſſariis, in iiſdem non deſinit vacillare & diſſentire.

XXXIII. Sin autem dicatis; Scripturam non determinaſſe articulos neceſſarios, uti neceſſe habetis dicere, ſi diſſenſionem veſtram, in hac materia, excuſatam vultis; rurſum periit Eccleſia Lutherana, Eccleſia Reformata; ut quæ citrà auctoritatem Scripturæ determinavit, quæ ſint neceſſaria; & juxtà determinationem ſuam, citrà Verbum Dei, condemnavit Eccleſiam Catholicam, à cujus unitate receſſit, & miſcuit Eccleſiam diſſidiis.

XXXIV. Hic nimirùm fructus eſt primi Lutheranorum & Reformatorum principii; ut ſeipſum, ſicut à Lutheranis & Reformatis accipitur, prorſus ſubvertat. *Confuſum eſt labium.* (Gen. 11. 9.) *Præcipita, Domine, divide linguas eorum; quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in civitate.* Pſal. 54. 9.

§. 8. Ex

§. 8.

Ex primo principio Lutheranorum & Reformatorum deſtrui ſingulas controverſias Lutheranorum & Reformatorum.

XXXV. *In controverſiis fidei nihil æquius eſt, quàm illas primo loco examinare, quas adverſarii dicunt & docent, eſſe de articulis neceſſariis: à quibus nimirùm ſolis volunt dependere vitam & ſalutem, mortem & damnationem æternam; imò vitam & mortem Eccleſiæ: & propter quas ſolas vel ſervanda, vel repudianda eſt Eccleſiæ unitas.

XXXVI. Ponatur igitur controverſia particularis: *An infantes fidelium ſalventur ſine baptiſmo?* Reformati affirmant; Catholici negant. Petimus à Reformatis (idem eſt in aliis particularibus controverſiis, etiam contra Lutheranos) ubi Scriptura dicat, eum articulum eſſe neceſſarium?

XXXVII. Non petimus, an ille articulus poſſit probari ex Scriptura: non petimus, an ſit verus, vel falſus: ſed illud urgemus; Ubi legatur in Scriptura, iſtum articulum eſſe neceſſarium?

XXXVIII. Si Scriptura determinavit, eum articulum eſſe neceſſarium; periit Reformatorum Eccleſia, ut quæ hunc articulum non acceptavit unanimiter tanquam neceſſarium; ideoque errat in articulo neceſſario ad ſalutem, non proponens Eccleſiæ hanc neceſſitatem.

XXXIX. Sin autem Scriptura non determinavit neceſſitatem ejus articuli, quod dicendum vobis eſt, ut diſſentientes Confeſſiones & Doctores veſtros excuſetis; non erit controverſia fundamentalis, ſive de articulo neceſſario, quando quæritur, *An infantes fidelium ſalventur ſine baptiſmo?*

XL. Quod ſi iſta controverſia non eſt de articulo neceſſario, uti placet Reformatis; ſeponenda erit, donec examinati fuerint articuli fundamentales & neceſſarii, propter quos doceant Eccleſiam Catholicam fuiſſe deſerendam.

XLI. Tranſeuntes autem de controverſia in controverſiam, quæ nobis eſt cum Lutheranis, & Reformatis, petenteſque an Scriptura dicat, hunc, vel illum articulum eſſe neceſſarium; inveniemus eâ

ratione omnes particulares controverſias tolli; & tàm Lutheranos, quàm Reformatos, nullum ex Scriptura articulum allegare poſſe, propter quem judicaverint recedendum eſſe ab unitate Eccleſiæ Catholicæ, vel eandem condemnandam. *Confuſum eſt labium.* Gen. 11. 9.

§. 9.

Ex primo adverſariorum principio præcludi viam, & deſtrui omnes & ſingulas controverſias, quas Lutherani & Reformati terminis negativis proponunt.

XLII. Nunc tranſeamus ad illos articulos fidei, vel morum, quos adverſarii terminis negativis proponunt: ne quis fortè ſuſpicetur, in his latere ſpecialem difficultatem.

XLIII. Docent adverſarii noſtri; *Non eſſe invocandos Sanctos, non eſſe Purgatorium*, &c. Petimus liberaliter; vel poſitivè *creditis* illos articulos; vel tantùm *non creditis.* Quod ſi eos articulos non credatis, non erunt neceſſarii: quia, ſecundùm vos omnia neceſſaria docentur clarè, & evidenter in Scriptura: & illa eadem ſunt poſitivè credenda. Unde illud efficitur, non eſſe eos articulos, propter quos receſſiſtis ab unitate Eccleſiæ Catholicæ.

XLIV. Sin dicatis, vos poſitivè credere articulos negativos: rurſùm petimus, an credatis, eos articulos eſſe neceſſarios. Non dicetis, eos articulos eſſe neceſſarios; quia nunquam ſive Lutherani, ſive Reformati, unanimi conſenſu illud docuerunt. Atque ita tranſeundo ad omnes articulos negativos controverſos, nullus erit neceſſarius; nullaque ex parte articulorum negativorum erit cauſa, cur receſſerint ab Eccleſia Catholica.

XLV. Verùm quia cupimus liberaliter agere, audiamus adverſarium ex privata ſua credulitate dicentem, eos articulos poſitivè credendos, & eſſe neceſſarios. Non immeritò petemus, ubi Scriptura dicat, tales articulos negativos eſſe neceſſarios? Hæc autem ſola petitio reducit adverſarium ad impoſſibile; cùm nullibi hoc Scriptura tradat, quod ipſe aſtruit. Unde & fateri neceſſe habet, tales articulos, juxtà ſuum principium, non eſſe neceſſarios; nec propter illos ſe receſſiſſe ab unitate Eccleſiæ Catholicæ.

XLVI. Nihili igitur faciendum eſt, quod Lutherani & Reformati nobis objiciunt; Non eſſe invocandos Sanctos demortuos, Non

Non eſſe purgatorium, &c. Donec probaverint primò, Eccleſiæ ſuæ ſententiam eſſe, eos articulos eſſe poſitivè credendos; quod tamen & nos volumus eſſe conceſſum. Secundò, Eccleſiæ ſuæ ſententiam eſſe, eos articulos eſſe neceſſarios. Tertiò, Scripturam clarè, & evidenter dicere, Non eſſe invocandos Sanctos demortuos, Non eſſe purgatorium &c. idque eſſe creditu neceſſarium.

XLVII. Cùm autem inter illos ſit nullus, qui ſibi perſuadeat, hoc à ſe præſtari poſſe: illud unicuique perſuaſiſſimum eſſe debet, nec Lutheranos, nec Reformatos, ob articulos, quos ipſi negativè proponunt, ab unitate Eccleſiæ Catholicæ receſſiſſe: imò ſtatuet potiùs, ob eos non fuiſſe recedendum, aut malè eſſe receſſum. *Confuſum eſt labium.* de quo S. Gregorius Nazianzenus: *laudabilis quoque fuit vetus illa linguarum diviſio. Cùm ſcilicet malè atque impiè inter ſe concordes erant, qui turrim extruebant, quemadmodum nunc quoque quidam facere non verentur* (uti mox oſtendemus): *animorum enim & voluntatum conſenſio, cum linguarum diſtinctione ſoluta, ſuſceptum negotium abrupit.* & mox: *quin præclara quoque illa diviſio dici poteſt, de qua loquitur David, Præcipita, Domine, & divide linguas eorum.* Orat. 45. in S. Pentecoſt. ſub fin. Tom. 1. pag. 716. A. *Gen. 11. 9.* *Pſal. 54.*

§. 10.

Muſæi objectio de ſchiſmate Proteſtantium removetur.

XLVIII. Quoniam in præmiſſis agitur de ſeparatione Proteſtantium ab unitate Eccleſiæ Catholicæ, conſiderandum eſt, quid Muſæus objicit; quamvis reverà nihil proferat, in aliis noſtris ſcriptis non refutatum. Libenter tamen ei impendimus illud obloquium; quòd cum viro non indocto res agatur.

XLIX. Dicit: *Præmonendus eſt lector, quòd falsò Proteſtantes receſſiſſe dicantur ab* Eccleſia Catholica, *niſi intelligant appellatione* Eccleſiæ Catholicæ *Eccleſiam Papiſticam, quæ tantùm* particularis Eccleſia eſt, *quamvis admodum impura & ſchiſmatica. Quin ab hac etiam non tàm Proteſtantes receſſerunt, quàm citra ſuam culpam, Pontificum & Cleri Pontificii pertinacia & tyrannide, excluſi ſunt. Quod ex hiſtoria ſchiſmatis, magno Eccleſiæ malo in hanc diem durantis, inde ab ejus initio ad hæc uſque tempora per omnes circumſtantias oſtendi poſſet, ſi præſentis inſtituti iſta conſideratio eſſet, aut ita paucis, ut hæc charta caperet, expediri poſſet.* *De converſ. hom. diſp. 9. cap. 4. n. 69. pag. 634.*

 L. *Reſp.*

Digitized by Google

L. *Reſp.* Proteſtantes à nobis receſſiſſe, fatetur Muſæus. Noſtram Eccleſiam dicit particularem. Quid inde concludet? Proteſtantes non eſſe ſchiſmaticos, etiamſi receſſiſſent ab Eccleſia particulari. Vellet fortaſſis ſic concludere; ſed apertè non ſuſtinet. Novit enim, apud Lutheranos in ſchiſmaticis numerari Reformatos, quod à Lutheranorum particulari Eccleſia (hoc nimirum de ſua profitentur) receſſerint. Sed cur particularem vocat Eccleſiam Papiſticam, quæ verè eſt Catholica? Si particularis erat, ſi admodum impura, ſi ſchiſmatica tempore receſſus Proteſtantium, ubinam terrarum tunc habitabat Catholica, Lutheranis univerſis in hanc uſque diem incognita? Cur non oſtendunt, ſe deſerentes unitatem Eccleſiæ particularis, impuræ, & ſchiſmaticæ, ad Catholicæ communionem tranſiviſſe? Quia verò hoc non conantur oſtendere, inanem jactationem, nullâ probatione munitam, negligimus. Quod de excluſione & tyrannide narrat Muſæus, refutatum *de Unit. Eccl. lib.* 3. *cap.* 5. *& lib.* 6.

Ibid. pag. 635.

LI. Pergit: *Deinde, quod nulla inter nos & Pontificios controverſa dogmata* neceſſaria ſint ad ſalutem, à fratribus *probatum nondum eſt, neque ex ſæpius inculcato Proteſtantium principio & promiſſo, nullâ conſequentiæ lege, deduci poteſt. Unde ultrò illud etiam cadit, quod dicitur*, Proteſtantes receſſiſſe ab Eccleſia Catholica, *hoc eſt, Pontificia*, ob ſolum diſſenſum in non neceſſariis. *Et cadente hoc, cadit porrò, quod inferunt*, Proteſtantibus, niſi præfractè obſtinati eſſe velint, *incumbere, ut ultro* ad Eccleſiam Pontificiam redeant. *Hoc enim, quantum eſt, totum nititur hoc præſuppoſito, quod Proteſtantes ab Eccleſia Pontificia receſſerint*, ob ſolum diſſenſum in non fundamentalibus, *quod ab ipſis evictum nondum eſſe, jam vidimus.*

LII. *Reſp.* Niſi Muſæus hoc loco diſſimularet noſtra argumenta, non haberet, quod diceret. Diximus, *à Proteſtantibus oſtendi non poſſe, nulla inter Lutheranos & Catholicos controverſa dogmata eſſe neceſſaria ad ſalutem.* Ecce quo nitatur fundamento iſta aſſertio. Illi nequeunt probare, ullum dogma controverſum eſſe neceſſarium ad ſalutem, qui in ea verſantur Eccleſia, quæ promittit omnia ad ſalutem neceſſaria probare ex ſola Scriptura, nec tamen unanimiter determinat ullum dogma ad ſalutem neceſſarium, quod ſit controverſum. Sed Muſæus, & cum eo quotquot ſunt Lutherani, in ea verſantur Eccleſia, quæ promittit omnia ad ſalutem neceſſaria probare ex ſola Scriptura, nec tamen unanimiter determinat ullum dogma ad ſalutem

neceſ-

Digitized by Google

neceſſarium, quod ſit controverſum. Ergò Muſæus, & cum eo quotquot ſunt Lutherani, nequeunt probare, ullum dogma controverſum eſſe neceſſarium ad ſalutem. Vides, lector, iſtam aſſertionem non niti ſolo Proteſtantium promiſſo & principio, quemadmodum fingit Muſæus, & quemadmodum ex præcedentibus abundè patet; ſed principio Proteſtantium & promiſſo in praxin redacto; in quem finem diſcordiam Proteſtantium, in determinandis articulis neceſſariis manifeſtaveramus; quod & nunc, in Tractatu ſeparato, abundantiùs præſtitimus. Conſiderato proinde Proteſtantium principio, in praxin redacto, manifeſtiſſimum eſt; *Nulla inter Lutheranos & Catholicos controverſa dogmata eſſe neceſſaria ad ſalutem.* Unde & illud ſequitur; *Proteſtantes receſſiſſe ab Eccleſia Catholica, ob ſolum diſſenſum in non neceſſariis.* Et ulteriùs benè ſequitur; *Proteſtantibus, niſi præfractè obſtinati eſſe velint, incumbere, ut ultro ad Eccleſiam redeant.* Muſæus, non perſpiciens, quomodo ſe ſuoſque à concluſione præmiſſi argumenti, & ſequelis inde dependentibus, liberaret; loco Principii, promiſſique Proteſtantium in praxin redacti, ſubſtituit nudum Proteſtantium principium & promiſſum; quod accuratum diſputatorem non decet.

LIII. Multus deinde eſt Muſæus, ut oſtendat, quandoque eſſe licitum ab unitate Eccleſiæ receſſum, ob diſſenſum non fundamentalem. Sed ſimilia refutavimus in Crocio, in Cuhnæo, in aliis, ut repetitione non ſit opus. Vid. *de Unit. Eccl. lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 21. *cap.* 8. *& lib.* 6. & alibi. *Ibid. n.* 70. *& ſeqq.*

§. II.

Argumentum noſtrum §. præcedenti poſitum impugnat Muſæus.

LIV. Dicit: *Argumentum ipſorum redit huc: Quicunque docent, omnia* creditu neceſſaria *poſſe ex* Scriptura ſola probari, *ſeque* in controverſiis Pontificiis *omnia inde probaturos promittunt, nec tamen* quæ creditu neceſſaria & non neceſſaria ſint, *docere poſſunt, illis præcluſa aut præcludenda eſt via ad omnes controverſias doctrinæ, quas cum Pontificiis habent. Atqui hoc faciunt* Lutherani. *Ergò.* *Ibid. n.* 74. *pag.* 638.

LV. *Reſp.* Habeamus illud argumentum, tanquam rectè poſitum; quia ferè convenit cum præcedenti à nobis formato; videamus, quid adferat Muſæus.

Ibid. n. 75. pag. 639. LVI. Dicit: *Verùm rurſum præmiſſa utraque infirma eſt. Et major quidem ſi invertatur, plus habebit probabilitatis, quàm nunc habet. Qui enim ſentit, omnia creditu neceſſaria poſſe ex* Scriptura ſola *probari; & omnia contra Pontificios, ex illa ſe probaturum promittit, nec tamen quæ* neceſſaria, *& quæ* non neceſſaria *ſint, docere poteſt, ei aperienda potiùs, quàm præcludenda eſt via ad controverſias Pontificias omnes, cùm ut ex argumentis & reſponſionibus, ultro citróque allatis, doctrinam controverſam, neceſſaria creditu, an non neceſſaria? vera, an falſa ſit? accuratiùs cognoſcat, eâque perpenſâ, & cognitâ, num in Eccleſia, in qua eſt, ſibi perſiſtendum ſit, maturiore conſilio ſecum conſtituere, ſuæque conſcientiæ rectiùs conſulere poſſit.*

LVII. *Reſp.* Infirmam aſſerit majorem Muſæus; atque videri vult exiſtimare, eâ inverſâ, plus appariturum probabilitatis. Nos autem non credimus, iſtud Muſæo videri poſſe, poſtquam debiles adeò profert rationes. Qui ſentit, omnia creditu neceſſaria poſſe ex Scriptura ſola probari; & omnia ex illa ſe probaturum promittit, nec tamen quæ neceſſaria, & quæ non neceſſaria ſint, docere poteſt: poſtquam id toto, & quod excurrit, ſeculo Eccleſia Lutherana non præſtitit; illi, tamquam temerario promiſſori, meritiſſimo jure præcluſa, aut præcludenda eſt via ad omnes doctrinæ controverſias, quas cum Catholicis habent Lutherani. Indignum eſt viro intelligenti, quod Muſæus dicit, in eum finem aperiendam potiùs eſſe viam ad controverſias, ut indè diſpiciant Lutherani, ſitne doctrina controverſa neceſſaria creditu, an non neceſſaria? ſitne in Eccleſia, in qua eſt, perſiſtendum, an minus? Quid enim hoc aliud eſt, quàm poſt ſeparationem & ſchiſma, poſt erectum altare contra altare, poſt violatam Eccleſiæ pacem & concordiam, poſt apertiſſimum defectum Eccleſiæ Lutheranæ in determinandis articulis neceſſariis, propter quos facta prætenditur ſeparatio, velle unicuique ſupra Eccleſiam Catholicam, ſupra Eccleſiam Lutheranam cupienti ſapere, per conferentias de religione, determinationem neceſſariorum à non neceſſariis permittere?

LVIII. Multoties diximus, in negotio Religionis non agi cauſam Titii contra Caium, ſed Eccleſiæ contra Eccleſiam. Quando inquiritur de juſtitia ſeparationis, vel injuſtitia; hoc imprimis incumbit Lutheranis, ut doceant ex ſententia Eccleſiæ ſuæ, quinam ſint articuli neceſſarii, propter quos ſchiſma factum eſt. Indè ſequitur, ut probent veritatem & neceſſitatem eorum articulorum,

pro-

Digitized by Google

propter quos aſſerunt ſchiſma factum eſſe. In priore autem ſi defecerint Lutherani, nec potuerint, ex ſententia Eccleſiæ ſuæ, illos articulos neceſſarios oſtendere, propter quos ſchiſma factum eſſe aſſeritur; temeraria profectò fuerit aſſertio, ſi quis dixerit, admittendos eſſe particulares Lutheranos, non valentes docere de ſententia Eccleſiæ, ad examen particularium controverſiarum, *ut ex argumentis & reſponſionibus, ultro citróque allatis, doctrinam controverſam, neceſſaria creditu, an non neceſſaria ſit? accuratiùs cognoſcat*, &c. quemadmodum Muſæus aſſerit.

LIX. Addit: *Proteſtantes nihil recipiunt in credendorum partem, quod ex Scriptura probari non poſſit, qui propterea non ſolùm articulos* neceſſarios & fundamentales, *ſed generatim ſuam* fidei doctrinam totam ex Scriptura ſola *ſe probaturos promittunt, eſtque apud ipſos ratio probandi doctrinam fidei cùm quà* fundamentales, *tùm quà cæteros articulos una & eadem, nempe* revelatio divina, *in Scripturis ſacris comprehenſa. Quid ergò ad ipſorum promiſſum de probanda*, ex ſola Scriptura, *doctrina fidei diſtinguere attinet inter doctrinas fidei* fundamentales *&* non fundamentales? *cùm tamen hoc ipſo, quod* doctrinam fidei totam ex Scriptura ſola *ſe probaturos promittunt, utraſque* ex ea ſola *ſe probaturos promittant, & dum eam totam ex illa probant, utraſque inde probent.* *Ibid.*

LX. *Reſp.* Nihil ad rem præſentem profertur. Conatur Muſæus declinare vim argumenti, quam tamen non evadit. An Proteſtantes recipiant aliquid in fidem ſuam, quod ex Scriptura probari non poſſit; huc non pertinet: ſcimus enim, quam pauca recipiant in credendorum partem; ut non immeritò doctiſſimus Faber, in ſuo Codice, eos dixerit negativè Chriſtianos. Scimus, id familiare fuiſſe antiquis ab Eccleſia Catholica diſſentientibus, ut fidem ſuam, vel potiùs infidelitatem, in negativis conſtituerent. Promittant Proteſtantes generatim, fidei ſuæ doctrinam totam ex Scriptura ſola ſe probaturos; ideò tamen diſtinguendum eſt inter doctrinas fidei fundamentales, & non fundamentales, ut conſtet de juſtitia, vel injuſtitia Schiſmatis; cùm juxta ipſorum principia non ſit faciendum ſchiſma, niſi propter errorem in articulo neceſſario. Nam ſi nullus articulus neceſſarius ſit controverſus; cui uſui fuerit, juxta mentem Lutheranorum, probaſſe totam doctrinam fundamentalem, & non fundamentalem (quamvis nec hoc ullo modo poſſint), ex qua juſtitiam iniquiſſimæ ſeparationis nequeunt vincere?

§. 12. Re-

Digitized by Google

§. 12.

Reſponſionem noſtram §. præcedenti poſitam impugnat Muſæus.

Ibid. n. 76. LXI. *Dicent* fratres: ſi Lutherani *juſtificare velint ſuam* ſeparationem *ab Eccleſia Pontificia, omnino incumbere iis, ut qui* articuli creditu neceſſarii, *& qui* non neceſſarii *ſint, doceant. Aut enim facta eſt propter diſſenſum* in articulis neceſſariis, *aut propter diſſenſum in* non neceſſariis. *Utrum elegerint, ſemper ſibi præcludent viam ad omnes controverſias, quamdiu non docent*, quinam articuli neceſſarii *&* qui non neceſſarii ſint. *Si enim ob diſſenſum in* non neceſſariis *factam dixerint, ſeparatio injuſta erit, cùm ob talem diſſenſum, juxta ipſos, Eccleſiæ unitas non ſit deſerenda. Incumbet igitur ipſis, ut citra inſtitutam, de articulis controverſis, diſputationem, ad Eccleſiam Pontificiam redeant. Sin ob diſſenſum in* neceſſariis *ſeparationem factam dixerint, non credent iis Pontificii, neque deſcendent cum ipſis in diſputationem, niſi priùs illos, creditu neceſſarios, articulos, in quibus diſſenſus ſit, determinaverint.*

Ibid. n. 77. pag. 640. LXII. *Reſp.* Hanc eſſe mentem noſtram, quam Muſæus proponit, non diffitemur. Dicit quidem, certo caſu licitum eſſe ab unitate Eccleſiæ receſſum, ob diſſenſum in articulo non neceſſario: ſed ubi iſtud refutaverimus, dictum eſt ſuprà n. 51.

Ibid. & n. 78. LXIII. Ut reſpondeat, ſic præmittit: *Sciendum*, creditu neceſſarium *poſſe dogma aliquod dici dupliciter:* 1. ſecundùm quid *&* ex parte ſolius objecti formalis fidei. 2. Simpliciter, *etiam* ex parte objecti materialis. Ex parte objecti formalis tantùm *neceſſarium eſt creditu, quicquid divinitus, formaliter aut virtualiter & per evidentem conſequentiam, in Scripturis revelatum eſt* (Nota, hanc eſſe ſententiam Lutheranorum, non noſtram; hoc tamen loco non diſcutiendam), *& per hoc revelatum eſſe, cognitum eſt.* Revelatio divina *enim eſt fidei objectum formale, quæ, ubi cognita eſt, nec ipſa, neque id, ſuper quod cadit, fide Chriſtianâ & ſalute ſalvâ, in dubium vocari, aut negari poteſt*, &c.

Ibid. n. 79. pag. 641. LXIV. Simpliciter *etiam* ex parte objecti materialis, *creditu neceſſaria dici poſſunt, quæ præterquam quòd divinitus revelata ſunt, etiam ut cognita ſint eſſe revelata, omnium intereſt ſalutis, ob illorum neceſſariam habitudinem ad ſalutem æternam conſequendam. Atque hæc*

hæc non his ſolùm, quibus illorum revelatio cognita eſt, creditu neceſſaria ſunt, ut poſt cognitam illorum revelationem citra ſalutis diſpendium in dubium vocari aut negari non poſſint, ſed univerſaliter omnibus, quandoquidem quod revelata ſint, omnibus conſtare, ut citra ſalutis jacturam ne quidem ignorari à quoquam poſſint.

LXV. Aſſerit, eodem ferè recidere Scholaſticorum receptam diſtinctionem, inter neceſſitatem medii, & neceſſitatem præcepti; de quo videndum erit in Examine principii Catholici. Nunc ſolam Proteſtantium ſententiam diſcutimus. Aſſerit, apud Proteſtantes maximum eſſe conſenſum de articulis neceſſariis ſecundùm quid, & ex parte ſolius objecti formalis: *eſſe enim conſtantem, & unanimem illorum ſententiam, quòd omne dogma, in Scripturis contentum, poſtquam in iis, ſi non conceptis verbis, tamen per evidentem conſequentiam contineri, cognitum eſt, cognoſcenti neceſſarium ſit creditu, ut abſque ſalutis diſpendio abnegari, rejici, damnari non poſſit.* Sed de his non eſſe noſtram quæſtionem, Muſæum latere nequit. Proptereà addit: *Ibid. n. 80.* *Ibid. n. 81.* *Pag. 642.*

LXVI. *Sin de* neceſſariis ſimpliciter, *etiam* ex parte objecti materialis, *loquantur, tùm haud diffitemur, difficile eſſe, quæ* creditu ad ſalutem neceſſaria, *& quæ* non neceſſaria *ſint, determinare; & diſſentire inter ſe Doctores Proteſtantium. Reſp.* Acceptamus hanc apertiſſimam apertæ veritatis confeſſionem: laudamuſque ingenuitatem Muſæi ſupra multos confratres ſuos. Nunc videamus, quomodo ſe conetur expedire à noſtro argumento. *Ibid. n. 83.* *Pag. 643.*

LXVII. *Ad ſuperiorem Walenburchiorum objectionem redeo.* Si de articulis ſimpliciter, *etiam* ex parte objecti materialis, neceſſariis *fratres loquantur, tùm fallunt & falluntur, cùm dicunt, ad dignoſcendum, jure, an injuriâ facta ſit ſeparatio Eccleſiarum, Lutheranæ & Pontificiæ, neceſſarium eſſe, ut quinam articuli ad ſalutem creditu neceſſarii, & qui non neceſſarii ſint, Proteſtantes doceant, aut ſi docere id nolint, aut non poſſint, præcluſum iis iri viam ad omnes controverſias Pontificias. Iam antè enim oſtenſum eſt, quod etiam diſſenſus de articulis, qui non* ſimpliciter, *ſed* ſaltem ex parte objecti formalis *neceſſarii ſunt, juſta ſchiſmatis cauſa eſſe poſſit. Quin ipſimet fratres in citato* Exam. III. Princ. ſid. §. 11. n. 89. *fatentur, quòd ad præſentem quæſtionem nihil attineat, quæ* neceſſitate præcepti tantùm, *& quæ etiam* neceſſitate medii *neceſſaria ſint creditu, diſtinctè docere,* &c. *Cur ergò à Proteſtantibus ita rigidè exigunt, ut quæ ſecundùm ſe ſimpliciter neceſſaria, & quæ non ita neceſſaria ſint, doceant, & niſi id docuerint, ipſis viam ad omnes controverſias Pontificias præclu-* *Ibid. n. 84.* *Pag. 644.*

Digitized by Google

cluſum eunt? Cur ab illis exigunt, quod præſtare ipſi recuſant?

LXVIII. *Reſp.* Muſæus, qui diſcordiam ſuorum agnovit in determinandis articulis ſimpliciter neceſſariis, vel non vult, vel non poteſt determinare ullum articulum ſimpliciter neceſſarium, ex ſententia Eccleſiæ Lutheranæ, propter quem iſta Eccleſia receſſerit ab unitate Eccleſiæ Catholicæ: quamvis Lutherani agnoſcant, non eſſe recedendum ab unitate Eccleſiæ, niſi in neceſſariis errantis, & confidenter ſpargant, Eccleſiam Catholicam errores introduxiſſe fundamentales. Dicit quidem nos fallere, & falli, quòd etiam diſſenſus, de articulis non ſimpliciter neceſſariis, juſta ſchiſmatis cauſa eſſe poſſit. Sed quoniam iſtud pertinet ad materiam de objecta tyrannide ſpirituali, quam *de Vnit. Eccl. lib. 6.* tractavimus, nihil opus eſt, huc ea referre. Interim miramur, cur Muſæus non determinaverit unum ſolum articulum ſimpliciter neceſſarium, ex ſententia Eccleſiæ Lutheranæ, propter quem factum ſit ſchiſma Lutheranum. Siquidem id potuit, cur, cauſam Eccleſiæ ſuæ agens, non debuit? Sin autem non potuit, cur non dedit gloriam Deo? cur toties interpellatus, veritati teſtimonium non perhibuit? Sed quia ipſi tutum non erat, propter domeſtica Lutheranorum diſſidia, talem articulum determinare; maluit alio uti effugio, quod tamen alibi præcluſimus.

LXIX. Cæterùm, non diximus, ad præſentem quæſtionem nihil attinere, ut doceatur, quinam ſint articuli ſimpliciter neceſſarii, quinam verò neceſſarii ex ſola neceſſitate præcepti. Diximus hoc, examinantes Principium Catholicum, quòd Catholicis id non ſit neceſſarium: Proteſtantibus autem id eſſe neceſſarium, multoties aſſerimus, uti ipſe Muſæus mox fatebitur.

Ibid. n. 85. pag. 645. LXX. Muſæus: *fratres præviderunt difficultatem hanc, eamque declinaturi, ſubſeq.* n. 97. *oſtendere conantur rationem diverſitatis:* Hæc, *inquientes*, notitia articulorum neceſſariorum Catholicis ſufficit; qui tenent non tantùm in iis, quæ omnibus & ſingulis neceſſaria ſunt, ſed in omnibus omninò articulis acquieſcendum eſſe Verbo Dei, per Eccleſiam propoſito. Adverſarii autem noſtri, qui docent, Eccleſiæ unitatem non eſſe deſerendam, propter errorem in articulis, qui non ſunt omnibus & ſingulis neceſſarii; neceſſe habent determinare, quinam ſint articuli neceſſarii, propter quos deſciverunt à communione Eccleſiæ Catholicæ; & probare debent, tum neceſſitatem dictorum articulorum, tùm errorem Catholicorum.

LXXI. Ad.

Digitized by Google

LXXI. Ad iſta dicit Muſæus: *Verùm hâc viâ minimè ſeſe expediunt. Docent quidem Proteſtantes, ob diſſenſum in doctrinæ capitibus, quæ non ſunt* ſecundùm ſe ſimpliciter creditu neceſſaria, *non eſſe deſerendam unitatem Eccleſiæ, ſi altera pars diſſentientem in communione ſua tolerare velit, eique ſuas opiniones falſas, aut certè quas alter conſcientiæ teſtimonio convictus in falſis habet, non amplectendas & credendas obtendat, nec ad ſuam ſententiam, de cujus veritate convictus eſt, abjiciendam, abnegandam, abjurandam cogat. Quæ illorum ſententia, ſi in præſenti cauſa ſchiſmatis, quod eſt inter Proteſtantium & Pontificias Eccleſias, locum invenire debeat, neceſſe erit, ut Pontifex & Clerus Pontificius, exutâ pelle leoninâ, induant ovinam, ut fulmina anathematum, à Patribus Tridentinis in omnes, qui à quibuſcunque ipſorum commentis diſſentiunt, ejaculata, aboleant.* Ibid. n. 86.

LXXII. *Reſp.* Vides, lector, nunquam allegari à Muſæo errorem Eccleſiæ Catholicæ, qui articulum fidei, ex ſententia Eccleſiæ Lutheranæ, ſimpliciter neceſſarium, ſubvertat; propter quem aſſerat ſchiſma factum eſſe. Fatetur *apud Proteſtantes doceri; ob diſſenſum in doctrina capitibus*, quæ non ſunt ſecundùm ſe ſimpliciter creditu neceſſaria, *non eſſe deſerendam unitatem Eccleſiæ*. Acceptamus apertam confeſſionem. Ideòque neceſſe erit, ut Proteſtantes, quibus non licuit, ex propriâ doctrinâ, à nobis recedere, ob doctrinam non ſimpliciter neceſſariam, determinent articulum ſimpliciter neceſſarium, propter quem receſſerint; quod cùm facere nequeant, ſtante domeſticâ diſſenſione, ſupereſt ut ad priorem unitatem redeant. Conditionem quod attinet: *Si altera pars diſſentientem in communione ſua tolerare velit, eique ſuas opiniones falſas, aut certè quas alter conſcientiæ teſtimonio convictus in falſis habet, non amplectendas & credendas obtendat, nec ad ſuam ſententiam, de cujus veritate convictus eſt, abjiciendam, abnegandam, abjurandam cogat*. Hanc, inquam, conditionem, uti dictum, latè alibi refutavimus. De Vnit. Eccl. lib. 6. part. 2. cap. 9. &c.

LXXIII. Eandem conditionem, tanquam turpem, & toti Eccleſiæ indecoram, ex praxi Lutheranorum contrariam, meritò pro non adjecta habemus, quod unico hîc exemplo demonſtramus. Lutherani, in Confeſſione Auguſtana, *Damnant Anabaptiſtas, qui negant ſemel juſtificatos poſſe amittere Spiritum Sanctum*. Idem, in hac parte, negant Reformati; & negationem ſuam publico decreto firmarunt. Docent Reformati, ob diſſenſum in doctrinæ capitibus, quæ non ſunt ſecundùm ſe ſimpliciter creditu neceſſaria, non eſſe deſerendam, aut denegandam unitatem Eccleſiæ. Conqueruntur Art. 12.

Reformati, quòd pars Lutherana diſſentientes in iſto dogmate Reformatos, in communionem ſuam recipere, & tolerare nolit; ſed ipſis opinionem ſuam falſam, de amiſſibilitate Spiritus Sancti in juſtificatis, aut certè quam Reformati, conſcientiæ teſtimoniis convicti, in falſis habent, amplectendam & credendam obtrudat; & ad ſuam ſententiam, de cujus veritate convicti ſunt, abjiciendam, abnegandam, abjurandam cogat. Dicent, ſi ſententia Eccleſiæ Lutheranæ, à Muſæo declarata, in cauſa ſchiſmatis, quod eſt inter Lutheranorum, & Reformatorum Eccleſias, locum invenire debeat, neceſſe fore, ut Eccleſia Lutherana, & Doctores Lutherani, exutâ pelle leoninâ, induant ovinam, ut fulmen anathematis atque damnationis in Anabaptiſtas, & conſequenter Reformatos, ejaculatum, aboleant: ut ceſſent perſecutiones, proſcriptiones, aliæque violentiæ adverſus Reformatos & Anabaptiſtas exercitæ: & ut verbo dicatur, neceſſarium fore, ut abjecto odio in Reformatos & Anabaptiſtas virulento, & furore ac ſævitiâ depoſitâ, animum induant, qui Chriſtianos decet, mitem ſcilicet, manſuetum, veritatis amantem, charitate flagrantem. Quod ubi fecerint, Reformatorum pariter & Lutheranorum erit, de ipſo dogmate controverſo, ſitne creditu neceſſarium? inde de aliis, inter dictas Eccleſias controverſis, ſintne creditu neceſſaria omnia? an quædam? Et ſi quædam, quænam neceſſaria? quæ non neceſſaria ſint, diſpicere, & utriſque æquè incumbet, ut quæ in neceſſariis habeant, & quæ in non neceſſariis, ut cum mutuo diſſenſu, fide & charitate ſalvâ, ſtare poſſint, doceant, ſi ad unitatem & pacem Eccleſiæ reducendum, ſtudia & operam conferre velint, nec ullam, in hoc paſſu, prærogativam Lutherani ſibi præ Reformatis, imò nec præ Anabaptiſtis, arrogare poterunt, cùm ipſi æquè ac nos inter neceſſaria *neceſſitate medii*, & neceſſaria *neceſſitate præcepti*, id agnoſcant diſcriminis, quòd in his poſterioribus diſſenſus, ſi citrà malitiam, ex ignorantia invincibili proveniat, fidem & ſalutem non evertat; in prioribus autem diſſenſus, fide & ſalute ſalvâ, locum haud inveniat. Si verò Eccleſia Lutherana *damnationem* Confeſſionis Auguſtanæ porrò ratam habere velit, & doctrinam, *de amiſſibilitate Spiritus Sancti in juſtificatis*, nobis ſub jactura ſalutis credendam, obtendere, & ut eam amplectamur, veritatem oppoſitam autem abnegemus, abjuremus, execremur, urgere nos, & recuſantes à communione ſua repellere pergant: tùm totus orbis Chriſtianus perſpiciet, omnem cauſam ſacrilegi ſchiſmatis,

Digitized by Google

tis, inter Eccleſias Lutheranas & Reformatas, ſoli Lutheranæ tribuendam eſſe. Nos enim docemus, nullam doctrinæ partem, in Scripturis ſacris ſolidè fundatam, poſtquam in eis fundatam eſſe cognitum eſt, poſſe illæſâ conſcientiâ, & ſalute ſalvâ, negari, abjurari, damnari. Et cùm de doctrinâ noſtrâ, quæ eſt *de inamiſſibilitate Spiritus Sancti in juſtificatis*, certi ſimus, quòd in Scripturis ſacris ſolidè fundata ſit, jam illa nobis creditu neceſſaria eſt, neceſſitate ex parte objecti formalis ſpectatâ, nec poſſumus illam, illæſâ conſcientiâ & ſalute ſalvâ, negare, damnare, execrari, ut ſi inter nos & Lutheranos unitas Eccleſiaſtica aliter, quàm cum abnegatione veritatis agnitæ, vel certè cum abnegatione doctrinæ, de cujus veritate in conſcientiâ ſumus convicti, poſt inſtitutas in utriuſque partis fundamenta multiplices inquiſitiones, reduci nequeat, nullam diviſionem tam abominandam, nullum tormentorum genus tam crudele, nullam mortem tam ignominioſam & acerbam ducamus, quam non citiùs ferre animus verè fidelis & ἀνυπόκριτος, quàm prædictum in modum Eccleſiæ unitatem reſarcire debeat.

LXXIV. Vides, Muſæe, nos propriis ferè tuis verbis oſtendiſſe, quomodo Reformati vobis meritò objiciant, quod tu Catholicis immeritò. Docent cum Lutheranis Reformati: *Ob diſſenſum in doctrinæ capitibus, quæ non ſunt ſecundùm ſe ſimpliciter creditu neceſſaria, non eſſe deſerendam unitatem Eccleſiæ.* Lutherani adjiciunt hanc conditionem, Reformatis eandem poſtulantibus: *Si altera pars diſſentientem in communione ſua tolerare velit, eique ſuas opiniones falſas, aut certè quas alter conſcientiæ teſtimonio convictus in falſis habet, non amplectendas & credendas obtrudat, nec ad ſuam ſententiam, de cujus veritate convictus eſt, abjiciendam, abnegandam, abjurandam cogat.* Hinc concludunt Lutherani & Reformati contra Catholicos: *Quæ illorum ſententia, ſi in præſenti cauſa, ſchiſmatis, quod eſt inter Proteſtantium & Pontificias Eccleſias, locum invenire debeat, neceſſe erit, ut Pontifex & Clerus Pontificius, exutâ pelle leoninâ, induant ovinam, ut fulmina anathematum, à Patribus Tridentinis in omnes, qui à quibuſcunque ipſorum commentis diſſentiunt, ejaculata, aboleant.* Hucuſque conſentiunt cum Lutheranis Reformati, vel cum Reformatis Lutherani: nam quælibet fingunt, ut ſchiſmaticam ſuam ab Eccleſia Catholica ſeceſſionem incruſtent. Quando verò ipſis res eſt inter ſe, vel cum aliis, longè aliter modulantur; & non pudet illos à propriis regulis apertiſſimè variare. Petant Reformati, ut ſententia decretoria Auguſtanæ Con-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

feſſionis aboleatur: *Damnamus Anabaptiſtas* (& Reformatos) *qui negant ſemel juſtificatos poſſe amittere Spiritum Sanctum.* Dicant Reformati, obligari Lutheranos, ad tolerandos in hoc articulo diſſentientes; eiſque ſuam opinionem falſam, aut certè quam conſcientiæ teſtimonio convicti in falſis habent, teneri non amplectendam & credendam obtendere, nec ad ſuam ſententiam, de cujus veritate convicti ſunt, abjiciendam, abnegandam, abjurandam cogere. Cùm enim hoc ſit conforme conditioni, quam communi conſenſu conſtituerunt Lutherani & Reformati, non poſſe Lutheranos iſtius *damnationis* abolitionem denegare; qui alioquin *ad ipſam Eccleſiæ unitatem & pacem reducendam præcludent viam, ſeque hoc ipſo Schiſmaticorum omnium obſtinatiſſimos, & ſimul hypocritarum, qui mel in ore, fel in corde habent, qui ore unitatem & pacem profitentur, opere autem diviſionem ſectantur, peſſimos eſſe, ipſo facto oſtendent.* Hæc & ſimilia dicentibus, repetentibus, inculcantibus Reformatis; & quidem conformiter communi cum Lutheranis doctrinæ; num damnationem Confeſſionis Auguſtanæ aboleverunt Lutherani? Neutiquam: neque intendunt illam abolere; ut qui ſatis perſpiciant, ex paritate rationis, plura alia fore abolenda, & multarum ſectarum quaſi mundatione Lutheranam Eccleſiam in ſtagnum fœtidum variorum errorum eſſe commutandam. Reformati, in hoc negotio nihilò meliores ſunt Lutheranis: ſi enim à Reformatis petant Arminiani, ut tolerentur in paucis articulis diſſentientes, eiſque opiniones Reformatorum falſæ, aut certè quas conſcientiæ teſtimonio convicti in falſis habent, non amplectendas & credendas obtrudant, nec ad ſuam ſententiam, de cujus veritate convicti ſunt, abjiciendam, abnegandam, abjurandam cogant; quò pax Eccleſiarum, in doctrinâ ſecundùm ſe non ſimpliciter neceſſariâ, diſſentientium, poſſit coaleſcere: ideoque ulteriùs poſtulent damnationes aboleri; ac proteſtentur, niſi id fiat, à Reformatis ad ipſam Eccleſiæ unitatem reducendam omnem præcludi viam, ipſoſque per hoc Schiſmaticorum obſtinatiſſimos, & ſimul hypocritarum, qui mel in ore, dum Lutheranorum fraternitatem ſectantur, fel in corde habent, dum Arminianorum fraternitatem repudiant, qui ore unitatem & pacem reſpectu Lutheranorum, opere autem diviſionem reſpectu Arminianorum ſectantur, peſſimos eſſe, ipſo facto oſtendent: ſic, inquam, agentibus Arminianis, num abolentur Reformatorum damnationes? Neutiquam: neque intendunt eas abolere; ut qui ſatis perſpiciant inconvenientias inde ſecuturas.

Verba Muſæi. Ibid. n. 88. pag. 647.

LXXV. Quæ

LXXV. Quæ cum ita ſe habeant; doceantque Proteſtantes unanimiter, *Ob diſſenſum in doctrina capitibus, qua non ſunt ſecundùm ſe ſimpliciter creditu neceſſaria, non eſſe deſerendam unitatem Eccleſiæ*; Muſæus etiam fateatur; *De ſimpliciter neceſſariis difficile eſſe, quæ creditu ad ſalutem neceſſaria, & quæ non neceſſaria ſint, determinare, & diſſentire inter ſe Doctores Proteſtantium*: Idemque Muſæus non determinet unum ſolum articulum neceſſarium ſimpliciter, qui ex ſententia Eccleſiæ Lutheranæ ſit ſimpliciter neceſſarius, propter quem Lutherani receſſerint ab unitate Eccleſiæ Catholicæ: Quid reſtat? niſi ut dicamus, Lutheranos, per domeſticam regulam, ſibi præcluſiſſe viam ad omnes controverſias; quoniam conſtat, de neceſſariis eſſe neceſſariam quæſtionem, per quam tota cauſa evacuetur.

§. 13.

Friderici Spanhemii maledicta referuntur.

LXXVI. Dicit Spanhemius, ſe tractare materiam de capitibus fidei fundamentalibus; *In ordine ad Pontificios: ut fundamentales hæreſes in propatulo collocentur; cauſa juſta ſeparationis vindicetur; noviſſimorum Sophiſtarum ineptia videatur, frangatur audacia, ſophiſmata diluantur. Hac enim & ſimilia haud ita pridem illorum ex officina prodire*: Nunquam nos tentaſſe ex ſola Scriptura probare catalogum articulorum neceſſariorum; hîc mira eſſe diſſidia inter Reformatos; Reformatos nullum articulum neceſſarium allegare poſſe, propter quem indicaverint recedendum à communione Eccleſiæ &c. & *ſi qua iſtiuſmodi plura, inſulſa, puerilia, mulierculaorum terriculamenta.* *De Capit. fidei fundam. Diſp. 11 theſ. 5. pag. 5. Walenb. Exam. 1. §. 10. 12.*

LXXVII. *Reſp.* Conſideret lector, quæ ſcripſimus, & quæ ſcribit Spanhemius: deinde judicet, quo modo hinc inde certetur.

LXXVIII. Spanhemius: *Nova Sophiſtices examine ſuperſedere omninò potuiſſemus. Et debuiſſemus, adeò nihil hîc ſerium; illorum omnis diſputatio luſus, tela elumbia, frangenda non conatu, ſed contemptu. His ergò ſuas ſibi res habere juſſis*, &c. *Ibid. Theſ. 11. pag. 12.*

LXXIX. *Reſp.* Si noſtra contemptum mereantur, haud ægrè ferimus, noſtræ mediocritatis nobis conſcii.

LXXX. Spanhemius: *Accedunt Methodiſtæ Pontificii, qui nonnullis ſubinde hac quæſtione vexant, ſitnè in promptu* certus ac determinatus numerus *fundamentalium? Et quidem ex aliquo Scripturæ loco*, ubi ipſa dicat, totidem articuli ſunt neceſſarii, & præter eos non ſunt alii neceſſa- *Ibid. diſp. 3. Theſ. 3. pag. 4. Walenb. Exam. 1. §. 7. 8. 9. &c.*

Digitized by Google

ceſſarii? *Qui locus ſi deficiat, evicturos ſeſe miſeri Sophiſtæ putant: Scripturas non eſſe perſpicuas in articulis neceſſariis; non eorum eſſe ſufficientem normam; tamdiu non conſtare cauſam juſtam ſeceſſionis à Papatu; opus eſſe judice viſibili id certò & infallibiliter determinante*, &c.

LXXXI. *Reſp*. Novo nos titulo, miſerorum Sophiſtarum, compellat Spanhemius: narratio enim ipſius iſto indigebat fulcro. His miſſis, quæ ſufficit retuliſſe, progrediamur.

§. 14.

Qualis ſit diſtinctio Lutheranorum & Reformatorum, de articulis neceſſariis, & non neceſſariis fidei & morum.

LXXXII. Hactenùs oſtendimus, quid adverſarii ſentiant de articulis fundamentalibus ſeu neceſſariis: & ſimul evicimus, ex eo ſolo fundamento præcludi viam Lutheranis & Reformatis ad omnes & ſingulas controverſias particulares, tàm affirmativis, quàm negativis terminis propoſitas, eaſque prorſus deſtrui.

LXXXIII. Nunc cominùs videndum eſt, qualis ſit ea diſtinctio. Pars una eſt, articulos neceſſarios eſſe in ſola Scriptura. Altera, errorem in articulis non neceſſariis, non tollere veram Eccleſiam, nec propter eos unitatem eſſe deſerendam.

LXXXIV. Quoad prius; neſcimus quo fundamento doceant adverſarii, omnes articulos neceſſarios eſſe in ſola Scriptura; qui nunquam ex ſola Scriptura tentarunt probare catalogum neceſſariorum articulorum. Undè etiamſi in Novo Teſtamento legeretur; omnes articulos neceſſarios eſſe in Scriptura: non tamen ex tali teſtimonio probaretur adverſariorum principium, donec oſtendiſſent ex ſola Scriptura, quinam eſſent articuli neceſſarii. Cùm enim doceant; Articulos neceſſarios eſſe clarè & perſpicuè in Scriptura; illud ipſum probandum eſſet, Articulos neceſſarios eſſe clarè & perſpicuè in Scriptura. Quomodo autem articuli neceſſarii erunt clarè & perſpicuè in Scriptura, ſi hæc non dicat clarè & perſpicuè, quinam ſint articuli neceſſarii. Quòd ſi Scriptura clarè & perſpicuè diceret, quinam ſint articuli neceſſarii; tunc vel adderet, non eſſe alios neceſſarios; & ſic haberemus catalogum perfectum articulorum neceſſariorum ex ſola Scriptura: vel certè hoc Scriptura non adderet, non eſſe

Digitized by Google

eſſe alios neceſſarios; & ſic non determinaret, quinam ſint articuli neceſſarii, à quibus dependet vita & mors Eccleſiæ, & propter quos ſolos amplectenda conſervandaque ſit unitas; vel certè repudianda fugiendaque communio.

LXXXV. Illud igitur adverſariis incumbit probandum, Scripturam clarè & evidenter docere; Quinam ſint articuli neceſſarii; quod eos non eſſe tentaturos, quilibet videt. Cùm enim tanta ſit, & inter Lutheranos, & inter Reformatos, ſententiarum diverſitas, in deſignandis articulis neceſſariis; quis, vel ex hac diſſenſione, non videat clarè & perſpicuè, articulos neceſſarios non eſſe clarè & evidenter in Scriptura.

LXXXVI. Et rurſùm, cùm Scriptura non determinet, quinam ſint articuli neceſſarii: unde ſcient Lutherani & Reformati, quinam ſint articuli non neceſſarii? unde probabunt, hos aut illos errores non eſſe fundamentales? undè decernent, communionem propter tales errores non eſſe repudiandam, vel deſerendam? Qui ſibi perſuadet, hæc in Sacra Scriptura contineri, nonne longiſſimè aberrat non tantùm à veritate, ſed etiam à ſenſu communi? Num judicandum eſt de controverſiis fidei ſecundùm articulos neceſſarios, æquè vel magis controverſos? Num diſcernenda eſt vera Jeſu Chriſti Eccleſia, à ſchiſmaticis & hæreticis factionibus per normam adeò dubiam & ambiguam, cujus dilatandæ, & coärctandæ arbitrium Doctores ſinguli ſibi vendicant? cujus extendendæ, & contrahendæ facultatem, quilibet de plebe uſurpat? Vultne Deus inter cives & hoſtes Eccleſiæ ſuæ dignoſci per teſſeram, quam ſibi quiſque pro libitu, vel judicio ſuo fingit, & pro affectu mutat?

LXXXVII. Libet hîc unumquemque adverſariorum verbis S. Hilarii convenire: *Qui poſtquam nova potiùs cœpit condere, quàm accepta retinere, nec vetera defendit, nec innovata firmavit, & facta eſt fides temporum potiùs, quam evangeliorum: dùm & ſecundùm annos ſcribitur, & ſecundùm confeſſionem Baptiſmi non tenetur. Periculoſum nobis admodum, atque etiam miſerabile eſt, tot nunc fides exiſtere, quot voluntates: & tot nobis doctrinas eſſe, quot mores.* *Ad Conſtant. lib. 3. col. 307. f.*

§. 15.

Spanhemii calumnia & objectio refertur & refutatur.

LXXXVIII. Dicit: *Cavillantur, & mentiuntur, non probant ex Scri-* *De Capit. fid. diſp. 3. theſ. 5. pag. 8.*

Scripturis poſſe, quinam ſint articuli non neceſſarii, *qui* errores fundamentales, propter quos communio ſit repudianda, vel deſerenda, &c. *Hactenus enim ſufficienter id præſtamus, ſi oſtendimus tales eſſe*, I. qui *ἄγραφοι*, *&* præter *Scripturas obtruſi*, Matth. 15. 9, Gal. 1. 8. 1 Cor. 4. 6. II. *qui ἀντίγραφοι*, *& expreſſis Scripturis* contrarii, *quales*; *v.g. de cultu imaginum* Exod. 20. 5. *adoratione creaturarum*, Mat. 4. 2. III. qui *ἀντιφατικοὶ & neceſſariis articulis* contradictorii, *eoque exitiales*; *v.g. juſtificari operum merito*, *contrà* Rom. 3. 23. & 11. 6. *Sanctos eſſe mediatores*, *contrà* 1 Tim. 2. 5. *ſalvari nos aliàs quàm per ſanguinem Chriſti*, *contrà* Rom. 3. 24. Act. 4. 12. &c.

LXXXIX. *Reſp.* Quia Spanhemius, in civitate Principis Electoris degens, nobis improperat mendacium, rogamus Sereniſſimum Principem ne virum iſtum properè dimittat, qui etiamnum aliquot luſtris videtur indigere, ut vel modicum urbanitatis & civilitatis addiſcat. Reddat ei Dominus benedictionem pro maledicto.

XC. Aſſerit, I. Reformatos ſufficienter deſignare errores fundamentales Eccleſiæ Catholicæ, propter quos ejus communio ſit deſerenda; & nominat *articulos non ſcriptos, & præter Scripturas obtruſos.* Sed nos non credimus, hanc eſſe ſententiam Eccleſiæ Reformatæ; propter articulos non ſcriptos, & præter Scripturas obtruſos, fuiſſe deſerendam unitatem Eccleſiæ Catholicæ. Non agitur cauſa Spanhemii contrà nos; ſed Eccleſiæ Reformatæ contrà Eccleſiam Catholicam. Quamdiu nobis non conſtat, eam eſſe ſententiam Eccleſiæ Reformatæ; non eſt operæ-pretium reſpondere, ne fortè dimiſſâ cauſâ publicâ, privata videatur fuiſſe aſſumpta. Probet igitur Spanhemius, iſtam eſſe ſententiam Eccleſiæ Reformatæ.

XCI. Deinde, quamvis non teneamur probare, iſtam non eſſe ſententiam Eccleſiæ Reformatæ; oſtendemus tamen planiſſimè, iſtam ejus Eccleſiæ ſententiam eſſe non poſſe. Quicunque nobiſcum credunt, validum eſſe apud hæreticos collatum baptiſmum; nec tamen ullâ probatione, evidenti & neceſſariâ, ex S. Scripturis petitâ, ad hoc credendum inducuntur; non poſſunt ſtatuere, eſſe errorem fundamentalem, propter quem communio Eccleſiaſtica ſit deſerenda, ſi quis credat articulos non ſcriptos. Sed Reformati nobiſcum credunt, validum eſſe ab hæreticis collatum baptiſmum; nec tamen ullâ probatione, evidenti & neceſſariâ, ex S. Scripturis petitâ, ad hoc credendum inducuntur. Ergò Reformati non poſſunt ſtatuere, eſſe errorem fundamentalem, propter quem communio Eccleſiaſtica ſit deſe-

deſerenda, ſi quis credat articulos non ſcriptos. Iterùm: Quicunque nobiſcum credunt, in adminiſtratione baptiſmi pronuncianda eſſe certa verba, ſine quibus pronunciatis baptiſmus non ſit validus; nec tamen ullâ probatione, evidenti & neceſſariâ, ex S. Scripturis petitâ, ad hoc credendum inducuntur; non poſſunt ſtatuere, eſſe errorem fundamentalem, propter quem communio Eccleſiaſtica ſit deſerenda, ſi quis credat articulos non ſcriptos. Atqui prius nobiſcum Reformati credunt. Ergò poſterius ſtatuere non poſſunt. Iterum: Quicunque nobiſcum credunt, diem Dominicum eſſe ſanctificandum; nec tamen ullâ probatione, evidenti & neceſſariâ, è Sacris Scripturis petitâ, ad hoc credendum inducuntur; non poſſunt ſtatuere, eſſe errorem fundamentalem, propter quem communio Eccleſiaſtica ſit deſerenda, ſi quis credat articulos non ſcriptos. Atqui prius nobiſcum Reformati credunt. Ergò poſterius ſtatuere non poſſunt.

XCII. Pergamus: Illi omnes errant fundamentaliter, eorumque communio eſt deſerenda, qui credunt articulos non ſcriptos; ſi verus Spanhemius. Sed Eccleſia Reformata credit articulos non ſcriptos: prout oſtenſum eſt. Ergò Eccleſia Reformata errat fundamentaliter, ejuſque communio eſt deſerenda; ſi verus Spanhemius. Iterum: Illi errant fundamentaliter, eorumque communio eſt deſerenda, qui credunt articulos non ſcriptos; ſi verus Spanhemius. Sed Calvinus, tenens Sacramentum Ordinis; & ſtatum animarum Sanctarum in atrio, uſque ad diem judicii, credidit articulos non ſcriptos; fatentibus Reformatis. Ergò Calvinus erravit fundamentaliter, ejuſque communio fuit deſerenda.

XCIII. Conſideremus & Scripturas, quas allegat. Primus locus eſt: *ſine cauſa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.* *Matt. 15. 9.* *Reſp.* Non legimus hîc: Eſſe errorem fundamentalem, propter quem communio ſit repudianda, vel deſerenda, ſi quis credat articulos non ſcriptos. Alter locus eſt: *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit.* *Galat. 1. 8.* *Reſp.* Neque hîc legimus; Eſſe errorem fundamentalem, propter quem communio ſit repudianda, vel deſerenda, ſi quis credat articulos non ſcriptos. Tertius locus eſt: *Hæc autem, fratres, transfiguravi in me & Apollo, propter vos: ut in nobis diſcatis, ne ſuprà quàm ſcriptum eſt, unus adverſus alterum infletur pro alio.* *1 Cor. 4. 6.* *Reſp.* Sed neque hîc legitur; Eſſe errorem fundamentalem, propter quem communio ſit repudianda,

vel deſerenda, ſi quis credat articulos non ſcriptos. Vide *Controv. de Tradit.*

XCIV. Spanhemio proindè incumbit ex iſtis locis, ſaltem per conſequentiam omnibus evidentem & neceſſariam probare, Eſſe errorem fundamentalem, propter quem communio ſit repudianda, vel deſerenda, ſi quis credit articulos non ſcriptos. Meminerit autem, eſſe quæſtionem de articulis non ſcriptis, quos Catholici credunt ex Verbo Dei non ſcripto. Caveat etiam ſibi à Sophiſmaticis; ne qui temere reprehendit, verè mereatur reprehendi.

XCV. Aſſerit II. Reformatos ſufficienter deſignare errores fundamentales Eccleſiæ Catholicæ, propter quos ejus communio ſit deſerenda; dicitque *tales eſſe, qui ἀντίγραφοι, & expreſſis Scripturis contrarij, quales v. g. de cultu imaginum Exod. 20, 5. adoratione creaturarum, Matth. 4. 2.*

XCVI. *Reſp.* Si hæc probatio debeat ſubſiſtere, formandum erit tale argumentum: Quicunque credunt aliquid expreſſis Scripturis contrarium, ii errant fundamentaliter, eorumque communio eſt deſerenda. Sed Catholici credunt aliquid expreſſis Scripturis contrarium. Ergò Catholici errant fundamentaliter, eorumque communio eſt deſerenda. In hoc ſyllogiſmo non credimus majorem propoſitionem eſſe veram, ex ſententia Eccleſiæ Reformatæ. Probet Spanhemius, ex ſententia Eccleſiæ Reformatæ; Quod quicunque credunt aliquod expreſſis Scripturis contrarium, errent fundamentaliter, eorumque communio ſit deſerenda. Inſtruat nos Spanhemius ſuper hac veritate, ex ſententia Eccleſiæ ſuæ. Et ne fortè bilem ſuam (quæ videtur abundans, & facilè mobilis) in nos iterùm effundat; ecce damus rationem petitionis noſtræ. Reformati communiter tenent, ſententiam, de reali præſentia Chriſti in SS. Euchariſtia, expreſſis Scripturis, maximè de ſeſſione Chriſti ad dexteram Patris uſque ad finem ſeculi, agentibus, eſſe contrariam. Indè autem emergit tale argumentum: Quicunque communiter tenent, ſententiam de reali præſentia Chriſti in SS. Euchariſtia, eſſe expreſſis Scripturis contrariam; nec tamen aſſerunt, Lutheranos, eam ſententiam credentes, errare fundamentaliter, aut eorum communionem propter eà eſſe repudiandam: ii non poſſunt docere, quòd quicunque credunt aliquid expreſſis Scripturis contrarium, errent fundamentaliter, eorumque communio ſit deſerenda. Sed Reformati communiter tenent, ſententiam de reali præſentia Chriſti in SS. Eucha-

chariſtia, eſſe expreſſis Scripturis contrariam; nec tamen aſſerunt, Lutheranos, eam ſententiam credentes, errare fundamentaliter, aut eorum communionem eſſe propterea repudiandam. Ergò ii non poſſunt docere, quod quicunque credunt aliquid expreſſis Scripturis contrarium, errent fundamentaliter, eorumque communio ſit deſerenda. Et rurſum, ſi ponatur vera Spanhemii doctrina, emerget tale argumeutum: Quicunque credunt aliquid expreſſis Scripturis contrarium, ii errant fundamentaliter, eorumque communio eſt repudianda. Sed juxtà Reformatorum communem ſententiam, Lutherani credunt aliquid expreſſis Scripturis contrarium: uti dictum eſt. Ergò juxtà Reformatorum communem ſententiam, Lutherani errant fundamentaliter, eorumque communio eſt repudianda. Si hæc concluſio placeat Spanhemio; vel fruſtrà, vel non ſincerè laborabit, pro fraternitate inter Lutheranos & Reformatos ſtatuenda.

XCVII. Exempla quod attinet, de cultu imaginum, & adoratione creaturarum; neque hîc credimus, eſſe ſententiam Eccleſiæ Reformatæ, omnes illos, qui venerationem tribuunt imaginibus, & creaturis, errare fundamentaliter, & eorum communionem eſſe deſerendam, vel repudiandam. Nam Eccleſia Græca æqualem tribuit venerationem imaginibus, & creaturis cum Latina, & tamen communiter ſtatuunt Reformati, Eccleſiam Græcam non errare fundamentaliter, neque ejus communionem eſſe repudiandam, ſiquidem obtineri poſſet.

XCVIII. Quid hoc eſt, Spanhemi, niſi errores fundamentales fingere, & refingere ad libitum cujuſque Doctoris privati, tanquam judicis orbis terrarum; & quidem tantâ inconſtantiâ, ut idem prætenſus error ſit fundamentalis in his, non ſit fundamentalis in iſtis, pro affectu, vel odio præſumptuoſè determinantis?

XCIX. Textum *Exod.* 20. 5. non invenimus contrarium doctrinæ Catholicæ de veneratione imaginum: neque textum *Matth.* 4. 11. contrarium doctrinæ Catholicæ de veneratione creaturarum. Probet idipſum Spanhemius. Vid. contr. *de Imaginib. Sanct.*

C. Aſſerit III. Reformatos ſufficienter deſignare errores fundamentales Eccleſiæ Catholicæ, propter quos ejus communio ſit deſerenda, oſtendendo articulos, *qui ἀντιφατικοὶ & neceſſariis articulis* contradictorii, *eoque exitiales; v. g. juſtificari operum merito, contra*

Rom. 3. 23. & 11. 16. *Sanctos eſſe mediatores, contrà* 1 Tim. 11. 5. *ſalvari nos aliàs quàm per ſanguinem Chriſti, contrà* Rom. 3. 24. Act. 4. 12.

CI. *Reſp.* Qui Eccleſiam Catholicam erroris fundamentalis accuſant, neceſſe habent talem errorem ponere, qui ex ſententia Eccleſiæ Reformatæ ſit fundamentalis; ac deinde demonſtrare, prætenſum illum errorem ab Eccleſiâ Catholicâ de facto doceri. Si enim poſitus error non ſit fundamentalis; ex ſententiâ Eccleſiæ Reformatæ; non agetur cauſa Eccleſiæ Reformatæ, contra Catholicam; ſed tantùm privati contra Eccleſiam Catholicam; quam viam cum eo ingredi, qui ſeſe membrum Eccleſiæ Reformatæ profitetur, non eſt operæ-pretium. Pariter, ſi prætenſus error propoſitus, de facto non docetur ab Eccleſia Catholica, ſed fortè ab aliquo privato; non agetur cauſa Eccleſiæ Reformatæ, contra Catholicam; imò nec Eccleſiæ Reformatæ, quæ fatetur, ſe propter errores hujus, aut illius privati ab communione Eccleſiæ Catholicæ non receſſiſſe: nec agetur contrà Eccleſiam Catholicam, quæ ſententiam cujuſque privati non facit ſuam, ſed contrà privatum. Tales ergò cauſæ privatorum contrà privatos, non pertinent ad cauſam Eccleſiæ contrà Eccleſiam. His in genere obſervatis,

CII. Primùm objicitur nobis articulus, tanquam articulo neceſſario contradictorius, eoque exitialis, *juſtificari operum merito.* Sed laudabiliter feciſſet Spanhemius, ſi poſitâ ſententiâ Eccleſiæ Reformatæ, & noſtram poſuiſſet, indeque ad probandam contradictionem tranſiviſſet. Quantum colligimus ex textibus allegatis, agit Spanhemius de prima juſtificatione, quâ ex peccatore fit juſtus, non autem, quâ ex juſto fit juſtior. Reſpondendo igitur ad objectum errorem fundamentalem & exitialem, negamus Eccleſiam Catholicam docere, peccatorem *juſtificari operum merito.* Doceat Spanhemius, id doceri in aliquo Concilio Generali, vel haberi ex praxi univerſæ Eccleſiæ Catholicæ. Fruſtrà pugnatur textibus Scripturæ, non habito legitimo adverſario, contrà quem pugnetur. Vide *Tract. de Iuſtific.*

CIII. Deindè objicitur nobis articulus, tanquam articulo neceſſario contradictorius, *Sanctos eſſe mediatores, contra* 1 Tim. 2. 5. Etiam hîc laudabiliter feciſſet Spanhemius, ſi noſtram ſententiam propoſuiſſet ex aliquo Concilio Generali, vel ex praxi univerſali Eccleſiæ Catholicæ: quia autem hoc nec potuit, nec poterit; negamus,

mus, iſtam propoſitionem; *Sanctos eſſe mediatores*; eſſe doctrinam Eccleſiæ Catholicæ. Vide *Controv. de Cult. Sanct.*

CIV. Tertiò objicitur, quod ſit articulo neceſſario contradictorium, docere, *ſalvari nos aliàs quàm per ſanguinem Chriſti, contra* Rom. 3. 24. Act. 4. 12. Sed hæc objectio non eget refutatione, quando Spanhemius tribuit eam ſententiam Vaſquio, Panigarolæ, & aliis particularibus: cùm tamen non niſi ſententiam Eccleſiæ Catholicæ debuiſſet allegare, ſi quidem Eccleſiæ Reformatæ cauſam egiſſet ſeriò.

CV. Non lubet ad plura procedere, donec de prædictis oſtenderit Spanhemius ſententiam Eccleſiæ ſuæ, & ſententiam Eccleſiæ noſtræ; vel certè faſſus fuerit, ſe illud præſtare non poſſe.

§. 16.

Cur adverſarii doceant diſtinctionem de articulis neceſſariis & non neceſſariis.

CVI. Lutherani & Reformati, cùm adverterent novam doctrinam, & ſeceſſionem ſuam ab Eccleſia Catholica ſuſpectam fore, niſi diſſenſionem ſuam à Sanctis Patribus, quorum à multis ſæculis confirmata erat authoritas, excuſarent; doctrinam de articulis neceſſariis utiliſſimam æſtimarunt; quâ ſuſtinerent, ſe convenire cum Sanctis Patribus, quamvis hi (uti volunt adverſarii) in multis, ad ſalutem non neceſſariis, deviaſſent à veritate.

CVII. Et quamvis hanc rationem ipſo opere demonſtrent; non tamen ſuſtinemus, eam ſolam, aut præcipuam fuiſſe. Interim ab æquitate recedunt, cum quæ in Sanctis Patribus nævos, aut ſtipulas vocant, in Catholicis ſuperſtitionis & idololatriæ arguunt.

CVIII. Altera ratio videtur eſſe, ne majoribus ſuis, qui in Catholica Religione obierant, præciperent æternæ vitæ poſſeſſionem. Ita enim aliqui dicunt, omnes eos in ſua religione obiiſſe, qui omnem ſpem ſuam & fiduciam collocarunt in meritis Chriſti Jeſu, etiam S. Bernardum, S. Franciſcum, & alios: quamvis in multis erraverint.

CIX. Verùm nec hæc ratio ipſis patrocinatur: tùm quia nullibi dicit Scriptura, quinam articuli ſint neceſſarii, & præter quos non ſint alii neceſſarii; tùm quia eo ipſo ſatis indicant, ſe immeritò receſſiſſe

ceſſiſſe ab unitate fidei Catholicæ, in qua poterant ſalvari.

CX. Tertia ratio poteſt eſſe; quia prævidebant futurum, ut recedentes ab unitate fidei Catholicæ, difficulter impedirent ulteriores diviſiones. Cur enim quod Luthero videbatur licitum, non eſſet integrum ejus ſucceſſoribus? Nulla igitur via erat expeditior, quàm in paucis articulis conſtituere neceſſitatem & integritatem fidei; eoſque ipſos articulos non ita determinare, quin ſucceſſoribus eſſet liberum addere vel minuere. Si poterant ſperare, nullam fore rationem diviſionis, ubi nullum erat fundamentum unitatis.

CXI. At nec eâ ratione obtinuerunt intentum: & oſtendunt, ſe non receſſiſſe ab unitate Eccleſiæ Catholicæ, propter articulos, quos dicunt neceſſarios; cùm de iis certi habeant nihil, & totam fidem ſuam liberæ, & mutabili credulitati permittant.

CXII. Quarta ratio poteſt eſſe; quod cùm ita columbæ egreſſi eſſent ex arca Noë; nec inveniſſent ubi requieſcerent pedes, tùm inter vagos, & inſtabiles ſpiritus interni motus, tùm inter fluctuantes propriâ perſuaſione fidelium mentes, excogitato commento ſibi, aliiſque fidelibus voluerint ſatisfactum. Hoc autem quomodo ſucceſſerit, præſenti tractatu conamur aperire.

CXIII. Quinta ratio poteſt eſſe; quod putaverint diviſionem juſtificandam, vel improbandam ex gravitate erroris fidei. Cùm tamen non præcipuè erroris gravitas, ſed diviſionis levitas vertatur vitio. Qui Regi ſuo ex levi cauſa reſiſtit, & diviſionem Regni molitur, inter omnes vel maximè cenſetur læſæ Majeſtatis reus. Qui unitatem Eccleſiæ ex levi fundamento proſcindit; nequit juſtificare diviſionem ſuam ex ſervatis intactè neceſſariis; cùm hoc imprimis neceſſarium ſit, non facere ſchiſma, & unitatem Eccleſiæ illibatam ſervare.

§. 17.

Spanhemius impugnat §. præcedentem.

De Capit. fid. diſp. 1. theſ. 6. pag. 6.

CXIV. Ad primam rationem dicit Spanhemius: *Reſpondeo ego* I. *hunc uſum colligi ex noſtrorum ſcriptis, vel* expreſſè, *vel per* conſequentiam. *Si prius, cedo mihi authores: ſi poſterius, ne noſtras, quæſo, nobis vitio vertant Sophiſtæ conſequentias.* II. *Supponitur falsò tanti nobis eſſe* authoritatem *Patrum, ut habeat rationem* normæ & menſuræ *in dogmatis fidei: unde* diſſenſionem *noſtram, excogitato (ut volunt) commento,* excu-

ſare

ſare neceſſe habeamus. III. *Precariò etiam nimis, doctrinam Reformatorum &* novitatis *&* diſſenſus *ab Eccleſiaſtica antiquitate criminantur.* Imò *quî* nova doctrina *eſt? quî* diſſentiens *à ſanctis Patribus?* quæ convenire *cum iiſdem* in neceſſariis *demonſtratur.* IV. *Ordine inverſo, & mutatis nominibus, & ironicis vocibus, hoc voluerunt Sophiſta: Præter uſus alios iſtius diſtinctionis hunc urgere Reformatos: ut pateat* diſſenſio novæ doctrinæ (*ſc. Hildebrandinæ & Pontificia*) à ſanctis Patribus (*multò magis à ſanctis Scripturis*) in neceſſariis,& fundamentalibus *religionis. in quantum ea ſcilicet, partim fundamentali errore, partim idololatrico cultu, ſubvertunt & peſſundant. Quod ſi neſciunt, infrà ſane erunt edocendi.*

CXV. *Repl.* ad I. Iſtam rationem poſuit Philippus Eilbrachtus; *Via compend. cap. 4. pag. 65.* nec, ad Calviniſmum relapſus, in Epanorthoſi ſua illam retractavit. Deindè, non ſequitur: Catholici utuntur conſequentiis, ad proponendam Reformatorum mentem. Ergò Reformatis licet uti conſequentiis, ad ſufficienter probandos articulos fidei. Proba, ſi poſſis, hanc ſequelam: ſed cave ſophiſticam. Poſteà; nemo vitio vertit Reformatis, quod utantur conſequentiis. Quomodo ſequitur? Nos vitio vertimus Reformatis, quod utantur conſequentiis ad ſufficienter probandam fidem. Ergò nos vitio vertimus Reformatis, quod utantur conſequentiis. Proba, ſi poſſis, hanc ſequelam; ſed cave ſophiſma, à dicto ſecundùm quid, ad dictum ſimpliciter.

CXVI. *Repl.* ad II. Non ſupponitur in ratione noſtra, Patrum authoritatem habere rationem *normæ & menſuræ*; ſed tantùm authoritas ſupponitur, abſtrahendo ab eo, quouſque ſe ea authoritas extendat. Proba hanc ſequelam: Nos ſupponimus authoritatem Patrum. Ergò nos ſupponimus authoritatem Patrum, quæ habet rationem normæ & menſuræ. Reſponde, ſi poſſis: ſed noli implorare miſeram Sophiſticam. Deindè, etiamſi ſuppoſuiſſemus authoritatem Patrum, tanquam habentem rationem normæ & menſuræ ſecundariæ; reſpectu articulorum neceſſariorum; non ideò falſum ſuppoſuiſſemus, vel quod ipſi Reformati, quoad rem, non fatentur? Poſteà: quis dixit, Reformatos neceſſe habere, ut diſſenſionem ſuam, *excogitato commento* excuſent? Non ſumus uſi illis verbis ad rationem primam, quæ eſt *Num.* CIV. ſed ad rationem quartam, quæ eſt *Num.* CX. Ergo Spanhemius, qui falſò aſſerit, nos falſum ſupponere, fidelitatem non præſtat.

CXVII. *Repl.* ad III. Quomodo precariò criminamur doctrinam Reformatorum novitatis, qui originem ejus ad multa poſt

Chriſtum ſecula, in variis articulis, oſtendimus referendam? Quomodo diſſenſum ab Eccleſiaſtica antiquitate criminamur, qui diſſenſum iſtum in multis articulis exhibuimus? Jactat Spanhemius, ſuam doctrinam convenire cum Patribus in neceſſariis: cùm tamen hucuſque non docuerit, nec alius ante ipſum docuerit, quinam, ex ſententia Eccleſiæ Reformatæ, ſint articuli neceſſarii. Eccleſia Reformata hanc uſque in diem non determinavit articulos neceſſarios; & tamen, ſi verus Spanhemius, articuli neceſſarii Eccleſiæ Reformatæ conveniunt cum articulis SS. Patrum neceſſariis.

CXVIII. *Repl.* ad IV. Quod hîc declamat Spanhemius, pertinet ad rhetoricam maledicentiæ; in qua palmam meretur, præ multis aliis.

Ibid. Theſ. 7. pag. 7. CXIX. Ad alteram rationem §. præcedentis, dicit Spanhemius I. *Rectè jam, & ut ingenuos diſputatores decuit, hunc præter alios uſum obſervant. Vt quid de illis ſit ſentiendum conſtet, qui medio in* Papatu, *ante noviſſimam ſeceſſionem & Reformationis tempora vixêre.* II. *Rectiſſimè etiam, non* præcipere nos æternæ vitæ poſſeſſionem, *majorum noſtrorum iis, qui* in Catholica religione, *id eſt fundamentali & Catholica fide, omnibus ſemper & ubique ad ſalutem neceſſaria*, obiêre. III. *Falſum nos idem ſentire de illorum æterna felicitate, ſaltem ad normam revelationis, qui in* Pontificia religione, *id eſt, in errore fundamentali, cùm theorico, tùm practico; in profeſſione graviſſimarum hæreſeon, & praxi idololatrici cultus, pertinaces* obiêre. IV. *Supponitur gratis*, Catholicam *religionem, &* Pontificiam, *eſſe terminos convertibiles. Niſi Catholicos ſe eſſe velint* ψευδωνύμως *&* καταχρηστικῶς *& quoad* nomen: *Acatholicos certè* κυριολέκτως, univocè *& quoad* rem. V. *Supponitur eodem jure,* obiiſſe in Catholica, *id eſt* Pontificia *religione, quotquot ex majoribus noſtris ſub Papatu vixêre. In illa multi quoad communionem* externam, *non* internam; *ratione* loci *&* habitationis, *non* fidei *&* profeſſionis; κατὰ τὸ φαίνεσθαι *& ſecundùm* dici, *non* κατὰ τὸ εἶναι, *& ſecundùm* eſſe. *Multi, qui ſub jugo libertatem ſpirantes gemuêre: multi, qui errores ſive apertè improbarunt ſive tacitè: multi, qui retento fundamento, ſuperinædificatum omne rejecerunt: plurimi, qui ſuperſtructis licèt ſtipulis, lignis, fœno;* omnem ſpem ſuam & fiduciam, in meritis Chriſti Jeſu, *ut fatentur Sophiſtæ*, collocarunt. VI. *Nec quadrat hîc admodùm exemplum* Franciſci, *blaſphemæ & impuriſſimæ ſectæ conditoris: opportuniùs fortè illud* Bernardi *Clarevallenſis*, Petri *Abbatis*, Ruperti *Tuitienſis, &c. aliorumque magno numero & illius & ſequentis ætatis. Ne de* Toloſanis, Berengarianis,

Digitized by Google

rianis, Waldenſibus, Albigenſibus, Wiclefianis, Huſſitis, *talibus ſive in occulto, ſive in propatulo, hoc dicam in loco.*

CXX. *Repl.* ad I. Gratias debemus Spanhemio de commendatione hujus rationis. Ad II. ſemotâ æquivocatione, non opus eſt quicquam reponere. Cætera omnia non merentur hoc loco diſcuſſionem, quod ferè omnia alibi tractaverimus.

CXXI. Ad tertiam rationem §. præcedentis dicit Spanhemius *Ibid. Theſ. 8. pag. 8.* I. *Secundùm iſtos, urgemus* fidei fundamentalia, *quia receſſimus ab unitate* fidei Catholicæ, *id eſt certè*, fidei fundamentalis. II. *Neceſſaria* ſeparatio, *& præcepti divini, ab Eccleſia errante, & errori addente pertinaciam, ex ſe futura erat cauſa* ulteriorum diviſionum? *idque* prævidebant *Reformati.* III. *Hinc conſtituerunt illi integritatem fidei* in paucis articulis, *quia ſcil. non in pluribus, quàm quæ exhibent Symbola, Confeſſiones, Catecheſes? quia non in omnibus Romanæ Eccleſiæ* definitionibus, *ubi Papa, ſic volo, ſic jubeo? quia non in omnibus Tridentinorum* anathematiſmis. IV. *Nullâ etiam ratione* determinamus *articulos fidei? nempe* qui *ſint*, quæ credenda *juxtà Scripturas.* V. *Fundamentalia nos etiam* augeri, *vel* minui (*Pontificiorum in morem*) *permittimus? Nullumque nobis eſt* fundamentum unitatis? *qui unitatem in fide nullam eſſe pronunciamus, abſque totali & aperto conſenſu in fundamento? Sicque omne iſtud acumen tandem definit in vaniſſimas nugas, & ficta ſub imagine ſuas artes vulgant imprudentes.*

CXXII. *Repl.* I. Iſtam tertiam rationem, quam attulimus, etiam habet Eilbrachtus ſuprà citatus. Vigent Proteſtantes fidei fundamentalia: quia recedentes ab unitate fidei Catholicæ, quæ utique plus complectitur, quàm ſola fundamentalia, voluerunt in paucis articulis omnem fidem Catholicam eſſe conſtitutam. Ad II. Nec fuit neceſſaria ſeparatio, nec præcepti divini, nec ab Eccleſia errante, nec errori addente pertinaciam; prout omnes clamant ſchiſmatici, probant nulli; ſed temeraria & injuſta, contra præceptum divinum, ab Eccleſia, quæ juxtà promiſſiones divinas regebatur à Spiritu Sancto; cui quando Schiſmatici pertinaciam exprobrant, ſuam pertinaciam manifeſtant. Deinde, qui ex privato judicio de rebus fidei ſtatuunt, expectare debent, ut ſucceſſores eorum eandem licentiam uſurpent: cur enim non liceat Lutheranis poſterioribus, quod Luthero? cur non liceat Calviniſtis poſterioribus, quod Calvino? de arbitrio ſuo fidem innovare. Proteſtantes hoc prævidiſſe futurum, quis ambigat? Ad III. Conſtituerunt illi neceſſitatem fidei in paucis arti-

Digitized by Google

articulis: & quamvis fortè putent omnia contenta in Symbolis, Confeſſionibus, Catecheſibus, ad integritatem fidei pertinere; neminem tamen hucuſque legimus, qui aſſerat, omnia contenta in Symbolis, Confeſſionibus, & Catecheſibus, eſſe ad fidem neceſſaria. Ad IV. Quod Eccleſia Reformata non determinaverit articulos fidei neceſſarios, nempè qui ſint, & quæ neceſſariò credenda juxtà Scripturas; licet apertiſſimum ſit, neſcit tamen Spanhemius fateri. Ad V. Proteſtantes, nunc plures, nunc pauciores ponere articulos fundamentales, in propatulo eſt: ideoque nullum apud ipſos eſt fundamentum unitatis. Et quamvis fateantur, unitatem in fide nullam eſſe, abſque totali & aperto conſenſu in fundamento: quia tamen Eccleſia Reformata hucuſque totale fidei fundamentum non determinavit; quis ſibi perſuadeat, Reformatos in totali fidei fundamento convenire.

Ibid. Theſ. 9. Pag. 9. CXXIII. Ad quartam rationem §. præcedentis dicit Spanhemius I. *Gratis nimis Eccleſia Pontificia, cum* Arca Noë *componitur. Quæ* veræ *Eccleſiæ, non* Antichriſtianæ, *ſymbolum eſſe ſolet. Etiam Eccleſia* viſibilis, *in qua animalia colliguntur omnis generis*, munda & immunda. II. *Egreſſi ergò ſumus, non ex* Arca Noë, *ſed* ex Babylone, matre fornicationum, & abominationum terræ, *Apoc.* 17. 5. *quum jam eſſet facta* domicilium dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus impuri, & cuſtodia omnis volucris immundæ. *Apoc.* 18. 2. III. Egreſſus *alius ex* libertate, *aut* temeritate, *alius ex* juſtitia *&* neceſſitate. *Hæc iterum duplex eſt neceſſitas* juris & facti, *quatum utraque hìc concurrit ex æquo. Egrediendum fuit* de jure, *mandante & præcipiente Deo*, Apoc. 18. 4. 1 Joh. 5. 21. 2 Cor. 6. 14, 15, 16. Rom. 16. 17. Tim. 3. 10. Eph. 5. 2. *Etiam* de facto, *fugante nos Eccleſia Pontificia, & anathematiſantibus Tridentinis, & loco Concilii* liberi, Chriſtiani *&* univerſalis, *indicto Concilio* tyrannico, Antichriſtiano, particulari, *&* Papiſtico. IV. *Non ergò inſtar* columbæ *illius*, Gen. 8. 12. *ſed inſtar* mulieris parturientis, *fugata* in ſolitudinem Apoc. 12. 1. &c. *à Papatu diſceſſimus. In tantum* columbæ *illi non abſimiles, in quantum prætenſâ olivâ, pacem contendimus, & reformationem urſimus; in quantum etiam cum columba* dimiſſi *ſumus, & ire juſſi, præcluſâ ſpe omni ut reformationis, ſic conciliationis.* V. *Si non fuit* ubi requieſcerent pedes, *non id jam ex* inſtabilibus ſpiritus interni motibus, *quos noſſe ſolius Dei eſt, non ullius hominis: verum ratione acerbiſſimi exilii, & atrociſſimarum perſecutionum, graſſante in nos undique Beſtia, & ſæviente Dracone, & ſitiente*

Baby-

Babylone ſanguinem ſanctorum, & ſanguinem martyrum Ieſu. Apoc. 17. 6. *Vt non fuit, ubi cum Chriſto Domino*, caput reclinaret *Eccleſia. Quanquam cum Sulpitio*, L. II. *Hiſt.* non majore unquam triumpho vicimus, quàm cùm tot annorum ſtragibus vinci non potuimus. VI. *Quid hæc omnia ad diſtinctionem* fundamentalium à non fundamentalibus? *Niſi quatenus cauſabamur* fundamentales errores, *eoſque tum in doctrina, tum in cultu, tum in theoria tum in praxi. Quatenus etiam querebamur* non neceſſaria *pro* neceſſariis *conſcientiis obtrudi, ceremonias revocari, multiplicari obſervantias, aggravari jugum, humanas ſuggeri traditiones, imponi onera δυςβάςακτα, & libertatem Chriſtianam tolli & ſubverti.* VII. *Vbinam inter inſtabiles ſpiritus interni motus fluctuetur? in noſtra an Pontificia communione? Qui noſtrum fidelium animos erigant aut conſternant; conſcientias utri recreent, aut terreant, internos motus utri componant, aut foveant; quaſſatam arundinem utri erigant, aut confringant? Illine? negatâ applicatione ſpeciali, ſublatâ fiduciâ divinæ gratiæ, injecto metu purgatorii, ſacramentorum efficaciâ ab incerta miniſtri intentione ſuſpenſa, prompto ſolatio ab interceſſione humana, meritis Longini, aut Franciſci, &c. Noſne? conſcientiis intuitu divinæ gratiæ, ſufficientiſſimi meriti Chriſti, efficaciſſimæ interceſſionis, conſtantiſſimarum promiſſionum, &c. erectis, alterius diſquiſitionis eſt.* VIII. *Sed quo tandem* excogitato commento *compoſuimus illos fluctus? An factâ diſtinctione inter* fundamentalia & non fundamentalia? *Ergò* commentum eſt, *& quidem à nobis* excogitatum? *Atque ita nobis non commentum noſtrum, ſed ſomnium ſuum narrant, uti mox ex diſtinctionis origine & neceſſitate conſtabit.*

CXXIV. *Repl.* ad I. Verba ſunt, qualia quilibet Schiſmaticus proferat. Ad II. Omnes hæretici æquè prompti fuerunt in torquendis Scripturis contra Eccleſiam; ne viderentur ſine ratione inſanire. Scriptura loquitur de *Babylone, matre fornicationum, & abominationum terræ.* Ergò, per conſequentiam Spanhemianam, Romana Eccleſia eſt iſta. Scriptura loquitur de Babylone, quæ facta eſt *domicilium dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus impuri, & cuſtodia omnis volucris immundæ.* Ergò, per dialecticam Reformatam, hoc dictum eſt de Eccleſia Romana.

CXXV. *Repl.* ad III. Legitur Apoc. 18. 4. *Et audivi aliam vocem de cœlo, dicentem: Exite de illa populus meus: ut ne participes ſitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis.* Ergò, per conſequentiam Spanhemianam, Reformatis ab Eccleſia Romana egrediendum fuit de jure, mandante & præcipiente Deo. Legitur 1 Joan. 5. 21. *filio-*

Digitized by Google

li, cuſtodite vos à ſimulacris. Amen. Ergò, per conſequentiam, nulli medio termino innixam, Reformatis ab Eccleſia Romana egrediendum fuit de jure, mandante & præcipiente Deo. Legitur 2 Cor. 6. 14, 15, 16. *Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem conſenſus templo Dei cum idolis.* Ergò, per conſequentiam mirabilem, Reformatis ab Eccleſia Romana egrediendum fuit de jure, mandante & præcipiente Deo. Legitur Rom. 16. 17. *Rogo autem vos fratres, ut obſervetis eos, qui diſſenſiones & offendicula, præter doctrinam quam vos didiciſtis, faciunt; & declinate ab illis.* Ergò, per conſequentiam evidentem ſolis Reformatis oculis, Reformatis ab Eccleſia Romana egrediendum fuit de jure, mandante & præcipiente Deo. Legitur Tit. 3. 10. *Hæreticum hominem, poſt primam & ſecundam correptionem devita.* Ergò, per conſequentiam luce meridiana clariorem, Reformatis ab Eccleſia Romana egrediendum fuit de jure, mandante & præcipiente Deo. Legitur Eph. 5. 11. *Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite.* Ergò, per obviam ſolis cæcis conſequentiam, Reformatis ab Eccleſia Romana egrediendum fuit de jure, mandante & præcipiente Deo. Laſſaris, lector, has nugaces conſequentias legendo; & nos magis ſcribendo.

CXXVI. Sed videamus, an Spanhemius feliciùs probet, Reformatis ab Eccleſia Romana egrediendum fuiſſe de facto. Quo facto ſunt compulſi ad egreſſum? *fugante*, inquit, *nos Eccleſiâ Pontificiâ.* Ubi? quando? *& anathematizantibus*, inquit, *Tridentinis.* Itáne? an per anathemata Tridentina, poſt fugam veſtram, poſt innovatam doctrinam, poſt erecta ſchiſmatica conventicula, fugati eſtis? Num fugati eſtis, quia vobis judicibus, loco Concilii liberi, Chriſtiani, & univerſalis, indictum eſt tyrannicum, ut calumniamini, Antichriſtianum, ut maledictis, particulare, ut fingitis?

CXXVII. *Repl.* ad IV. Si pacem contendunt, qui diſſenſiones & offendicula, præter doctrinam quam didicerant fecerunt; qui horrendo ſchiſmate unitatem Eccleſiæ Chriſti diviſerunt; fatemur, & Lutherum, & Calvinum, & cæteros ſuperioris ſeculi novatores, fuiſſe admodum pacificos; & irreformabilis fidei admirandam urſiſſe reformationem.

CXXVIII. *Repl.* ad V. Iſta pertinent ad objectam tyrannidem corporalem; de qua latè egimus, *de Vnitate Eccl. lib. 6. Repl.* ad VI. Cau-

Digitized by Google

VI. Cauſantur Calviniſtæ *fundamentales errores, eoſque tum in doctrina, tum in cultu, tum in theoria, tum in praxi.* An ſpecimen Spanhemianum, quod ſuprà exhibuimus, ſit conveniens vaniſſimæ iſti jactationi, judicet lector. Quærebantur Calviniſtæ, *non neceſſaria pro neceſſariis conſcientiis obtrudi*, &c. ut ipſis ſcilicet judicibus, hoc eſſet neceſſarium, quod vellent, hoc non eſſet neceſſarium, quod nollent: uti & nunc conqueruntur, à Lutheranis non neceſſaria haberi pro neceſſariis; quaſi à Calviniſtarum querimonia articulorum fidei neceſſitas dependeret; quamvis ipſi Calviniſtæ querimoniam Arminianorum negligant, quâ dolenter ingeminant, à Calviniſtis non neceſſaria venditari pro neceſſariis. Ideò diximus *excogitatum commentum* diſtinctionis articulorum neceſſariorum, & non neceſſariorum, à quibus dependeat vita & mors Eccleſiæ: quia per illam quælibet Proteſtantium ſecta, & quilibet de ſecta, ſe conſtituit judicem orbis terrarum. § 15.

CXXIX. *Repl.* ad VII. Inquirit Spanhemius, *Vbinam inter inſtabiles ſpiritus interni motus fluctuetur?* aſſeritque nos *negare applicationem ſpecialem:* quod, generaliter dictum, falſum eſt: neque enim negamus applicationem ſpecialem, niſi præſumptuoſam, in nullis Scripturis fundatam. Aſſerit, nos *tollere fiduciam divinæ gratiæ:* quod falſiſſimum figmentum eſt: tollimus præſumptuoſam fiduciam; in Scripturis probatam commendamus. Sed quid dicit, nos *injicere metum purgatorii*; cùm metus pœnæ à peccato retrahat? Sed adeò omnem metum fugant Calviniſtæ, ut qui ſe electum eſſe, fide Calvinianâ (non S. Scripturæ) experitur, nequeat metuere amiſſionem Spiritus Sancti, etiam per peccata atrociſſima contra conſcientiam commiſſa; nequeat metuere gehennam peccatoribus præparatam; commiſſurus actum infidelitatis, ac ſi Deum negaret Trinum & Unum, ſiquidem iſta metueret. Utrum convenientius eſt, ad ſacramentorum efficaciam requirere intentionem miniſtri, ut ſit actio verè humana, qualem neceſſariò requirit miniſterium; an verò ponere Sacramentum baptiſmi, quod quandoque parvulis adhibitum, non confert gratiam? Certè Calvinus veſter ſcripſit, ſuâ nihil referre, ſitne homo Lucianicus qui baptizat, ſitne diabolus. De interceſſione Sanctorum non eſt opus hîc agere. Aſſerit, ſuos erigere conſcientias, *intuitu divinæ gratiæ*, quaſi nos id negligeremus; *ſufficientiſſimi meriti Chriſti*, quaſi nos id negaremus; *conſtantiſſimarum promiſſionum*, quaſi à nobis illæ in dubium vocarentur. Tandem addit Epiſt. 104.

Span-

Spanhemius, hæc eſſe *alterius diſquiſitionis*; oſtendens, ſe nihil ad rem præſentem protuliſſe.

CXXX. *Repl.* ad. VIII. Petit. *Quo tandem* excogitato commento *compoſuimus illos fluctus? An facta diſtinctione inter fundamentalia & non fundamentalia?* Imò per illam diſtinctionem, juxtà dicta. *Ergò*, inquit, *commentum eſt, & quidem à nobis excogitatum?* Concedimus, eſſe commentum vaniſſimum, & à vobis excogitatum: nemo enim ante vos orthodoxus uſus eſt illa diſtinctione, ut ab ea vellet dependere vitam, & mortem Eccleſiæ; juxtà illam diſcerni; quæ communio ſit retinenda, amplectenda, & repudianda. Si quæras in Antiquitate majores tuos, qui quid ſimile excogitarunt; invenies hæreticos, vel ſchiſmaticos; ad quos ſi uſum iſtius diſtinctionis cupis relatum, nihil repugnabimus. Addit. *Atque ita nobis non commentum noſtrum, ſed ſomnium ſuum narrant.* Quibus præmiſſis nitatur hæc ſomnolenta concluſio, fortè Spanhemius evigilans ediſceret.

Suprà. n. 126.

Ibid. Theſ. 10. pag. 11.

CXXXI. Ad quintam rationem §. præcedentis dicit I. *Hunc ultrò largimur uſum diſtinctionis, in dijudicanda natura ſeceſſionis; ſive quæſtio ſit* in theſi, *de facienda ſeceſſione, ſive* in hypotheſi, *de noſtra illa à Papatu.* II. *Eo ipſo cauſa juſta ſeparationis intelligitur*, ex gravitate *nempe* errorum *Papalium*, fundamentum *fidei penitùs (ut ſuo loco demonſtramus) evertentium.* III. *Vbi* erroris gravitas *tanta, ibi nulla* diviſionis levitas *verti vitio poteſt. Imò* vitio *in Scripturis* vertitur *Nicodemiſmus, aut Samaritaniſmus, aut communio cum idolis.* 2 Cor. 6. 14. 1 Joh. 5. 21. IV. *Quod ibidem addunt, de* non præſcindenda ex levi fundamento Eccleſiæ unitate, *&* hoc imprimis *neceſſarium* eſſe, non facere ſchiſmata, *damus certè ambabus manibus, Et deteſtamur cum veteri Eccleſia; ſive* Novatianorum, *ſive* Donatiſtarum *impias ſeceſſiones. Damnamus frequentiſſima illa, in Eccleſia Romana, Antipaparum factionibus, ex ambitione & æmulatione ſchiſmata, imprimis quarto, quinto, ſexto, ſeptimo, octavo, nono, decimo, undecimo, duodecimo, decimoquarto, decimoquinto ſæculis. Quemadmodum improbamus illam ejuſdem Eccleſiæ, in excommunicationibus decernendis, & anathematiſmis vibrandis*, adeoque proſcindenda Eccleſiæ unitate, *notatam jam olim in Victore, & Stephano, & Gregorio* 11. &c. *Romanis Epiſcopis, protervam temeritatem.* V. *Iſtius generis noſtram eſſe à communione Pontificia ſeceſſionem, ipſum eſt* τὸ κεϱινόμενον. *Vſque dum errorum fundamentalium, idololatrici cultus, multiplicis ſuperſtitionis, non ferendæ in Eccleſia tyrannidis, graviſſimas notas, Theologicè*

Digitized by Google

logicè non Sophiſticè, apertè non ſubdolè, verè non mendaciter, neque verborum effugiis, ſed ipſâ praxi abſterſerint.

CXXXII. *Reſp.* Ad I. II. & III. nihil opus eſt reponere. Ad IV. Diſſenſiones Pontificum, undecunque exortas, lugemus. Quomodo autem in talibus circumſtantiis ſe geſſerint boni Catholici, hiſtoriæ teſtantur. Si quis Pontifex modum exceſſit in excommunicationibus decernendis, nihil id nocet innocentibus; quemadmodum alibi deduximus. Ad V. Habemus Reformatos pro ſchiſmaticis; ut qui erexerunt privata conventicula, à priore unitate diviſa; & objiciunt quidem errores fundamentales, idololatricos cultus, multiplices ſuperſtitiones, non ferendam tyrannidem; ſed nihil horum hucuſque probarunt; parati ſemper ad calumniam, imparati ad probationem. Vult Spanhemius nos iſta *abſtergere*; quaſi Catholicorum foret, multis uti baptiſmatibus, ad eluendas ſordes, ſordidis ſchiſmaticorum manibus contrectatas, ſpurco ſchiſmaticorum ore eructatas, irrito conatu jactatas, quæ faciem Eccleſiæ, ab antiquitate rugam neſcientis, à novitate ſacrilega maculam non contrahentis, dehoneſtare non potuerunt. Putat ille, vel ſimulat, ſufficere objectionem criminis, ut Eccleſia Catholica teneatur ad demonſtrandam innocentiam ſuam; cùm tamen defenſio innocentiæ, ſolâ criminis remotione vindicetur; probatio autem innocentiæ, ſoli ſuperiori, ex juſta cauſa, debeatur. Deſperatio probandi, adverſarios redigit ad iſta artificia, ut loco probandi cauſam ſchiſmatis, iniquiſſimas criminationes ſuas, aërem ſchiſmaticum inficientes, Eccleſiam Catholicam non tangentes, vociferentur eſſe amoliendas. Regerimus verba Spanhemii; probet objecta crimina Theologicè, non Sophiſticè; probet objecta crimina apertè, non ſubdolè; probet objecta crimina verè, non mendaciter; probet objecta crimina non verborum effugiis, ſed ipſa praxi. Aſſumat unicum ſolum prætenſum errorem fundamentalem, à ſe in ſuperioribus allegatum, eumque, ſi exiſtimet ſe poſſe, uno ſolo S. Scripturæ loco evidenti roboret; & offerimus reſponſionem. Quia autem experientia edocti ſumus, hanc viam Spanhemio diſplicere, vix audemus ſperare acceptationem.

De Unit. Eccl. lib. 3. cap. 5. &c.

§. 15.

§. 18.

Quomodo adverſarii *non tantùm per doctrinam de articulis neceſſariis, ſed etiam per uſum ejus doctrinæ, ſuum principium evertant, ſibique noceant.*

CXXXIII. De aliquali unitate inter Reformatos & Lutheranos vel prætenſâ, vel inita, non eſt opus repetere, quæ habet Synodus Delphenſis, *in Synod. Dordrecht. Seſſ. 26. pag.* 98. & Corranus *apud Bor. lib.* 3. *Hiſtor. fol.* 100. *&c.* neque quæ acta ſunt in Synodo Sendomirienſi *die* 14. *Aprilis* 1570. inter addictos Confeſſioni Auguſtanæ, Bohemicæ, & Helveticæ, quoniam alio loco producta ſunt pleraque ad hanc rem facientia. Zanchium etiam probaſſe Confeſſionem Waldenſium, patet *Tom.* 8. *lib.* 1. *Epiſt.* 134. *ad Craton.*

CXXXIV. Hîc obſervandum eſt, Lutheranos, Bohemicos, & Helveticos ſeu Reformatos, poſt unionem & concordiam initam, perſeveraſſe in confeſſionibus fidei propriis; nec communem aliquam edidiſſe: exiſtimantes ad unitatem fidei & charitatis ſufficere conſenſum in articulis fundamentalibus ſeu neceſſariis.

CXXXV. Nunc illud agimus, ut ex praxi adverſariorum oſtendamus, primum illud principium, de ſufficientia ſolius Scripturæ, ad probandos articulos neceſſarios, funditùs ſubverti. Petimus à Lutheranis (idem eſt de Reformatis) undè ſciant, illos ſolos articulos eſſe neceſſarios, in quibus conveniunt cum Bohemicis & Reformatis? Si Scriptura eos articulos determinat, aſſignandus erat textus: ſin autem Scriptura eos articulos non determinat; & tamen tenetis, eos ſolos articulos eſſe neceſſarios; nonne contra principium veſtrum proceditis, determinando articulos neceſſarios, quos Scriptura non determinat?

CXXXVI. Rurſùm petimus à Lutheranis (idem eſt de aliis) undè ſcitis, articulos, in quibus diſſentitis à Bohemicis & Reformatis, non eſſe neceſſarios? ubi dicit Scriptura, errores circà eos articulos, in quibus diſſentitis non præjudicare ſaluti? Si Scriptura determinet articulos neceſſarios, & dicat, præter eos non eſſe alios neceſſarios, patebit exitus. Verùm, quia hoc Scriptura non determinat, ſubvertitis Principium veſtrum, docentes, illos articulos non eſſe neceſſarios, quos Scriptura è numero articulorum neceſſariorum non excluſit.

CXXXVII. Tan-

Digitized by Google

CXXXVII. Tandem, quod caput rei eſt; Petimus à Lutheranis (idem eſt de aliis) ſi illi omnes articuli non ſunt neceſſarii, in quibus diſſentitis à Bohemicis & Reformatis: Dicite nobis coram Deo & hominibus (agitur enim cauſa ſalutis æternæ) an articuli, in quibus diſſentitis à Catholicis, ſint neceſſarii, an minùs? Si non ſint neceſſarii; jam ſine cauſa ſufficienti receſſiſtis ab Eccleſia Catholica; & ſeparationem veſtram, in qua continuatis, injuſtiſſimam fuiſſe neceſſe eſt. Sin autem iſti articuli, in quibus à nobis diſſentitis, ſint neceſſarii: Dicite nobis, cur hi ſint magis neceſſarii illis, in quibus diſſentitis à Bohemicis & Reformatis? Cùm enim Scriptura non ſtatuat differentiam iſtius neceſſitatis; neque determinet, controverſias veſtras cum Bohemicis & Reformatis eſſe de rebus non neceſſariis: iſtas verò, quas habetis cum Catholicis, eſſe de neceſſariis: meritò dicimus, vos contravenire principio veſtro, & inani fundamento ſtatuiſſe unionem cum Bohemicis & Reformatis; atque nulla ſufficienti de cauſa receſſiſſe ab unitate fidei Catholicæ, & dereliquiſſe præcedentem communionem, & introduxiſſe ſeparationem. Itaque etiam nunc illud Tertulliani verum eſt: *Nihil intereſt illis, licèt* *De Præſcript. cap. 41.* *diverſa tractantibus, dum ad unius veritatis expugnationem conſpirent.*

§. 19.

Continuatio, de praxi adverſariorum ex Decreto Synodi Carentonicæ.

CXXXVIII. Reformati in Synodo Nationali Carentonii anno 1631. decretum ediderunt in hæc verba: *Cùm Eccleſiæ Confeſſionis Auguſtanæ conveniant cum aliis Reformatis in principiis & punctis fundamentalibus Religionis, ſtatuit Synodus, fideles dictæ Confeſſionis poſſe, nullâ præmiſſâ abjuratione opinionum quas tenent contrariarum fidei dictarum Eccleſiarum noſtrarum, admitti ad cœnam.* Apud Veron. Tom. 1. lat. p. 2. ſect. 2. n. 16. p. 122.

CXXXIX. Expoſitio hujus Decreti invenitur in Apologia, ad ejus defenſionem ſcripta per Daillæum anno 1633. & ab omnibus Miniſtris Carentonicis ſubſcripta; ubi dicitur: *Diſſidium nos inter & fratres noſtros, quos Lutheranos nuncupant, enatum, pietati præjudicium nequaquam facit. Agnoſco, non magis poſſe nos credere, quàm concipere, quod ponunt, corpus Domini eſſe præſens realiter intra panem Euchariſtiæ; Nihilominùs, hæc quam tuentur, opinio, hos intra manens terminos, nullum habet venenum. Non tollit Chriſto formaliter, directè, & immediatè, nec* Cap. 7. Pag. 35. Apud Veron. d. loc. ſect. 2. n. 16. Pag. 260.

 ſub-

ſubſtantiam ſuam, nec proprietates ſuas. Hypotheſis hac nulli nos involvit, quod ſit oppoſitum ſeu pietati, ſeu charitati, ſeu honori Dei, aut bono hominum. Ea propter regni hujus Eccleſiæ, haud pridem in ultima earum Synodo Nationali Charentonii habita anno 1661. decreto expreſsè ſancito, Lutheranos, ut vocant, communioni & menſæ admittunt propria, hâc non obſtante opinione, & paucis aliis, minoris adhuc momenti particularibus, nec nobiſcum communibus. Hinc dicta Apologia non vult deſeri communionem eorum, qui errores quidem habent, ſed non evertentes *formaliter, directè, & immediatè*, fundamentum fidei. Atque idem Daillæus dicit: *licèt præſentiam hanc corporis Chriſti in ſignis haud credamus, minimè tamen fidem hanc crimini tanto damus, ut diſceſſioni nos obliget, ab omnibus qui eam amplexantur, ut apparet ex eo, quod eandem in Lutheranis patimur. Itaque ſi Eccleſia Romana nullo alio ab iſto detenta fuiſſet errore, lubenter concedimus, quod hæc cauſam ſufficientem ſeparandi nos ab ipſa nobis non dediſſet.*

Epiſt. ad. D. Monglat. pag. 20.

CXXXX. Jam petimus à Reformatis, ut nobis dicant, ubi Scriptura ſtatuat, eos ſolos articulos eſſe fundamentales & neceſſarios, in quibus conveniunt cum Lutheranis? Ubi Scriptura dicat, illos omnes articulos non eſſe neceſſarios, in quibus diſſentiunt à Lutheranis? Quomodo Scriptura determinat omnes articulos neceſſarios, ſi decretum veſtrum, nulla Scripturarum auctoritate munitum (ubi tamen vel maximè oportebat) prodit in publicum? Vides, lector, neque ab hac Sphinge abeſſe præcipitium.

CXLI. Deindè, ubi Scriptura dicit, fidem de reali præſentia Chriſti in Euchariſtia, non eſſe errorem (uti dicitis) ſubvertentem fundamentum fidei? Ubi dicit Scriptura, illos errores tantùm præjudicare ſaluti, qui *formaliter, directè, & immediatè* evertunt fundamentum fidei? Ubi dicit Scriptura, cum iis rectè ſervari communionem, quorum errores non evertunt *formaliter, directè, & immediatè* fundamentum fidei? An nihil horum eſt neceſſarium ad ſalutem? Hæc tamen docetis, ſine teſtimonio Scripturæ, quæ, uti Reformatis placet, docet omnia ad ſalutem neceſſaria.

CXLII. Tandem & illud urgendum eſt; ſi articulus, de reali præſentia Chriſti in SS. Euchariſtia, non ſit neceſſarius; unde ſcitis, alios articulos, in quibus diſſentitis à Catholicis, eſſe *magis* neceſſarios? Si error Lutheranorum non præjudicat ſaluti; undè præjudicabit error Catholicorum? Quis textus Scripturæ docet eam differentiam? ſi autem Scriptura non docet illam differentiam, cur illud cre-

creditis? ſi illud ipſum ſine auctoritate Scripturarum tenetis, nonne citra cauſam ſufficientem à communione Catholicorum receſſiſtis? Nam quod nonnulli è veſtris docent, errores Catholicorum evertere *formaliter*, *directè*, *& immediatè* fundamentum fidei, nihil roboris habet; donec oſtenderitis ex Scriptura, quænam ſunt fundamenta fidei; donec oſtenderitis ex Scriptura, errores Catholicorum evertere *formaliter*, *directè*, *& immediatè* fundamentum fidei: donec oſtenderitis, ab illorum communione eſſe recedendum, quorum errores *formaliter*, *directè*, *& immediatè* ſubvertunt fundamentum fidei; ab illorum verò communione non eſſe recedendum, quorum errores non ſubvertunt eo modo fundamentum fidei. Et ubi, quæſo, de his omnibus, (quæ ad excuſandam diviſionem veſtram à Catholicis requiruntur) clarè & evidenter loquitur Scriptura? Negotium ſalutis hîc agitur. Si Scripturam non habetis; quid perſiſtitis in diviſione à communione Catholica? Non ſufficit profectò, Pilatum cum Herode amicitias inire, & Chriſtum condemnare. *Ridicula* penitùs *aſſertio eſt*, inquit S. Hieronymus, *Aliter de Deo ſentire baptizantem, & aliter baptizatum*: ſed planè deplorandum, eò cæcitatis adverſarios dilabi, ut Prædicans Reformatus, credens non eſſe corpus Chriſti incluſum pane, quem porrigit, nec ſanguinem calice, admittat Lutheranum communicantem, & credentem, ſe de manu talis Miniſtri accipere corpus Chriſti in pane, & ſanguinem Chriſti in calice. Videat lector S. Auguſtinum, hoc modo contra Adverſarios ſuos procedentem: *de Geſtis cum Emerito Tom. 7. pag. 252. C.*

Adverſ. Luciferi. cap. 5. Tom. 2. pag. 425. F.

CONCLUSIO.

CXLIII. Diximus hactenùs de primo adverſariorum principio, & oſtendimus illud in Scriptura nullum habere certum, & indubitatum fundamentum. Ex abundanti autem evicimus, adverſarios noſtros, ſequentes primum ſuum principium, nulla juſta de cauſa receſſiſſe ab unitate & communione Eccleſiæ Catholicæ. Neceſſe fuit hæc cogitationum monſtra referre, quibuſcum luctari nos cogit charitas, ne parvulorum ſeduceretur ſimplicitas. Poſſet quis uno verbo abſolvere: *Videte malos operarios, videte conciſionem*, diviſamque unitatem. *Philip. 3. 2. Vid. Calvin. in eum loc.*

CXLIV. Prudens lector facilè judicabit, adverſarios deſcriben- *Vid. de Artic. Neceſſ.*

Eilbrachtus. *Via Compend. cap.* 11.

tes & enumerantes articulos fundamentales ſeu neceſſarios, vix quicquam, & unanimiter nihil ponere, quod Eccleſia Catholica non credat: adeoque ipſos, & proprio judicio, ſine cauſa ſufficiente, ſeparationem ab Eccleſia Catholica induxiſſe: atque hoc eò magis urget, quod fateantur ſuas Eccleſias non omninò puras, & immunes ab errore. Hic autem fundamentalis eſt error; quo ſublato, tolluntur omnia: & contrà morſum viperæ in carne viperæ invenitur antidotum.

CXLV. Non inutile fuiſſet his conjungere ipſa Lutheranorum & Reformatorum teſtimonia, quibus fatentur, Eccleſiam Romano-Catholicam, tenere & docere articulos neceſſarios & fundamentales, quibus ſalvari unuſquiſque poſſit ac debeat; ſed brevitatis ſtudio omiſimus. Unum audiamus ex Confeſſ. Auguſt. *Hæc fere eſt ſumma doctrina apud nos, in qua cerni poteſt, nihil ineſſe, quod diſcrepet à Scripturis, vel ab Eccleſia Catholica, vel ab Eccleſia Romana, quatenùs ex Scripturis nota eſt.* & mox: *ſed diſſenſio eſt de quibuſdam abuſibus.* Melanchton dicit, S. Bernardum fundamentum rectè tenuiſſe. Videri poteſt *Via Compend. cap.* 12. & Calixtus, *Reſp. contr. Mogunt. n.* 34. *&* 62.

Art. 21.

In loc. comm. de Eccl. pag. 348.

CXLVI. Finiamus cum Juſtino Martyre: *Videte igitur eorum, qui apud vos ſapientes habiti ſunt, perturbationem & confuſionem, quos vobis auctores Doctoreſque religionis Deorum* Lutheranæ, &c. *fuiſſe jactatis.* Et: *Quomodo igitur tutum eſt, eos qui ſalutem adipiſci cupiunt, ſentire ab iis veram religionem poſſe diſci, qui hoc ſibi perſuadere non potuerunt, ne inter ſe diſſentirent, nec ſua ipſorum ſententia repugnarent?* Meminerint autem Catholici iſtius S. Auguſtini, de S. Cypriano teſtantis; quòd *univerſa Eccleſia inevulſibile membrum ſe eſſe gaudebat.*

Orat. ad Gentil. Bibl. SS. Patr. Tom. 2. *pag.* 353. *H.*
Ibid. pag. 354. *A.*
Lib. 3. *contr. Donat. cap.* 10. *Tom.* 7. *pag.* 46. *A.*

EXA-

EXAMEN SECUNDUM.

De Secundo

ADVERSARIORUM PRINCIPIO:

Dari veram Scripturæ interpretationem ad probandam fidem.

§. 1.

Ratio hujus Examinis.

I. Docent Adverſarii noſtri, omnia ad ſalutem neceſſaria, clarè & perſpicuè doceri in Scriptura. Undè illud efficitur; ſi aliquis articulus non reperiatur eo modo in Scriptura, non eſſe eum neceſſarium. Hinc ſi Adverſarii proponant aliquem articulum, quem citrà interpretationem vel conſequentiam non poſſunt probare ex S. Scriptura, talis articulus, juxtà ipſorum doctrinam, non erit neceſſarius.

II. Quid ergò neceſſe eſt hujus principii peculiare examen inſtituere; cùm ex primo compendioſè & ſolidè poſſint convinci. Certè, neceſſitas nulla eſt, niſi charitatis, abundantem convictionem, & inſtructionem ſuadentis, mandantiſque.

III. Ut ergò præcedente, & comitante charitate hanc materiam tractemus; primò examinabimus, quid Adverſarii ſtatuant de interprete Sripturæ; & ſecundò, quid doceant de interpretatione Scripturæ. Hæc enim duo membra in poſito comprehenduntur principio.

§. 2.

De Interprete S. Scripturæ & Iudice controverſiarum.

IV. Ut hæc materia rectè intelligatur, ſupponimus Adverſarios noſtros docere 1. Scripturam omnes articulos neceſſarios ad ſalutem continere. 2. Nihil eſſe credendum, tanquam neceſſarium ad ſalutem, quod in Scriptura non continetur. 3. Nihil eſſe credendum

dum fide divinâ, quod in Scriptura non continetur, ſive expreſſe, ſive per bonam conſequentiam.

V. His poſitis, ſtatuunt Adverſarii noſtri, Scripturam eſſe judicem, regulam, & normam controverſiarum fidei. Et cum Scripturam judicem vocant, intelligunt, quod Conf. Helvet. poſter. dicit: *Non alium ſuſtinemus in cauſa fidei judicem, quam ipſum Deum, per Scripturas Sanctas pronunciantem, quid verum ſit, quid falſum, quid ſequendum ſit, quidve fugiendum.* Conf. Scotica: *Cujus* (Scripturæ) *interpretationem, neque ad privatam aliquam, aut publicam perſonam pertinere confitemur, neque ad Eccleſiam aliquam, &c. Sed jus & authoritas hæc eſt ſolius Spiritus Dei, per quem ſacra Scriptura literis ſunt mandata.* Similia habet *Conf. Wirtemberg. art. de S. Scriptura, pag.* 181. Collocutores Ratisbonenſes Lutherani *theſ.* 2. vocant Scripturam *judicem, aut ſanè vocem judicis ſupremi.* Vid. Synop. pur. *Theol. diſp.* 5. *theſ.* 24. *&c.* Meiſnerum *in Proœm. Phil. Sobr. pag.* 5. Admon. de libr. concord. *cap.* 4. *pag.* 237. *& cap.* 12. *pag.* 431. Melancht. *in loc. comm. de Eccl. pag.* 346.

Art. 2. *pag.* 18. *Art.* 18.

VI. Quando Adverſarii dicunt, Scripturam eſſe normam & regulam, intelligunt deciſionem controverſiarum fidei ex ſola Scriptura petendam eſſe. Conf. Gall. *art.* 4. *&* 5. Bohem. *in concl. pag.* 274. Palatini *in princ. pag.* 196. Angl. pr. *pag.* 118. Belg. *art.* 7. Catech. Remonſt. *quæſt.* 7. Comp. art. controv. inter Theol. Auguſt. *art.* 1. Meiſn. *loc. cit.* Colloc. Ratisb. *Theſ.* 2.

VII. Quantum ad illud, quod adverſarii dicunt; Scripturam eſſe judicem; cùm per illud intelligant, eam eſſe vocem Dei, qui ſupremus judex eſt; res nullam habet difficultatem. Neque enim Catholici negant, eo ſenſu poſſe dici judicem; ſicut aliquando leges Imperatoriæ, dicuntur lites decidere & dijudicare. Cùm tamen leges non ſint propriè judices; ſed regula, & norma, ſeu menſura, ſecundùm quam judicatur. Et hanc rem ex jure Civili appoſitè notavit Cujacius, dicens; Prætorem eſſe legem loquentem, legem autem mutum Prætorem. Vid. Eraſmum *Adag. Chil.* 1. *cent.* 2. *n.* 18. Crocium, *Tom.* 2. *contr.* 5. *ſect.* 2. *n.* 3. *pag.* 618.

VIII. Atque ut oſtendamus hunc modum loquendi etiam antiquitùs in Eccleſia fuiſſe uſurpatum. In relatione Concilii Florentini ſub Eugenio 4. deſcripta Latinorum Græcorumque ſeſſione, additur: *In medio templi, atque inter duos Cleros, ante ſacrum altare, ſolium pulcherrimum poſuêre, perquam ornatum, apparatumque aureo velamento:* in

Tom. 4. *pag.* 418. *col.* 1. *B.*

in quo ſedit Iudex magnus & juſtus Dominus noſter Ieſus Chriſtus, hoc eſt, ſanctum Evangelium, appoſitis hinc indè Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli capitibus, cereiſque ante illa accenſis.

IX. Itaque, niſi inſtituenda ſit quæſtio de nomine, Adverſarii noſtri per judicem, normam, regulam, & menſuram idem intelligunt. Neque nos negamus, Scripturam eſſe normam, regulam, & menſuram decidendarum controverſiarum fidei: ſicut leges Imperatoriæ ſunt norma decidendarum litium. Vide Eilbrach. *in Epanorth. cap.* 22. *annot.* 7.

X. Verùm, quando Adverſarii noſtri docent, Scripturam *ſolam* eſſe normam fidei, indè emergunt variæ quæſtiones: quarum prima eſt; An Scriptura contineat omnes articulos neceſſarios ad ſalutem? de qua egimus in præcedenti Examine; & iterùm agemus Examine tertio, in Tract. de Artic. Neceſſ. & in Contr. de Tradit.

XI. Altera quæſtio eſt: An aliquid ſit credendum fide divinâ, quod non continetur in Scriptura? Et hæc pertinet ad Contr. de Tradit.

XII. Tertia quæſtio eſt: An præter Scripturam, quæ ſit norma, detur infallibilis judex controverſiarum fidei? Ubi non quæritur; an Eccleſia ſit judex, & interpres Scripturæ: id enim expreſſè fatetur Conf. Wirtemb. *de Eccl. pag.* 183. Vide Bohem. *cap.* 1. Harm. Helv. pr. *art.* 15. Angl. pr. *art.* 20. *pag.* 130. Synop. pur. Theol. *diſp.* 5. *theſ.* 28. & 32. Bucanum, *loc.* 43. §. 17. *n.* 6. Eilbracht. *in Epanorth. cap.* 22. *annot.* 7. Crocium, *Tom.* 1. *contr.* 5. *ſect.* 1. *n.* 4. *pag.* 618.

XIII. Non etiam quæritur: An Eccleſia ſit infallibilis judex controverſiarum, & interpres Verbi Dei, quoad articulos neceſſarios. Id enim fatentur Adverſarii, nobis hoc ipſo totam cauſam tradentes, ut dicemus in Controverſia, An Eccleſia viſibilis erret?

XIV. Tota igitur quæſtio eſt: An Eccleſia ſit infallibilis judex controverſiarum, & interpres Verbi Dei, idque ex dono Spiritus Sancti, & promiſſione Chriſti, abſolutè, hoc eſt, ſine ulla reſtrictione ad articulos, quos dicunt Adverſarii noſtri neceſſarios, vel non neceſſarios? Et de hac quæſtione erit controverſia; An Eccleſia viſibilis erret. Nec diffitentur Adverſarii, ſi hoc obtinemus, nos omnia obtinere. Crocius, *Tom.* 1. *Contr.* 1. *ſect.* 1. *n.* 1.

XV. Undè patet, non eſſe in hac materia inſtituendam peculiarem controverſiam de judice controverſiarum: quia ex dictis con-

ſtat, totam quæſtionem evacuari per materiam de traditionibus, & infallibilitate Eccleſiæ. Neque intentio noſtra eſt, multiplicare controverſias; ſed, quantùm fieri poteſt, eas ad paucas redigere.

XVI. Diximus de Scriptura & Eccleſia, ſequuntur Concilia: quibus adverſarii non eripiunt interpretationem Verbi Dei; ſed dicunt, Conciliorum definitiones amplectendas, quatenùs non diſſentiunt à Scriptura. Conf. Helv. poſter. *art.* 2. *pag.* 16. Angl. pr. *art.* 21. *pag.* 130. Scot. *art.* 20. *pag.* 151. Wirtemb. *de Concil. pag.* 185.

XVII. Undè neque hic peculiaris difficultas eſt, quæ non pertineat ad materiam de Traditionibus, & Infallibilitate Eccleſiæ.

XVIII. Quid autem ſtatuendum ſit, de antiquorum Sanctorum Patrum interpretationibus, & primorum ſeculorum Conciliis, dicemus in 4. Examine Principii communis; & diximus, agentes de perpetua fidei probatione per teſtes, *Motiv.* 2. *Principii* Erneſti.

XIX. Porrò ſtatuunt communiter Adverſarii, unumquemque fidelem diſcernere, quid credendum, quid non credendum ſit. Neque volunt, illud judicium eſſe infallibile, cùm infallibilitatem ſoli Scripturæ tribuant. Sunt quidem ejus ſententiæ, quòd dicant, unumquemque fidelem fide divinâ credere, ſe eſſe fidelem: ſed illa quæſtio huc nihil facit. Agimus enim de interpretatione Verbi Dei, & dijudicandis fidei controverſiis, in ordine ad probationem fidei. Neque Adverſarii tam ſtolidi, & amentes ſunt, ut doceant, articulum fidei ſufficienter probari; quia hic ſutor, aut ille ſartor, aſſerit ſe habere Spiritum Sanctum, teſtantem in corde ſuo, quòd hic articulus ſit neceſſarius, & hæc ejus explicatio conveniat cum Scriptura. Aliud eſt quærere; undè hic, aut ille fidelis *ſciat* infallibiliter, ſuam interpretationem eſſe veram: aliud, undè infallibiliter *probet* ſuam interpretationem eſſe veram & debitam. Non quæritur in diſputatione noſtra cum Lutheranis, v. g. an ſciant, vel non ſciant infallibiliter, ſuam interpretationem eſſe conformem Scripturæ: ſed quæritur, an Lutheranus, interpretans Scripturam, habeat auctoritatem infallibilem interpretandi Scripturam, quam interpretationem omnes debeant amplecti. Hoc autem neque è Lutheranis, neque Reformatis (quod ſciamus) dicit ullus. Quocircà de interprete particulari, ſeu privato nulla lis.

XX. Nihil ergò in tota hac materia invenimus controverſum; quod non pertineat ad materiam de Traditionibus, & Infallibilitate Eccleſiæ.

Digitized by Google

XXI. Diximus in præcedenti editione, Adverſarios non habere jus interpretandi Scripturam: quia non oſtendunt ſe eſſe ſpirituales. Sed quia iſta materia in Tractatu de articulis neceſſariis eſt aſſumpta; non opus eſt hic repetere. Similiter diximus in præcedenti editione, Adverſarios non habere jus interpretandi Scripturam, quia non ſunt miſſi: & de hoc ſimiliter egimus in Tractatu proprio; ut neceſſe non ſit idem hîc dicere. Cúmque illa duo concernant interpretem Scripturæ; ſequitur, ut agamus de Scripturæ interpretatione.

§. 3.

De Interpretatione Scripturæ.

XXII. Docent Adverſarii noſtri: *Dari veram interpretationem Scripturæ ad probandam fidem.* Quod ut rectè intelligatur, obſervandum eſt; multas interpretationes poſſe eſſe veras & bonas; quæ tamen non ſufficiunt ad probandum articulum fidei. In probatione fidei non hoc agitur tantùm, ut adducamus vera: ſed neceſſe eſt, ut articuli fidei ſufficienter probentur. Eum in finem promiſerunt Adverſarii noſtri, *Interpretationem Scripturæ per Scripturam.* Meth. Auguſt. *part. 1. cap. 3.*

XXIII. Poſſemus totam hanc materiam, ex ratione unitatis & charitatis, quæ in Eccleſia obtinere debet, facilè reſolvere: quandoquidem Conf. Helv. poſter. docet: *Illam duntaxat Scripturæ interpretationem pro orthodoxa & genuina agnoſcimus, quæ cum regula fidei & charitatis congruit.* Nam quæ eſt Adverſariorum interpretatio, quæ conveniat cum *regula fidei?* Si ipſorum ſententias ſpectemus, diſcordia in articulis neceſſariis facit, ut nihil certi, determinatique habeant; adeoque nec regulam fidei, cui ſubjiciantur ſinguli. Sin autem regulam fidei, quam particulares, interpretantes Scripturam, debeant intueri, ſecundùm rei veritatem accipiamus; erit Verbum Dei ab Eccleſia propoſitum, à quo receſſerunt Adverſarii, ipſam Eccleſiam graviſſimorum criminum, & errorum accuſantes. Quæ etiam poteſt eſſe Adverſariorum interpretatio, congruens cum *regula charitatis?* Hæc enim non reperitur, niſi in integritate unitatis, quam nefando ſchiſmate diruperunt. Quaſcunque igitur adferunt interpretationes, eæ non conveniunt cum regula fidei & charitatis; quales, fatentibus Reformatis, non ſunt agnoſcendæ pro orthodoxis & Art. 2.

genuinis. Ne tamen hoc ſolido fundamento videamur ulteriùs examen declinare, erudiendum erit, quid dicant.

XXIV. Videndum erit, quomodo conſtitutæ ſint probationes, quas nobis exhibent: ſolent enim Adverſarii in praxi quaſlibet interpretationes ſuas vocare Scripturæ per Scripturam, & cum analogia fidei convenientes.

XXV. Vedelius, in ſuo *Rationali Theologico*, nomine Reformatorum, hanc materiam ex profeſſo tractat. Incommodas ejus opiniones è Lutheranis Muſæus in *Tractatu de Principiis Rationis* examinavit. Hunc in plerìſque ſequemur contra Reformatos; Lutheranorum ſententiam, his abſolutis, excuſſuri.

§. 4.

Quotuplex ſit Quæſtio Theologica, ſeu fidei?

Muſæus. lib. 2. cap. 1. XXVI. Ponatur hæc quæſtio: *An Deus ſit?* Poteſt ea conſiderari primò, ut vera. Secundò, ut cognita lumine naturali. Tertiò, ut cognita ſupernaturali revelatione.

Canus. lib. 12. cap. 4. init. XXVII. In ratione veræ, habet ſe indifferenter ad omnes ſcientias. Quatenùs cognita eſt lumine naturali, & per rationem; pertinet ad Philoſophiam. Quatenùs cognita eſt ſupernaturali revelatione, pertinet ad Theologiam.

XXVIII. Ratio eſt: quia concluſiones, in ſe conſideratæ, poſſunt ſe habere ut *materiale* ad diverſas ſcientias. Si autem per unum tantùm medium, v. g. naturale, cognoſcuntur; pertinebunt ad unam ſolam ſcientiam naturalem. Sin cognoſcantur per unum tantùm medium ſupernaturale, pertinebunt ad unam ſolam ſcientiam ſupernaturalem. Tandem, ſi cognoſcantur medio naturali, & ſupernaturali; pertinebunt ad ſcientiam naturalem, & ſupernaturalem. Quia ratio, & principium cognoſcendi concluſionem, habet ſe ut *objectum formale*, ſeu ratio formalis objectiva, à qua ad hanc, vel illam; ad unam, vel plures ſcientias pertineat; ut communiter docent Theologi.

XXIX. Hinc ſequitur; eſſe quaſdam quæſtiones Theologicas & fidei, quæ ſub una tantùm ratione formali, ſcilicet revelatione ſupernaturali, conſiderari poſſunt; ſeu, in quibus unio extremorum, non niſi à proprio aliquo Theologiæ principio dependet: quales ſunt omnes, quæ fidei myſteria concernunt, quæque ex hoc capite merè Theo-

Digitized by Google

Theologicæ vocari poſſunt. Quaſdam verò ſub diverſa ratione formali conſiderari; & tàm ex Philoſophiæ, quàm Theologiæ principio deduci poſſe; unde à quibuſdam dicuntur quæſtiones mixtæ, ſeu mediæ; quòd tam ad Philoſophiam, quàm Theologiam pertineant. Vide Canum, *lib.* 12. *cap.* 5. *pag.* 580.

XXX. Cùm agimus de quæſtione Theologica, non diſtinguimus inter neceſſarias ſeu fundamentales, & non neceſſarias: quia utræque conſiderantur, ut cognoſcibiles revelatione ſupernaturali.

§. 5.
Quomodo dictæ Quæſtiones ſint probandæ?

XXXI. Quæſtiones, quæ tantùm cognoſcuntur per revelationem ſupernaturalem, non poſſunt probari ex principio rationis, ſeu medio naturali: quia ratio unionis prædicati cum ſubjecto, tantùm dependet à medio, ſeu principio ſupernaturali: & ſi eædem quæſtiones probari poſſent medio ex ratione petito, neceſſariò ſequeretur, vel quod in iis ratio unionis prædicati cum ſubjecto, etiam à medio ex ratione petito dependeret; vel quod quæſtio aliqua poſſit medio confirmari, à quo unio extremorum non dependet, quod contradictorium eſt.

XXXII. Atque hinc rectè obſervat Canus, poſt S. Thomam, eos eſſe fidei inimicos, religionique noſtræ etiam noxios, qui ea, quæ tantùm ex revelatione ſupernaturali cognoſcuntur, naturæ rationibus conantur oſtendere. Si enim quæ argumenta ſimilibus probandis afferuntur; congruentia illa eſſe, non evidentia; probabilia, non neceſſaria; ſuadere, non cogere: adducere, non evincere. Vid. Canum *lib.* 12. *cap.* 12. *pag.* 642. *Lib.* 12. *cap.* 4. *pag.* 574.

XXXIII. Aliæ autem quæſtiones, quæ non ſunt merè Theologicæ, ſed per naturale lumen attingi poſſunt, quandò ſunt etiam à Deo ſupernaturaliter revelatæ; poſſunt tùm ex principio rationis, tùm medio ſupernaturali probari.

XXXIV. In his tamen obſervandum eſt, quando proponitur quæſtio fidei, quæ etiam naturali lumine cognoſci poteſt; incipiendum eſſe à probatione per medium ſupernaturale: tunc enim non primariò quæritur, an ſecundùm rationem & Philoſophiam concluſio ſit vera; ſed an ſit à Deo ſupernaturaliter revelata. Poſt probatam concluſionem ſub ratione fidei; tempus eſt, ut etiam confirmetur,

tur, & ſtabiliatur per principia rationis. Vide Meth. Auguſt. *part.* 3. *cap.* 8.

XXXV. His præmiſſis, videamus, quales probationes judicent Adverſarii noſtri adducendas in probationem fidei, earumque vim examinemus.

§. 6.

Reformati docent 1. *Propoſitiones univerſales à ratione, quoad materiale, eſſe in Scriptura.*

XXXVI. Reformati, promittentes explicationem Scripturæ per Scripturam, non paucas propoſitiones, à ratione petitas, tribuunt ipſi Scripturæ; ut videantur medio, ex Scriptura petito, confirmare concluſiones fidei. De his audiendus eſt Vedelius, qui unus, omnium ſuorum nomine, Reformatorum ſententiam proponit.

Lib. 1. *cap.* 12. *pag.* 139.

XXXVII. Docet, ad probandam concluſionem fidei, poſſe ſumi unam propoſitionem Scripturæ, & alteram rationis; undè ſequatur concluſio Theologica. Et tunc præmiſſam rationis non habendam pro Philoſophica, ſed Theologica: quia licèt non quoad formale, ſaltem quoad materiale in Scriptura continetur. Dicunt v.g. Reformati: *Omne corpus naturale eſt in loco. Chriſti corpus eſt naturale. Ergò Chriſti corpus eſt in loco.* ubi major propoſitio, quoad materiale, eſt in Scriptura; quæ hinc inde de corporibus naturalibus loquitur, & nulla alia corpora agnoſcit, vel proponit, qnàm quæ in loco ſunt, ut ex inductione apparet.

Muſæus. *lib.* 1. *cap.* 13. §. 41. *pag.* 120.

XXXVIII. Pro reſponſione nota. Materiale ſumi 1. pro eo, quod eſt generalius, & per aliquam differentiam reſtringendum. Formale pro eo, quod ſpecialius eſt, & terminum generaliorem reſtringit. Ita dicitur, animal eſſe materiale hominis, rationalitas ejus formale. 2. Materiale dicitur, quicquid eſt extra rationem quidditatis, ſeu extra conceptum eſſentiæ; uti ſunt individua reſpectu ſpecierum, & ſpecies reſpectu generum. Formale verò, ipſe eſt conceptus quidditativus, qui in cujuſlibet rei definitione explicatur. 3. Materiale dicitur in ordine ad voces, tanquam ad ſigna: ſic quoad materiale illud in Scriptura à quibuſdam illud dicitur continere, quod per bonam conſequentiam ex Scriptura deducitur: quoad formale, quod etiam quantùm ad ipſas voces, vel ſaltem æquivalentes, in Scriptura extat. 4. Materiale dicitur in ordine ad notio-

notiones ſecundas: notiones primæ, v.g. homo, animal, habent rationem materialis: notiones ſecundæ, v.g. ſubjectum, prædicatum, habent rationem formalis.

XXXIX. Vedelius accipit *materiale* in tertia præcipuè ſignificatione, uti ex contextu patet. Cui *Reſp.* 1. Non ideò propoſitionem univerſalem eſſe ſupernaturaliter revelatam; quia de multis particularibus in Scriptura fit mentio: nam à multis particularibus, ad univerſale, non obtinet conſequentia. Valet ſequela, ab una indefinita propoſitione, ad univerſalem; quando in indefinita enunciatur prædicatum eſſentiale de eſſentia, vel proprietas logica de eſſentia: quia prædicatum eſſentiale non poteſt non convenire eſſentiæ; & proprietas logica eſt convertibilis cum eſſentia. Quo ſuppoſito, propoſitionem indefinitam æquivalere univerſali. Hinc, ſecundum ordinarium loquendi modum, tales propoſitiones indefinitæ habentur pro univerſalibus: & licèt in ejuſmodi indefinita propoſitione non ſit ſignum univerſale; continetur tamen univerſale, quoad formale ſignificatum, cùm neceſſe ſit, eſſentias & proprietates logicas in omnibus eſſe eaſdem. Verùm ſi propoſitiones indefinitæ enuncient tantùm proprietatem Phyſicam de ſubjecto, qualis illa Vedelii eſt: Omne corpus naturale eſt in loco: tunc non licet indè per inductionem formare concluſionem univerſalem; quæ habeat majorem certitudinem, quàm Phyſicam.

XL. Quod ut rectè intelligatur, obſervandum eſt: dari 1. propoſitiones abſolutè neceſſarias, v.g. ex Metaphyſica; *Quidlibet eſt, vel non eſt:* & ex logica; *Omnis homo eſt animal, omnis homo eſt rationalis, omne animal eſt corpus.* Sunt enim hæ propoſitiones ità neceſſariæ, ut repugnet inſtantiam ullibi reperiri, quâ ſubvertantur. Dari 2. propoſitiones non abſolutè, ſed Phyſicè neceſſarias, ſeu intuitu cauſarum ſecundarum; v.g. *Omnis ignis urit, omne grave tendit deorſum.* Poteſt enim Deus facere, ut ignis non urat; & grave non deorſum, ſed ſurſum feratur. Et licèt non daretur inſtantia, quod Deus hoc aliquando feciſſet; nullus tamen dubitaret, an Deus hoc poſſet facere. Itaque eſſentiæ rerum, & proprietates logicæ ſunt abſolutè neceſſariæ: eſſentia enim eſt immutabilis; proprietates logicæ identificantur realiter eſſentiæ. Et ſi quis diceret; *Ignis naturâ ſuâ cupit urere: grave naturâ ſuâ cupit tendere deorſum*; enunciaret proprietatem logicam de eſſentia, adeoque inſeparabilem ab eſſentia, & abſolutè neceſſariam. Verùm, ſi quis diceret; *Ignis urit, grave tendit deorſum,* enun-

enunciaret proprietatem phyſicam de ſubjecto, conſiſtentem in operatione cauſæ ſecundæ; quæ operatio cum ſit diſtincta ab eſſentia, & proprietate logica, ſine dubio impediri poteſt per potentiam divinam. Imò ipſa Scriptura habet varias propoſitiones univerſales, Matt. 7. 17. quæ ſunt tantùm Phyſicè neceſſariæ, v. g. *Omnis arbor bona bonos fructus facit.* Quis enim dubitat, an Deus hoc poſſit impedire? Interim ea propoſitio, prout in Scriptura eſt, eſt ſupernaturaliter revelata; & infallibiliter verum eſt, *Omnem arborem bonam, neceſſitate phyſicâ, bonos fructus facere.*

XLI. Nunc redeamus ad Vedelium. Dicimus, eam propoſitionem: *omne corpus naturale eſt in loco*, non eſſe abſolutè neceſſariam: tùm quia, *eſſe in loco*, non eſt prædicatum eſſentiale, vel proprietas logica corporis naturalis; tùm quia ejus oppoſitum non involvit contradictionem.

XLII. Si velit Vedelius, propoſitiones univerſales abſolutè neceſſarias, quæ per inductionem particularium ex Scriptura deduci poſſunt, eſſe revelatas; non reluctamur. Si velit, propoſitiones, Phyſicè tantùm neceſſarias, quæ per inductionem particularium, eſſe revelatas, quoad Phyſicam neceſſitatem; non contradicimus. Sed hæc nihil faciunt pro Reformatis; licèt tales propoſitiones, quoad materiale, dicantur Scripturæ.

XLIII. Tandem, ut Reformati manifeſtiùs agnoſcant errorem ſuum; dicimus, nullam propoſitionem univerſalem, quæ per inductionem ex Scriptura deduci poteſt, habendam eſſe abſolutè neceſſariam; niſi de cujus abſoluta neceſſitate evidenter conſtet. Et ſi non evidenter conſtet de abſoluta neceſſitate, talem propoſitionem eſſe habendam, ut tantùm Phyſicè neceſſariam. Per inductionem v. g. Vedelianam, ex Scriptura deſumptam, prodit hæc univerſalis: *Omnis natura humana ſingularis ſubſiſtit ſubſiſtentiâ propriâ, & eſt perſona.* Nam Scriptura, hinc indè, de naturis humanis ſingularibus mentionem facit, nec alias agnoſcit, vel proponit, quàm quæ ſubſiſtunt ſubſiſtentiâ propriâ, & ſunt perſonæ.

(Vaſquer. *part.* 1. *art.* 8. *diſp.* 11: *cap.* 2. Muſæus. *b* 2. *cap.* 8. §. 7. *&c.* *pag.* 368.)

XLIV. Si reſpondeat Vedelius Photinianis, qui prædicta univerſali propoſitione abutuntur, dari in Scriptura inſtantiam; *Ubi in una Chriſti perſona duæ realiter diſtinctæ naturæ ſint.* Nos ſimiliter reſpondemus, dari in Scriptura inſtantiam; *Ubi in SS. Euchariſtia corpus Chriſti realiter in pluribus locis ſit præſens.* Neque regerere poteſt Vedelius, nos ita petere principium: quia idem dicent Vedelio Photiniani: nec

Digitized by Google

nec abſurdum eſt, aliquid, de quo controvertitur, inſtantiæ loco adhiberi, quando præter illud non aliud datur, quod ab univerſali propoſitione excipi poteſt. Sicut igitùr Vedelius dictam inſtantiam rectè opponit Photinianis, tanquam in Scriptura fundatam; ità & nos inſtantiam, de præſentia Chriſti in pluribus locis, rectè opponimus Vedelio, tanquam in Scriptura fundatam. Si Vedelius pergat urgere abſolutam neceſſitatem ejus propoſitionis: *Omne corpus naturale eſt in loco*: certè non inveniet tantam, quantam putant eſſe Photiniani in hac: *Omnis natura humana ſingularis ſubſiſtit ſubſiſtentiâ propriâ, & eſt perſona.* Conſtat enim, eſſe in loco, eſſe accidens: nec ſimile tam planè conſtat de ſubſiſtentia propria, reſpectu naturæ humanæ ſingularis.

XLV. In forma dicimus ad argumentum Vedelii, quod contrà realem præſentiam Chriſti in SS. Euchariſtia collimatur: majorem illam, *Omne corpus naturale eſt in loco*, non eſſe revelatam, tanquam abſolutè neceſſariam: neque per inductionem, ut abſolutè neceſſariam, probari ex Scriptura. Et quia quæſtio, de reali præſentia Chriſti in SS. Euchariſtia, à nobis tenetur per ſolam revelationem ſupernaturalem; ideò eſt merè Theologica, nec attingitur per rationem naturalem, & Philoſophicam. Si ulteriùs inſiſtat Vedelius, probet ex Scriptura, iſtam propoſitionem; *Omne corpus naturale eſt in loco*; eſſe abſolutæ neceſſitatis. Nos negamus illud præſtari per inductionem.

§. 7.

Reformati docent 2. Propoſitiones à ratione, eſſe tantùm inſtrumenta, non principia.

XLVI. Vedelius ſuum principium explicat 2. quod propoſitiones à ratione, cum in argumento Theologico alterutrius præmiſſæ loco adhibentur; non ſe habere in ordine ad concluſionem Theologicam, ut tanquam *principium* probent *veritatem ſententiarum*; ſed ut tanquam *inſtrumentum* oſtendant veritatem connexionum, Vid. Math. Auguſt. *part.* 2. *cap.* 4. §. 6. Daillæum, *la foy fondée*, *Part.* 1. *cap.* 11. *pag.* 60. *Lib.* 1. *cap.* 10. *pag.* 112. & *alibi ſæpè.*

XLVII. Pro reſponſione nota, nos hîc non agere de principiis rationis, quæ modum argumentandi concernunt, quæque *formalia* prin- Muſæus *lib.* 1. *cap.* 18. §. 12. &c.

principia vocari poſſunt: quia certum eſt, hæc tantùm ut inſtrumenta concurrere ad concluſionem; nec ſententiarum, ſed connexionum tantùm veritatem concernere. Agimus ergò de principiis materialibus, quæ præmiſſæ locum ſubeunt.

XLVIII. Vox *inſtrumenti*, in ordine ad cognitionem concluſionis, diverſimodè ſumitur. 1. Generaliter pro quolibet, quod cognoſcendæ concluſioni inſervit, ſeu utile eſt: & hoc ſenſu, tùm ſyllogiſmi principia Materialia, duæ ſcilicet præmiſſæ, ex quibus concluſio infertur, inſtrumentorum nomine veniunt. 2. Sumitur ſpecialiter, pro eo tantùm, quod intellectui ad hoc duntaxat inſervit, ut ex materialibus principiis ſyllogiſmum extruere, & concluſionem formaliter inferre poſſit; quo modo inſtrumenti vox materiæ ſyllogiſmi opponitur, & formalibus tantùm principiis convenit.

XLIX. Vedelius, uti patet, accipit vocem inſtrumenti in poſteriore ſignificatione, opponens variis locis propoſitionem rationis medio termino ex Scriptura deſumpto.

L. Nunc oſtendendum eſt, Vedelium uti principiis rationis, non tantùm ut inſtrumentis, in ſenſu dicto; ſed ut principiis materialibus concluſionum fidei. Reformati nequeunt diffiteri, ſe uti propoſitionibus rationis loco majoris in principali (ut ipſi loquuntur) ſyllogiſmo. vide. § 6. *n.* 37. Major autem propoſitio, ſive ea ex Scriptura, ſive ex ratione petita ſit, materiale concluſionis principium eſt. Quomodo igitur ab ea dependebit, ut à ſolo inſtrumento, accipiendo inſtrumentum pro formali principio. Nonne ſunt repugnantia, in argumento materiale principium eſſe; & tamen ad concluſionem non aliter, quàm ut inſtrumentum, id eſt, formale principium ſe habere?

LI. Si major propoſitio eſſet Scripturæ, minor rationis, concederet Vedelius, concluſionem à tali majore dependere, ut à vero principio materiali; non autem ut à ſolo inſtrumento formali. Cur ergò diverſum ſtatuit, ſi propoſitio rationis obtineat locum majoris, vel prioris præmiſſæ? Si utraque præmiſſa eſſet rationis, vel utraque ſupernaturaliter revelata; concluſio ab utraque dependeret, tanquam à principio materiali. Unde igitur illa differentia, ſi altera ſit rationis, altera ſupernaturaliter revelata? Concluſio ſequitur, quia præmiſſæ ſecundùm figuram & modum rectè diſpoſitæ ſunt: quòd autem illarum utraque, vel alterutra, naturaliter nota eſt; id non pertinet ſimpliciter ad eſſe concluſionis, de quo hîc agitur; ſed facit con-

Digitized by Google

concluſionem dici vel naturaliter notam, ſi dependet à præmiſſis naturaliter notis; vel Theologicam, ſi dependet ab una præmiſſa rationis, alterâ ſupernaturaliter revelatâ.

LII. Undè *veritas connexionum* in Syllogiſmo pendet à principiis formalibus Syllogiſmi: *veritas ſententiæ* per conſequentiam deductæ, pendet ab utraque præmiſſarum, ſive ſint rationis, ſive alterutra illarum ſupernaturaliter revelata. Nec Vedelius in Philoſophia aliud evincet, nec in Theologia. Sic enim dicitur communiter conſequentia eſſe bona, quando forma Syllogiſmi eſt bona, dicitur conſequens eſſe verum, quando concluſio, quoad materiam, benè ſequitur ex præmiſſis. Si autem conſideretur conſequens, non ut conſequens, ſed ut propoſitio independens; tunc veritas, vel falſitas deſumitur ex conformitate, vel difformitate cum objecto.

LIII. Eodem modo ait S. Auguſtinus: *Aliud eſt noſſe regulas* (alibi dicit veritates) *connexionum, aliud ſententiarum veritatem. In illis diſcitur, quid ſit conſequens, quid non conſequens, quid repugnans: conſequens eſt; ſi Orator eſt, homo eſt. Inconſequens; ſi homo eſt, orator eſt. Repugnans; ſi homo eſt, quadrupes eſt. Hic ergò de ipſa connexione judicatur. In veritatibus autem ſententiarum, ipſa per ſe ſententia, non earum connexio, conſideranda eſt*, ita Veritas ſententiarum per ſe conſideratur, quando unio prædicati cum ſubjecto perpenditur: an ſcilicet conformis ſit ſubjecto, ſeu an quæ per prædicatum componuntur, vel dividuntur, in ipſo ſubjecto ſint compoſita, vel diviſa. *Lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 34. Tom. 3. pag. 18. D.*

LIV. Poſteà; ſi majorem principalis Syllogiſmi §. *6. n.* 37. poſiti, conetur Vedelius probare alio Syllogiſmo (quem vocat proſyllogiſmum) ex ratione integrè deſumpto; non ideò concluſio principalis ſyllogiſmi dependet ab iſto proſyllogiſmo, tanquam à ſolo inſtrumento formali, ſed tanquam à principio materiali: licèt enim concluſio principalis Syllogiſmi, non immediatè dependeat à proſyllogiſmo; dependet tamen mediatè, & quidem in eodem genere cauſæ, & ſecundùm eandem rationem cauſandi. Nam ſicut concluſio principalis Syllogiſmi, pendet à præmiſſis principalis argumenti; ſecundùm eandem rationem cauſandi, dependet major propoſitio principalis argumenti à proſyllogiſmo. Quænam igitur ratio eſſe poteſt, cur concluſio principalis Syllogiſmi non dependeat à proſyllogiſmo, ut *à cauſa & principio materiali*, ſed tantùm ut *ab inſtrumento formali?*

LV. Neque dicat Vedelius, proſyllogiſmum, reſpectu princi-

palis ſyllogiſmi eſſe *minùs principalem*; & ſic eam concurrere ut *cauſam minùs principalem*: quia ita committitur fallacia non cauſæ ut cauſæ: non enim ideò proſyllogiſmus dicitur *minùs principalis ſyllogiſmus*, quaſi concurreret ad concluſionem principalis ſyllogiſmi, ut cauſa *minùs principalis*; cùm in virtute probandi ſit magis independens, quàm præmiſſa principalis ſyllogiſmi, quæ per proſyllogiſmum probatur; undè ſub ea ratione principalis potiùs ſyllogiſmus dicendus eſſet. Sed ideò dicitur proſyllogiſmus minùs principalis, quia non ipſam *quæſtionem principalem*; at tantùm propoſitionem quandam, quæ in principali ſyllogiſmo adhibita, & poſtmodum in quæſtionem vocata eſt, immediatè infert, & probat, quæ reſpectu ejus, quod principaliter in quæſtione erat, *minùs principalis controverſia* rationem habet.

§. 8.

Cocceji objectio refellitur.

De Potent. Script. diſp. 28. n. 26. LVI. Dicit: *Vedelius, & in eo Reformati accuſantur, quod falsò dicant ſe adhibere propoſitiones à ratione non* ut tanquam principium, probent veritatem ſententiarum; ſed ut tanquam inſtrumentum oſtendant veritatem connexionum. *Igitur dicunt*, Veritatem connexionum in Syllogiſmo pendere à principiis formalibus Syllogiſmi. Sic enim communiter dici conſequentiam eſſe bonam, quando forma ſyllogiſmi eſt bona.

LVII. *Reſp.* Quæritur ergò; An Vedelius, & Reformati non adhibeant propoſitiones à ratione, niſi ut tanquam ſola inſtrumenta oſtendant veritatem connexionum? Negativam cum Muſæo §. *praeced.* firmavimus ratione non una. Videndum, an Coccejus eas convellat.

Ibid. n. 27. LVIII. Dicit: *Condonent nobis fratres, quod dubitamus, an ſatis perceperint, quid Auguſtinus de doctr. Chriſt. c. 34. intelligat per* regulas connexionum. *Neque enim intelligit tantùm regulas formandi Syllogiſmum, quanquam & illas intelligit, ſed intelligit maximè propinquitatem ſententiarum & certa principia, ex quibus perſpici poteſt, ſententias inter ſe, ſive veras ſive falſas, verè eſſe connexas. Et eam* veritatem connexionum *dicit c. 32.* non inſtitutam ſed animadverſam eſſe ab hominibus & notatam, ut eam poſſint vel diſcere vel docere. Nam, *inquit*, eſt in rerum ratione perpetua, & divinitùs inſtituta. *Patet hoc ab exemplo*,

Digitized by Google

plo, quo utitur: Si non eſt reſurrectio mortuorum, neque Chriſtus reſurrexit, inanis eſt prædicatio, vana fides, adhuc eſtis in peccatis veſtris. *Hæc conſequentia ſive veritas connexionum non pendet à forma ulla ſyllogiſtica, ſed à rerum proquinquitate & neceſſitudine, &, ut candidiſſimus doctor loquitur*, ratione perpetua & divinitùs inſtituta.

LIX. *Reſp.* Concludendum erat: Vedelium & Reformatos non adhibere propoſitiones à ratione, niſi ut tanquam ſola inſtrumenta oſtendant veritatem connexionum. Non videmus hoc concludi. Non videmus vel unum ſolum argumentum §. *præced.* allatum, aſſumi refutandum, minùs refutari. Fatetur, S. Auguſtinum, per Regulas connexionum, intellligere regulas formandi ſyllogiſmum, quòd nos unicè voluimus. Sed, inquit Coccejus, S. Auguſtinus *intelligit maximè propinqnitatem ſententiarum, & certa principia, ex quibus perſpici poteſt, ſententias inter ſe, ſive veras ſive falſas, verè eſſe connexas.* Demus id verum eſſe: quomodo indè concludet; Vedelium, & Reformatos non adhibere propoſitiones à ratione, niſi ut tanquam ſola inſtrumenta oſtendant veritatem connexionum? Ubi eſt propinquitas ſententiarum, ſunt certæ regulæ, vel certa principia, undè ea propinquitas perſpicitur. Sed dicere: *Conſequentiam, ſive veritatem connexionum non pendere à forma ulla ſyllogiſtica, ſed à* rerum *propinquitate & neceſſitudine*; toto cœlo aberrare eſt, ſiquidem id generaliter aſſeratur. Invenitur quidem talis propinquitas ſententiarum, in quibus nulla requiritur forma ſyllogiſmi ad intelligendam ac oſtendendam earum connexionem, uti poſteà declarabimus. Sed exemplum quod ex S. Auguſtino ponitur, non habet eam ſententiarum propinquitatem, quæ ſit cognoſcibilis, & demonſtrabilis ſine forma ſyllogiſtica. *Si non eſt reſurrectio mortuorum, neque Chriſtus reſurrexit.* Demonſtret nobis Coccejus, per quas regulas, per quæ certa principia, citrà formam ſyllogiſticam, cognoſcatur illarum ſententiarum connexio? *Si non eſt reſurrectio mortuorum, neque Chriſtus reſurrexit.* Si illa certa principia nobis ſuggerunt medium probandi connexionem iſtarum ſententiarum, jam præſtabunt quod ad ſyllogiſmum requiritur, & ſine quo iſta connexio non poteſt demonſtrari. Ideo veſter Pareus, ut oſtendat connexionem iſtarum ſententiarum, utitur mediis tùm à ratione, tum ex Scriptura petitis: tantundem facit Gloſſa Bibliorum Belgicorum; & omnes interpretes. *Exam.* *In 1 Cor. 15: 13. &c.* *In. d. locum.*

LX. Addit: *Ergò animadvertere* rerum rationem, *& conjunctionem,* *Ibid. n. 28.*

ctionem, eſt νοήσεως, eſt συνθέσεως, eſt χρήσεως, eſt συνειδήσεως. Eo autem inſtrumento uti, quo Scriptura ipſa ubique præcipit uti, eſt fidei, eſt charitatis, eſt timoris Dei, eſt cœleſtis ſapientiæ & prudentiæ, non autem eſt, cujus inſimulamur, rationem noſtram facere principium Theologiæ & fidei.

LXI. *Reſp.* Nullus prohibet advertere rerum rationem, & conjunctionem in Scripturis divinis revelatarum. Ipſi laudamus, ipſi facimus. Scimus id prodeſſe ad elucidandam fidem, ad promovendam charitatem, ad excitandum timorem Dei; conducere ad adipiſcendam rerum cœleſtium ſapientiam ac prudentiam. Sed hoc non quæritur. Iſta eſt quæſtio: An Vedelius, & Reformati non adhibeant propoſitiones à ratione, niſi ut tanquam ſola inſtrumenta oſtendant veritatem connexionum? Quæ eſt iſta ſequela? licet uti propoſitionibus à ratione: Ergò Reformati non adhibent propoſitiones à ratione, niſi ut tanquam ſola inſtrumenta oſtendant veritatem connexionum. Certè, hoc dicere, & nihil dicere, & argumentis non reſpondere, idem ſunt.

§. 9.

Reformati docent 3. ſe adhibere principia rationis ſecundùm ductum Scripturæ.

Muſæus. lib. 2. cap. 16.

LXII. Dicunt Reformati, ſe utendo principiis rationis, ſequi exemplum Chriſti, qui *Luc.* 24. per experientiam ſenſuum, probavit diſcipulis ſuis, ſe habere verum corpus. Et ita Reformatos etiam probare per experientiam ſenſuum, in Euchariſtia non eſſe verum corpus, v. g. *Omne corpus naturale, ubi eſt præſens, ſub ſenſum cadit. Chriſti corpus eſt corpus naturale. Ergò.*

LXIII. *Reſp.* De minore non eſt dubium. Sed negamus majorem eſſe abſolutæ neceſſitatis. Si igitur Reformati utantur iſtâ majore juxtà ductum Scripturæ, oſtendant Scripturam eâ uti ad ejuſdem, vel ſimilis concluſionis confutationem; qualem ipſi volunt confutare.

LXIV. *Reſp.* 2. Eâdem ratione poſſunt procedere Photiniani, & dicere, ſe ſecundùm ductum Scripturæ, principia ſua ad controverſiam, quæ eſt de dualitate perſonarum in Chriſto applicare. Nam etiam illorum minor eſt in Scriptura. v. g. *Omnis natura humana ſingularis, eſt perſona. Chriſti natura humana eſt natura humana ſingularis. Ergò.*

Digitized by Google

Ergò. Quæ hîc eſt differentia inter Reformatos & Photinianos.

LXV. Inſtant Reformati, *De quo Chriſtus teſtatur, quod verum & naturale corpus ſit, de eo in fidei controverſiis non poſſumus aliter loqui, quàm corporis natura jubet. Atqui de ſuo corpore Chriſtus teſtatur, quod ſit verum & naturale corpus. Ergò.* Et conſequenter dicendum non eſt, Chriſtum eſſe præſentem, ubi nec videtur, nec tangitur.

LXVI. *Reſp.* 1. Major non eſt abſolutè neceſſaria. Indè enim ſequeretur, propoſitiones phyſicè tantùm neceſſarias majoris propoſitionis loco adhiberi poſſe, quod non eſſe faciendum, in controverſiis merè Theologicis, oſtendimus. Et quis ſanus negabit, quod per Dei potentiam fieri poſſit, ut aliquod verum corpus alicubi præſens ſit, & ſalvâ manente ejus eſſentiâ, ab illo, cui præſens eſt, nec viſu, nec tactu percipiatur?

LXVII. *Reſp.* 2. Chriſtus teſtatur ſuum corpus eſſe verum corpus, & naturale corpus; ſed ideò non ſequitur, non alia de eo prædicata, quàm naturalia enuncianda eſſe: alioqui nihil ſupernaturale ei tribuendum eſſet; cum corporis natura non jubeat, ſupernaturalia corpori naturali tribuere.

LXVIII. *Reſp.* 3. Eodem modo dicent Photiniani: *De quo Chriſtus teſtatur, quòd verus homo ſit, de eo in fidei controverſiis aliter loqui non poſſumus, quàm natura hominis jubet. Atqui de ſe teſtatur Chriſtus, quòd verus homo ſit. Ergò nec de ipſo aliter loqui poſſimus, quàm hominis natura jubet.* Jam verò ea eſt hominis natura, ut nuſpiam ſine propria ſubſiſtentia, ſeu perſonalitate exiſtat. Ergò nec Chriſti humana natura ſine ſubſiſtentia, ſeu perſonalitate propria exiſtit. Vides, lector, quò tandem hæc opinio Reformatorum deveniat.

LXIX. Tandem Reformati idem argumentum proponunt hac ratione: *Luc.* 24. *dicitur: Chriſti corpus videtur & tangitur. Ergò eſt verum corpus. Ita & nos: Vbi eſt Chriſti corpus, ibi videtur & tangitur. In Euchariſtia non videtur & tangitur. Ergò in Euchariſtia non eſt Chriſti corpus.*

LXX. *Reſp.* 1. Negando paritatem. Quia *luc.* 24 erat quæſtio; An corpus, quod ſtabat in medio diſcipulorum, verum & naturale corpus eſſet, an phantaſma? Inter nos agitur de SS. Euchariſtia. Illa quæſtio erat naturalis ordinis, quæ ſenſuum judicio dirimi poterat. Quæſtio de SS. Euchariſtia non eſt ordinis naturalis, nec ſenſuum judicio ſubjecta eſt. Non enim quæritur; *An Chriſti corpus ſit præſens ſecundùm proprietates phyſicas?* Sed an ſit ſubſtantialiter præ-

ſens,

ſens, hoc eſt, ſecundùm prædicata eſſentialia. Volunt Reformati confutare realem præſentiam corporis Chriſti, per abſentiam proprietatum quarundam phyſicarum, quas ipſi docemus eſſe abſentes; & propter quarum abſentiam credimus realem præſentiam etiam eſſe ſupernaturalem. Pro majore luce addimus: hæc duo non eſſe contradictoria; corpus Chriſti, ſecundùm naturam ſuam, eſt viſibile & palpabile; & tamen ſupernaturaliter eſt præſens in SS. Euchariſtia, licèt nec videatur, nec palpetur.

LXXI. *Reſp.* 2. Differunt Chriſti & Reformatorum argumenta, *ex parte modi argumentandi*, Chriſtus utitur ſenſuum teſtimonio, tanquam medio affirmativo; & ex eo quòd corpus ſuum videtur & palpatur, concludit, id verùm corpus, non phantaſma eſſe. Argumentum Chriſti ſic formari poteſt: *Quicquid videtur & palpatur, eſt verum corpus, non phantaſma. Atqui meum corpus videtur & palpatur. Ergò meum corpus eſt verum corpus, non phantaſma.*

LXXII. Reformati autem utuntur ſenſuum teſtimonio, tanquam medio negativo: & ex hoc, quod in Euchariſtia corpus Chriſti nec viſu, nec tactu percipitur, negant id in SS. Euchariſtia præſens eſſe. Atqui ſic mutant propoſitionem Chriſti finitam affirmantem, in infinitam (infiniti ſubjecti) negantem: hanc videlicet: *Quicquid videtur & palpatur, illud eſt verum corpus*; in illam; *Quicquid non videtur nec palpatur, non eſt verum corpus.*

LXXIII. Quod ſi hæc poſterior argumentandi ratio eadem eſt cum priore, quâ Chriſtus utebatur; ſic eadem erit quoad formam: *Quicquid animal eſt, eſt corpus. Leo eſt animal. Ergò leo eſt corpus:* cum hâc: *Quicquid non eſt animal, non eſt corpus. Lapis non eſt animal. Ergò lapis non eſt corpus.* Quod eſt falſum; proindeque non ſequitur ratione formæ.

LXXIV. Non etiam ſequitur ratione materiæ, aut dici poteſt materialiter bona Reformatorum argumentatio: quia poteſt dari inſtantia in ſimili materia, ubi antecedens eſt verum, conſequente falſo. Cùm ignis, v. g. ex fornace Babylonica ureret, benè ex ſenſuum teſtimonio colligebant adſtantes: *Quicquid materiam combuſtibilem comburit, eſt verus ignis. Flamma hæc* (in fornace) *materiam comburit. Ergò flamma hæc eſt verus ignis.* Si quis autem, exemplo Reformatorum, velit argumentari negativè, errabit graviſſimè, hoc modo: *Quicquid materiam combuſtibilem non comburit, non eſt verus ignis. Atqui flamma hæc* (fornacis) *materiam combuſtibilem non comburit.* non

enim

Digitized by Google

enim comburebat tres illos Hebræos, Danielis 3. 25. *Ergò flamma hac non eſt verus ignis.* Hîc eſſe ſimilem materiam, patet; quia in hac propoſitione: *Quicquid materiam combuſtibilem non comburit, non eſt verus ignis*; proceditur à proprietate phyſica, ad ſubſtantiam, cui ea proprietas convenit. Et in illa ſimiliter agitur: *Quicquid palpatur & videtur, eſt verum corpus.* Sicut enim *comburere*, eſt proprietas phyſica ignis; ita *palpari & videri* ſunt proprietates phyſicæ corporis. Audiamus & proprietatem verbo paſſivo propoſitam. Poterant dicere Babylonii: *Quicquid ab igne comburitur, eſt verum corpus.* Sed inde non poterant inferre; *Quicquid ab igne non comburitur, non eſt verum corpus.* Videmus igitùr, Reformatorum argumentationem non eſſe materialiter bonam.

LXXV. Fundamentum hujus rei conſiſtit in diſtinctione propoſitionum abſolutè neceſſariarum, & phyſicè tantùm neceſſariarum. Quia ut ex affirmativa univerſali, inferatur negativa univerſalis; requiritur, ut propoſitio ſit abſolutè neceſſaria. Ideò non ſequitur, niſi quoad ſolam neceſſitatem phyſicam: *Quicquid urit, eſt ignis; Ergò quicquid non urit, non eſt ignis.* Falſa eſt enim illa negativa abſolutè ſumpta, reſpectu divinæ potentiæ. Requiritur prætereà, ut ſubjectum & prædicatum æquè latè pateant. Hinc non ſequitur, ne quidem neceſſitate Phyſica: *Quicquid eſt aër, eſt humidum. Ergò quicquid non eſt aër, non eſt humidum.* Quia non ſunt termini convertibiles, *aër & humidum*: cùm humidum eſſe, etiam conveniat aquæ. Ob eandem cauſam, non ſequitur ex hac prædicatione eſſentiali: *Quicquid eſt animal, eſt corpus.* Hæc negativa: *Quicquid non eſt animal, non eſt corpus*; quia *corpus* latiùs patet, quàm *animal*: ideò non ſunt termini convertibiles. Benè tamen ſequitur: *Quicquid eſt riſibile, eſt homo. Ergò quicquid non eſt riſibile, non eſt homo.* Item: *Quicquid eſt animal rationale, eſt homo. Ergò quicquid non eſt animal rationale, non eſt homo.* Ratio eſt, quia proprietates logicæ, & eſſentiæ rerum ſunt abſolutè neceſſariæ: proprietates etiam logicæ æquè latè patent, ac eſſentiæ; cùm deſumantur à tota eſſentia: & definitio rei eſt convertibilis cum definito. Hinc quando Reformati dicunt: *Quicquid videtur & palpatur, eſt verum corpus*: ponunt in ſubjecto neceſſitatem phyſicam; quæ, uti dictum eſt, non eſt abſolutè neceſſaria; & hoc in præſenti ſufficit. Si quis velit inſuper dicere, terminum *corpus* latiùs patere, quàm terminum *palpari & videri*, non aberrabit: quia aër non videtur, & frequenter non palpatur, atque interim eſt verum

corpus. Unde ſequitur, in affirmativa; *Quicquid videtur & palpatur eſt verum corpus*, non eſſe terminos convertibiles; quod tamen oſtendimus requiri, ut ad univerſalem negativam poſſet procedi.

LXXVI. Dices; Si Chriſtus *luc.* 24. ad probandam veri corporis ſui præſentiam, adhibuit majorem propoſitionem non abſolutè neceſſariam; quomodo potuit abſolutâ neceſſitate loqui, quòd exhiberet diſcipulis verum naturale corpus, non phantaſma?

LXXVII. Reſpondent multi Theologi, argumentum Chriſti, *in ſe* conſideratum, non eſſe abſolutè neceſſarium; ſed eſſe argumentum ad hominem. Apoſtoli enim, tanquam viri ſimplices, magni faciebant teſtimonium ſenſuum. Imò S. Thomas *Ioan.* 20. 25. teſtabatur, ſe nolle convinci, niſi per ſenſus. Undè mirum non eſt, ſi Chriſtus, ex ſingulari miſericordia, adduxit illud principium, quod ab ipſis habebatur ſimpliciter verum, & abſolutè neceſſarium; præcipuè cùm non deeſſent alia teſtimonia; de quibus ſuis locis agunt Theologi.

Lib. 1. *cap.* 1. *pag.* 33. LXXVIII. Itaque de Reformatis dici poteſt, cum S. Irenæo: *Cùm ſit igitur tale illorum argumentum, quod neque Propheta prædicaverunt, neque Dominus docuit, neque Apoſtoli tradiderunt, quod abundantiùs gloriantur, plus quàm cæteri cognoviſſe, de iis quæ non ſunt ſcripta, legentes, & quod dici ſolet, de arena reſticulas nectere adfectantes, fide digna aptare conantur iis quæ dicta ſunt, vel parabolas Dominicas, vel dictiones propheticas, aut ſermones Apoſtolicos, ut figmentum illorum non ſine teſte eſſe videatur: ordinem quidem & textum Scripturarum ſupergradientes, & quantùm in ipſis eſt, ſolventes membra veritatis*, TRANSFERUNT AUTEM ET TRANSFINGUNT, ET ALTERUM EX ALTERO FACIENTES *ſeducunt multos ex iis quæ aptant ex Dominicis eloquiis malè compoſito phantaſmati.*

§. 10.

Defenſio §. præcedentis contrà Coccejum.

Diſp. 28. *n.* 20. LXXIX. Dicit 1. *Eſto, non ſint hæc nobis ità naturâ cognita tanquam neceſſaria abſolutè, ſed tantùm ut neceſſaria Phyſicè, quantum ad vim cauſarum ſecundarum: non poſſunt tamen negare, à Scriptura illam terminorum æquivalentiam & oppoſitionem corporis ac ſpiritus validè roborari. Nullius enim corporis Scriptura meminit, in quo illa proprietas*, habere partes à ſe invicem excluſas *non reperiatur. Non dicit Scriptura, illam conditio-*

ditionem corporis eſſe ſeparabilem à corpore. Manifeſtè autem dicit, Carnem non eſſe ſpiritum. *Eſ.* 31.3. *&* ſpiritum oſſa & carnem non habere. *Luc.* 24.39.

LXXX. *Reſp.* Dat nobis Coccejus, non eſſe propoſitionem abſolutè neceſſariam: *Corpus habere partes à ſe invicem excluſas,* ſcilicet localiter. Addit tamen, non poſſe nos *negare, à Scriptura illam terminorum æquivalentiam & oppoſitionem corporis ac ſpiritus validè roborari.* Sed quæ illa terminorum æquivalentia? Hæc nimirùm: *Eſſe corpus, & habere partes à ſe invicem excluſas*, ſcilicet localiter. Hæc non eſſe abſolutâ neceſſitate æquivalentia, jam nobis dedit Coccejus. Num libet retractare liberalitatem? Si loquatur de neceſſitate phyſica, nihil ad rem protulerit: eſt enim naturaliter notum, omne corpus habere partes à ſe invicem localiter excluſas neceſſitate Phyſicâ; ut neutiquam indigeat roboratione Scripturæ iſta propoſitio, quæ à nemine negatur. Similiter, eſſe oppoſitionem inter corpus & ſpiritum, nemo diffitetur, & fruſtrà probatur. Ut quid ergò dicit? *Nullius corporis Scriptura meminit, in quo illa proprietas*, habere partes à ſe invicem excluſas, *non reperiatur.* Reperitur illa proprietas neceſſitate phyſicâ, non abſolutâ. Quid ad rem? *Non dicit*, inquit, *Scriptura, illam conditionem corporis eſſe ſeparabilem à corpore.* Sed ubi dicit Scriptura, illam conditionem corporum, eſſe inſeparabilem à corpore. Si ſit proprietas Phyſica; quomodo ſeparari nequit à corpore? Si nulla proprietas Phyſica ſeparari poſſet à corpore, neceſſariò debuiſſet Coccejus (ubi tamen in fornace Babylonica cum fidelibus pueris conſtitiſſet infidelis) ab igne comburi. Sin autem fateri neceſſe habet, aliquam proprietatem phyſicam ſeparari poſſe à corpore, cujus eſt proprietas; cur una ſeparari poteſt, alia non poteſt? Ubi eadem valet ratio, idem ſtatuendum eſt; niſi oſtendatur diverſitas.

LXXXI. Dicit 2. *Et hîc audent fratres*, propoſitionem Chriſti non eſſe abſolutè neceſſariam, &c. *Quis ſe contineat ad tantam imprudentiam? Annon hoc eſt irridere Chriſti doctrinam & teſtimonium reſurrectionis ejus? Nonne S. Iohannes omnibus & pueris & juvenibus & ſenioribus, rudibus, ſapientibus inculcat*, Quod vidimus, quod contemplati ſumus, quod audivimus, quod palparunt manus noſtræ? *Ibid. n.* 21.

LXXXII. *Reſp.* Quis non obſtupeſcat ad tantam ignorantiam? Nequit Coccejus evincere; habere partes à ſe invicem excluſas localiter; eſſe proprietatem corporis niſi phyſicam: & tamen vult, iſtius

proprietatis cum corpore connexionem eſſe abſolutè neceſſariam. Quod ſi ponatur verum, neceſſe erit hanc univerſalem propoſitionem admittere: *Nulla corporis proprietas phyſica poteſt per Dei potentiam ſeparari à corpore.* Hanc autem univerſalem ſi tenuiſſent pueri in fornace Babylonica, contradicentes divinæ potentiæ in contradictione non obtinuiſſent omnipotentis auxilium, ſed juſtè vindicantis flagellum. Si illa univerſalis eſt falſa, uti eſt falſiſſima; oportet dicere, corporis proprietates phyſicas, non conjungi corpori, niſi neceſſitate phyſicâ; neutiquam verò eidem conjungi neceſſitate abſolutâ. Si quis proinde aſſerit, propoſitionem Chriſti, vi terminorum, eſſe abſolutè neceſſariam, & imperitus eſt Philoſophus, & inexercitatus Theologus. An aliundè Chriſti propoſitio ſit abſolutè neceſſaria, nunc non inquirimus; & idem de reliquis. Vide Pareum *loc. cit.*

Ibid. n. 22. LXXXIII. Dicit 3. *Sed porro, de cæteris quidem omnibus corporibus annuerit Scriptura, & nihil aliud ullo ſigno teſtata ſit, at de Chriſti corpore aliquid dixerit diverſum. Atqui teſtatiſſimum eſt in Scriptura, Chriſti corpus omnes proprietates corporis habere, partes, membra, ſpacium* ὑπαρξιν ἐν τόπῳ, *ſive* eſſe in loco, *motum localem, viſibilitatem, palpabilitatem: eſſe ſimile noſtro corpori: nos ipſius corpori glorioſo aſſimilandos eſſe: neque dicit, Chriſti corpus eas proprietates unquam deponere, unquam non habere, nullibi dicit, ſimul habere & non habere eodem tempore: in diverſis locis. Neque ſanè id dicit, ubi cœnam inſtituit. Quin ubi myſterium cœnæ explicat, negat utile eſſe, ut caro ipſius hoc modo in diverſis locis ſit. Ioh. 6. 63.*

LXXXIV. *Reſp.* Teſtatiſſimum eſt in Scriptura, Chriſti corpus omnes qualitates corporis habere, partes, membra. Non eſt teſtatiſſimum, Chriſti corpus, ubicunque eſt, occupare ſpacium, eſſe in loco, eſſe viſibile, eſſe palpabile. Ubi hoc dicit Scriptura? Eadem non dicit formalibus verbis, Chriſti corpus eſſe quandoque nec viſibile nec palpabile: ſed fortiſſimè aſſerit, Chriſti corpus manibus ipſius ſacratis eſſe diſtributum in SS. Euchariſtiæ inſtitutione; quod nec ipſa imprudentia de viſibili & palpabili corpore affirmaverit. Explicat quidem Chriſtus *Ioan. 6.* ex noſtra ſententia, SS. Euchariſtiæ myſterium: an autem ibi illud explicet ex ſententia Eccleſiæ Reformatæ, fortè primus perſpexerit Coccejus. Cæterùm illic Chriſtus non *negat utile eſſe, ut caro ipſius hoc modo in diverſis locis ſit*; quod nec ibi legitur, neque ex textu probari poteſt; ſed gratis fingitur. Imò

Joan.

Joan. 6. 52. expreſsè dicit: *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Quando hoc fecit? Utique in ultima cœna. Quomodo id fecit? Certè manibus ſuis: neque enim dicit Scriptura, Chriſtum in ultima cœna aliter dediſſe carnem ſuam pro mundi vita. Si ergò panis vivus, & vivificans Chriſtus Jeſus, manibus ſuis dedit carnem ſuam pro mundi vita; vel dicant Reformati, Chriſtum in ultima cœna manibus ſuis dediſſe carnem ſuam palpabilem, & viſibilem pro mundi vita; quod abſurdum eſt: vel fateantur, Chriſtum in ultima cœna manibus ſuis dediſſe carnem ſuam nec palpabilem, nec viſibilem pro mundi vita; quod veritas Catholica habet.

LXXXV. Dicit 4. *Quinam igitur illi ſunt, in quos competit ſententia Irenæi? quâ fratres abutuntur.* Cùm ſit igitur tale eorum argumentum, quod neque prophetæ prædicaverunt, neque Dominus docuit, neque Apoſtoli tradiderunt, &c. *Hoc enim apparet committi à Pontificiis, qui in ſubſidium localis præſentiæ corporis Chriſti in cœna, fingunt, quæ neque in Prophetis, neque in ſermonibus Domini, neque in epiſtolis Apoſtolorum continentur. Irenæo ſatis fuit, non dici in Scripturis, ad rejiciendum argumentum Valentini, hoc eſt, dogma illius: nonne & nobis id ſatis erit ad rejiciendum dogma Pontificium?* *Ibid. n. 23.*

LXXXVI. *Reſp.* Si ſufficit, Coccejum aſſerere, dogma Catholicum, de reali præſentia Chriſti in SS. Euchariſtia, non reperiri in Scriptura; potentior erit ejus aſſertio, quàm debile Vedelii argumentum, quod aſſumpſeramus refutandum. Sed quia ejus aſſertio non ſufficit, meritò negligitur. An nos rectè applicaverimus ſententiam S. Irenæi, judicet lector ex dictis. Ne tam fruſtrà iſta Coccejus protulerit; ecce argumentum ex ipſius dictis. Quod ſufficit Reformatis ad rejiciendum aliquod dogma Catholicum; debet ſufficere Reformatis ad rejiciendum aliquod dogma Reformatum. Sed ſufficit Reformatis ad rejiciendum dogma Catholicum, quòd exiſtiment Reformati illud non reperiri in Scripturis. Ergò debet ſufficere Reformatis ad rejiciendum aliquod dogma Reformatum, quòd Catholici exiſtiment illud non reperiri in Scripturis. Deindè, ut volunt Proteſtantes; Quicquid non reperitur in Scripturis, non eſt dogma Chriſtianum. Atqui doctrina Reformatorum de cœna Domini, non reperitur in Scripturis. Ergò doctrina Reformatorum de cœna Domini non eſt dogma Chriſtianum. Probatur minor: Si doctrina Reformatorum de cœna Domini repeiretur in Scripturis, deberet à Reformatis tradi per modum myſterii. Atqui doctrina

Reformatorum de cœna Domini non traditur à Reformatis per modum myſterii. Ergò doctrina Reformatorum de cœna Domini non reperitur in Scripturis. Probatur major: quia S. Scriptura tradit doctrinam de cœna Domini per modum myſterii; teſte Coccejo, *Num. 22.* qui fatetur, Chriſtum Joan. 6. *Myſterium cœnæ explicaſſe.* Probatur minor: quia doctrina Reformatorum de cœna Domini, nullum continet myſterium, etiam ruſticis facilè intelligentibus, quomodo particula panis, & hauſtus vini valeant ſumi in memoriam paſſionis Dominicæ. Aſſerunt quidem Reformati, in doctrina ſuæ cœnæ eſſe magnum myſterium: ſed ubi ad rem venitur, & planis verbis res proponitur, nec umbra myſterii apparet.

Ibid. n. 24. LXXXVII. Dicit 5. *Atqui volunt, eodem modo Photinianos agere poſſe ad deſtruendam* ἐνσάρκωσιν Θεοῦ, incarnationem Dei, *quia par neceſſitas ſit illius propoſitionis*: Omnis natura humana eſt perſona, *& eam eſſe ſimiliter in Scripturis fundatam. Id verò eſt falſiſſimum.*

LXXXVIII. *Reſp.* Errat Coccejus, dicens Photinianos voluiſſe deſtruere incarnationem filii Dei: neque enim incarnationem negant, ſed aſſumptionem carnis in unitatem perſonæ negant. Errat iterùm, quando tribuit Photinianis eam propoſitionem: *Omnis natura humana eſt perſona:* neque enim adeò delirant, ut hoc aſſerant. Hæc eſt eorum propoſitio: *Omnis natura humana ſingularis eſt perſona.* Nam omnis natura humana, ut natura humana eſt, non eſt perſona: ſed omnis natura humana ſingularis, ut ſingularis eſt, eſt perſona. Neque, quod ſciamus, ullus Philoſophus aliter ſentit, aut loquitur. Negat Coccejus, iſtam propoſitionem Photinianorum eſſe paris neceſſitatis cum hac Reformatorum; *Omne corpus naturale, ubi eſt præſens, ſub ſenſum cadit.* Audiamus rationem.

Ibid n. 25. LXXXIX. Hanc adfert: *Integrâ enim & manente eſſentiâ animæ & omnium membrorum corporis, animam & corpus inter ſe juncta non conſtituere perſonam ſive* principium quod *actionum ſuarum, ſed eſſe creatoris organa, minimè repugnat. Qui ſibi poteſt fabricare vocem, quâ nobis loquatur, non poteſt ſibi facere & linguam & ſic cætera membra & animam membris agitandis, ut in illis habitet, tanquam templo, in iis & per ea cogitet, velit, loquatur, agat, patiatur, ignominiâ & gloriâ afficiatur, denique appareat, & viſitet populum ſuum? quæ omnia Scriptura loquitur.*

XC. *Reſp.* Fatemur ex animo, non repugnare divinæ potentiæ, ut manente eſſentiâ animæ & omnium membrorum corporis, anima & corpus inter ſe juncta non conſtituant perſonam. Utinam Coc-

cejus

Digitized by Google

cejus & omnes Reformati faterentur, non repugnare divinæ potentiæ, ut aliquod corpus naturale ſit alicubi præſens, & tamen ſub ſenſum non cadat! neque enim, ſi hoc faterentur, errantis rationis miniſterio veritatem in Scripturis teſtatiſſimam impugnarent.

XCI. Hoc quæritur: An par ſit neceſſitas harum propoſitionum; *Omnis natura humana ſingularis eſt perſona:* &; *Omne corpus naturale, ubi eſt præſens, ſub ſenſum cadit.* Nos affirmamus: Coccejus dicit, *Id verò eſt falſiſſimum.* Audiamus probationem. *Qui ſibi poteſt fabricare vocem, quâ nobis loquatur,* &c. Poſſe Deum ſibi fabricare vocem, quâ nobis loquatur, indubitatum eſt: ſic enim *Vocavit Dominus* Gen. 3. 9.
Deus Adam, & dixit ei: Ubi eſt? Qui ait: Vocem tuam audivi in paradiſo, &c. Sic de meliore gratioreque voce legitur: *Accipiens à Patre* 2Petr. 1. 17.
honorem & gloriam, voce delapſâ ad eum hujuſcemodi à magnifica gloria: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite. Et hanc vocem nos audivimus. Petimus; an Deus, fabricans ſibi vocem, vel in paradiſo, vel in monte ſancto; illam vocem ſuæ perſonæ univerit, ita ut illa vox non ſubſiſteret ſeorſim, ſed tantùm in perſona Dei Patris? Nolet Coccejus id aſſerere; eſt enim abſurdiſſimum. Ergò Deus fabricans ſibi vocem, tantùm produxit ſonum articulatum, ſimilem voci humanæ. At quid inde ſequitur? Qui ſibi poteſt fabricare vocem, *non poteſt ſibi facere & linguam?* Certè poteſt. Quid enim impedit, quò minùs ſibi faciat linguam, quam ſuâ potentiâ moveat, ad edendum ſonum articulatum ſimilem voci humanæ? Sed quid ulteriùs ſequitur? Qui ſibi poteſt fabricare vocem, & facere linguam, non poteſt *ſic cætera membra & animam membris ſuis agitandis, ut in iis habitet, tanquam in templo?* Certum eſt; Deum non tantùm poſſe fabricare membra humana, & animam membris ſuis agitandis infundere, ut in iis habitet, tanquam in templo: ſed etiam de facto fabricaſſe homines, ut in iis habitet, tanquam in templo. Sic enim dicit Apoſtolus: *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei* 1Cor. 3. 16.
habitat in vobis? Iterùm: *An neſcitis quoniam membra veſtra, templum* 1Cor. 6. 19.
ſunt Spiritus ſancti qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri? Empti enim eſtis pretio magno, Glorificate & portate Deum in corpore veſtro. Rurſum: *Quod ſi Spiritus ejus, qui ſuſcitavit Ieſum à mortuis, habitat in* Rom. 8. 11.
vobis: qui ſuſcitavit Ieſum Chriſtum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis. Vid. 1 Tim. 1. 14. Quid majus ſequitur? Qui, inquit, ſibi poteſt fabricare vocem, poteſt ſibi facere linguam, & cætera membra, & animam, ut in illis habet,

bet, tanquam templo, *in iis & per ea cogitet, velit, loquatur, agat, patiatur, ignominiâ & gloriâ afficiatur.* Nullus ambigit, quin Deus poſſit ſibi iſta facere; & quin ſibi iſta faciat. Non valent fideles cogitare aliquid boni à ſe-ipſis, ſine inhabitante Deo: *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Iidem fideles non volunt bonum, niſi Deo operante, ut velint bo-
Rom. 8. 14. num: *Quicunque Spiritu Dei aguntur: ii ſunt filii Dei.* Et *ſpiritus ubi vult*
Ioan. 3. 8. *ſpirat.* In fidelibus loquitur etiam Chriſtus, cui, tanquam capiti ſuo,
2Cor. 13. 3. ſunt uniti. *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Chriſtus: qui in vobis non infirmatur, ſed potens eſt in vobis.* Nec mirum: quia
Galat. 2. 20. Chriſtus vivit in fidelibus, ita ut ipſi non cenſeantur vivere: *Vivo autem, jam non ego: vivit verò in me Chriſtus.* Loquuntur autem fideles
1Cor. 12. 3. per Spiritum Chriſti: *Nemo poteſt dicere Dominus Ieſus: niſi in Spiritu*
Galat. 4. 6. *Sancto.* Sic dicit Apoſtolus: *Quoniam eſtis filii Dei: miſit Deus ſpiritum filii ſui in corda veſtra clamantem Abba, Pater.* Ergò Spiritus Sanctus clamat in nobis, abba, pater: & nos in Spiritu Sancto idem clama-
Rom. 8. 15. mus: *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterùm in timore: ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus abba, pater.* Non tantùm
Galat. 4. 13. loquitur in fidelibus Deus; ſed etiam agit: *Scitis quod per infirmitatem carnis evangelizari vobis jampridem: & tentationem in carne mea non ſpreviſtis, ſed ſicut angelum Dei accepiſtis me, ſicut Chriſtum Ieſum.* Niſi operatio fidelium eſſet operatio Chriſti in fidelibus, non diceret Apo-
Rom. 1. 11. ſtolus: *Deſidero videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis.*
1Cor. 4. 15. Non diceret: *In Chriſto Ieſu per Evangelium ego vos genui.* Non diceret:
Galat. 4. 19. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Non
1Theſſ. 3. 10. diceret: *Vt compleamus ea, quæ deſunt fidei veſtræ.* Quemadmodum
Galat. 2. 19. agit in fidelibus Deus, ſic etiam patitur; teſtatur Apoſtolus *Chriſto*
Galat. 6. 17. *confixus ſum cruci.* Et iterùm: *Ego ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo*
2Cor. 4. 10. *porto.* Audet amplius divinus Paulus: *Semper mortificationem Ieſu Chriſti in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris. Semper enim nos qui vivimus, in mortem tradimur propter Ieſum, ut & vita Ieſu manifeſtetur in carne noſtra mortali.* Sed & Deus ignominiâ afficitur in fidelibus: ignominioſam perſecutionem ſuſti-
Act. 9. 4. nebant fideles Saulo auctore; *Dominus dixit; Saule Saule quid me perſequeris? Qui dixit, Quis es Domine? Et ille, Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris.* Similiter glorificatur in fidelibus, quia fideles in ipſo glori-
Coloſſ. 2. 12. ficantur: Eſtis *conſepulti ei in baptiſmo, in quo & reſurrexiſtis per fidem operationis Dei, qui ſuſcitavit illum à mortuis. Et vos cùm mortui eſſetis in*

delictis

Digitized by Google

delictis & præputio carnis veſtræ, convivificavit cum illo. Iterùm: *Deus, qui eſt dives in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, quâ dilexit nos, & cùm eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos Chriſto, cujus gratiâ eſtis ſalvati, & conreſuſcitavit & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Ieſu, ut oſtenderet in ſeculis ſupervenientibus abundantes divitias gloriæ ſuæ in bonitate ſuper nos in Chriſto Ieſu.* Eph. 2. 4.

XCII. Jam petimus, an benè ſequatur: Deus poteſt ſibi fabricare vocem, quâ nobis loquatur: Ergò Deus poteſt, ſibi unire naturam humanam ſingularem ſine perſonalitate. Optaremus integrum Syllogiſmum fuiſſe propoſitum, ut magis pateret inconſequentia. Tranſitur enim à notorio accidenti, quale eſt formatio ſoni articulati, ad remotionem perſonalitatis à natura humana; quæ quidem perſonalitas an realiter identificetur naturæ humanæ, an verò ſit modaliter diſtincta, diſputant Philoſophi, nec Theologi conveniunt. Pendente hac graviſſimâ difficultate, cui finiendæ Coccejus non ſufficit, velle argumentari à fabricatione talis accidentis, ad remotionem perſonalitatis, neſcimus an imperitiæ, an temeritati deputandum ſit. Magis etiam abſonum eſt, Coccejum, ex fabricatione talis accidentis, velle ſuſtinere; non eſſe parem neceſſitatem harum propoſitionum: *Omnis natura humana ſingularis eſt perſona:* &: *Omne corpus naturale, ubi eſt præſens, ſub ſenſum cadit:* quandoquidem poſterior hæc propoſitio prædicet accidens de ſubjecto, quod non niſi neceſſitate Phyſicâ ſubjecto conjungitur.

XCIII. Deus poteſt ſibi fabricare linguam, hoc eſt, poteſt formare linguam ad ſuum obſequium: Ergò faciliùs poteſt formare naturam humanam ſingularem, ſine propria perſonalitate; quàm ſtatuere corpus naturale, ut ubi præſens eſt, ſub ſenſum non cadat. Hîc nulla eſt ſpecies probationis, cur alterum præ altero fieri poſſit.

XCIV. Et tamen Coccejus ex talibus figmentis concludit, nihil concludens, Deum poſſe fabricare cætera membra, & animam membris agitandis, ut in iis habitet, tanquam in templo; diſſimulans, Deum, inhabitantem templo, non perſonaliter ſibi unire templum; ſicut non perſonaliter ſibi unit quoſvis fideles, in quibus habitat, tanquam in templo. Imò, ſi illa obtinet comparatio, Coccejus, velit nolit, erit Photinianus, ſtrictè loquendo: quia ſicut Deus, inhabitans templum, per hoc non perſonaliter ſibi unit templum: ita filius Dei inhabitans naturam humanam per modum templi, non eam ſibi eo ipſo uniet ſuæ perſonalitati; ſed propriam ſuam perſonalitatem ei re-

Digitized by Google

linquet: quemadmodum propria relinquitur perſonalitas fidelibus, in quibus Deus habitat per modum templi.

XCV. Cæteras propoſitiones Cocceji neutiquam evincere, quod probandum aſſumpſerat, circà paritatem neceſſitatis à ſe negatam, quia abundè manifeſtum eſt, non eſt operæ-pretium ſingulatim diſcutere.

§. II.

Ejuſdem Cocceji ulteriora examinantur.

Ibid. n. 9. XCVI. Dicit 1. *Non diffitentur fratres, dari in humana ſcientia aut conſcientia* propoſitiones abſolutè neceſſarias. *Quales ſunt.* Quidlibet eſt aut non eſt: Omnis homo eſt animal: Omnis homo eſt rationalis: Omne animal eſt corpus.

Ibid. n. 10. XCVII. *Non negant iidem, eſſe* quaſdam propoſitiones phyſicè neceſſarias, *nempe* intuitu cauſarum ſecundarum. *Adduntque:* Itaque eſſentiæ rerum, & proprietates logicæ ſunt abſolutè neceſſariæ; eſſentia enim eſt immutabilis; proprietates logicæ identificantur realiter eſſentiæ. *Benè habet. His igitur addimus ex iiſdem fundamentis: Proprietates eſſentiales ſpeciei diſparata non poſſe fieri modos eſſendi aut exiſtendi alterius ſpeciei diſparatæ. Vniuſcujuſque rei proprietates eſſentiales eſſe permanentes* & immutabiles, quamdiu eadem res manet.

Ibid. n. 11. XCVIII. In iis nihil eſt mali, loquatur ulteriùs: *Neque,* inquit, *omittamus illud: Miracula in rebus naturalibus non eſſe præſumenda ſine indicatione divina; imò & evidentia, in eo genere miraculorum, quæ fiunt ad ſtuporem infidelium, ut excitentur ad inquirendum, quid Deus doceat aut faciat. Multò minus præſumenda eſſe miracula abſque neceſſitate; tantùm*
Ibid. n. 12. *abeſt, abſque utilitate. Deus enim nihil agit fruſtra.* Addit: *His igitur poſitis, videamus, an meritò ex iis exemplis, quæ fratres proponunt, convicti debeamus videri* deceptionis per Philoſophiam.

Ibid. n. 13. XCIX. Jam ad rem cupit venire: *Fatemur enim,* inquit, *nos in materia Eucharistica (Nam de præſentia corporis dominici in menſa cœnæ maximè laborant, tanquam religionis Palladio) inter alia argumenta, ex ipſis Scripturis petita, non rejicere illa, quibus oſtendimus, opinionem adverſariorum cum iis, quæ natura cognita ſunt, confligere: Eaque argumenta Scripturæ auctoritate nos munire.*

Ibid. n. 14. C. Expectemus conflictum: *Nempe, quia revelatum eſt, Chriſtum habere*

habere corpus naturale, *contendimus*, *corpus Chriſti habere proprietates corporis naturalis. Idque Scripturâ auctore contendimus. Nam* corpus naturale & præditum proprietatibus corporis naturalis *tantundem valent. Iam tantùm reſtat inſpicere*, *an naturâ nobis cognitum ſit*, corpus *naturale* habere partes extra partes, *maximè* corpus organicum, *atque ita* habere extenſionem, ſpacium, locum, *hoc eſt*, *ordinem partium ad partes*, *& corporis ad alia corpora aſſita*, non *verò partes* penetrare *partes*, *aut corpus alia corpora.*

CI. *Reſp.* Concedimus, revelatum eſſe, *Chriſtum habere corpus naturale.* Neque contendendum ex eo eſt, *corpus Chriſti habere proprietates corporis naturalis*: habet enim proprietates corporis naturalis logicas inſeparabiliter, phyſicas ſeparabiliter; nemine contradicente Catholico. Hoc in Scriptura æquivalenter tradi; nos non diffitemur. Neque eſt inquirendum, an naturâ nobis cognitum ſit, *corpus naturale habere partes extra partes*, *atque ita habere extenſionem*, *ſpacium*, *locum*; *hoc eſt*, *ordinem partium ad partes*, *& corporis ad alia corpora aſſita*: iſta enim corpori naturali convenire neceſſitate phyſicâ, nemo ambigit. Si autem velit Coccejus, ea corpori naturali convenire neceſſitate abſolutâ, expectanda erit probatio.

CII. Quòd addit Coccejus, corpori naturali convenire, *ut partes non penetrent partes*, *aut corpus alia corpora*; etiamſi id acciperet de neceſſitate abſoluta; ad rem tamen præſentem non faceret; ubi non agitur de penetratione, quæ non eſt niſi corporum exiſtentium in loco; ſed de corpore exiſtente ſine loco. Quid enim eſt penetratio corporum; niſi corporis exiſtentia in loco ubi aliud corpus exiſtit?

CIII. Dicit 2. *Si enim id naturâ cognitum eſt*, *quemadmodum Gregorius Nazianzenus hoc indicavit naturâ cognitum eſſe*, *dum hoc argumento niſus eſt probare Deum eſſe* corporis expertem, *quia ſic vel corpora tolleret Dei immenſitas*, *vel corpora tollerent Deum. nempe quia omne corpus eſt extrà aliud corpus*, &c. *Si*, *inquam*, *id naturâ cognitum eſt*, *utique terminis æquivalentibus in Scriptura de Chriſti corpore revelatum eſſe cenſeri debet.* *Ibid. n. 15.*

CIV. *Reſp.* Etiamſi in S. Scriptura doceretur, impoſſibilem eſſe corporum penetrationem; nihil tamen id faceret adverſus SS. Euchariſtiæ myſterium. Neque enim credimus, corpus Chriſti, in SS. Euchariſtia realiter exiſtens, occupare locum ab alio corpore ſimul occupatum; vel partes corporis Chriſti occupare locum ab aliis partibus occupatum; quorum tamen alterutrum requireretur ad evincendam penetrationem. Videtur Coccejus neſcire, quid ſit pe-

Digitized by Google

netratio corporum; quæ utique ſine occupatione loci fieri non poteſt. Cúmque nos doceamus, Chriſti corpus, in SS. Euchariſtia exiſtens, non occupare locum; aërem verberat Coccejus, quando myſterium illud ex prætenſa penetrationis impoſſibilitate impugnat.

CV. Dicimus prætenſam impoſſibilitatem penetrationis corporum: quia non excedit Dei potentiam; uti cum S. Scriptura SS. Patres non pauci tradiderunt. Vide Bellarm. *lib.* 3. *de Euchar. cap.* 2. *&c.*

Ibid. n. 16. CVI. Dicit 3. *Neque opus eſt ſyllogiſmo, ſed ſola comparatione terminorum, ut æquivalentium. Atqui* habere partes extra partes, *unde cætera omnia pendent, tam intimum & eſſentiale corpori eſt, ut non videatur poſſe excogitari alia corporis definitio, & quicquam, quo intelligamus* corpus à ſpiritu *differre.*

CVII. *Reſp.* Habere partes localiter extra partes, non eſt eſſentiale corpori: nam occupare locum, eſt accidens; neque ullo modo pertinet ad definitionem corporis. Sufficit etiam ad differentiam corporis & ſpiritus; quod ſpiritus non componatur ex partibus; corpus autem componatur ex partibus, ſive eæ partes locum occupent, ſive non occupent.

Ibid. n. 17. CVIII. Dicit 4. *Certè quidem naturâ cognitum eſt*, corpus *&* ſpiritum *diſparatè differre, atque adeò* corpus *non eſſe* ſpiritum, *neque* ſpiritum corpus. *Ita ut qui dixerit*, ſpiritum eſſe corpus, *aut* corpus eſſe ſpiritum, *contradictionem manifeſtam committat. Reſp.* Fatemur, corpus non eſſe ſpiritum, neque ſpiritum corpus. Quid ſequitur?

Ibid. n. 18. CIX. Dicit 5. *Similiter igitur dicimus (propter æquivalentiam terminorum) contradictionem committere, qui dicit*, corpus eſſe per modum non corporis, *ſive* eſſe per modum ſpiritus. *æque atque illa contradictoria ſunt*, ſpiritum eſſe per modum corporis, *ſive* per modum non ſpiritus. *Nam tantundem valet* eſſe corpus *&* eſſe per modum corporis, eſſe ſpiritum *&* eſſe per modum ſpiritus.

CX. *Reſp.* Hæret in ſua erronea definitione Coccejus, quòd habere partes localiter extrà partes, pertineat ad eſſentiam corporis. Hoc autem nec probavit, nec probare poteſt. Ad explicationem locutionum, quas vellicat, nota, quod apertum alioquin eſt, corpora eſſe circumſcriptivè in loco, ſpiritus verò definitivè. Si ponatur corpus definitivè in loco, dicitur eſſe in loco per modum non corporis, hoc eſt, per modum exiſtendi, corpori naturaliter non convenientem, ſed naturaliter convenientem ſpiritui. Non dicimus, quòd Coc-

Coccejus fingit, *corpus eſſe per modum non corporis*, ſed *corpus eſſe in loco per modum non corporis:* quas propoſitiones plurimùm differre, conſtat ex terminis. Non dicimus, ut ſomniat Coccejus, *corpus eſſe per modum ſpiritus*, ſed *corpus eſſe in loco per modum ſpiritus.* quas iterùm propoſitiones diverſum ſignificare, norunt tyrones. Ponit ipſe, tanquam æquivalentia: *Eſſe corpus*, & *eſſe in loco circumſcriptivè*: quæ tamen æquivalentia non ſunt, quantumcunque id fortiter, ſine ulla probatione, Coccejus aſſerat.

CXI. Dicit 5. *Ex quo etiam illud perſpicuum eſt, contradictionem manifeſtam eſſe, dicere*, Corpus ibi eſſe per modum ſpiritus & non per modum corporis. *Nam* ibi eſſe *præſupponit* eſſe, *& id includit. Quapropter ob illam terminorum manifeſtam æquivalentiam credimus, quia revelatum eſt*, Chriſti corpus eſſe verè corpus, *etiam formaliter revelatum eſſe*, Corpus Chriſti non eſſe in menſa per modum ſpiritus. *quod dicunt adverſarii.* *Ibid. n. 19.*

CXII. *Reſp.* Patet ſolutio ex dictis. Non libet repetere.

§. 12.

Reformatos non ſtare promiſſis de interpretatione Scripturæ per Scripturam.

CXIII. Hactenùs oſtendimus, quomodo Reformati, promittentes interpretationem Scripturæ per Scripturam, quælibet argumenta Philoſophica nobis proponant; oſtendentes, non tantùm, inanem eſſe novam Vedelii Philoſophiam, ſed etiam illa ponere, quæ viam parent ad ſubverſionem plerorumque fidei myſteriorum.

CXIV. Et quia Reformati ea, quæ à Catholicis dicuntur, ſolent minus æquo animo accipere, uſi ſumus (paucis mutatis & additis) argumentis, ipſiſque verbis Joannis Muſæi in Acad. Jen. Prof. Lutherani, quem cùm Reformati fratris loco habeant, futurum ſperamus, uti fraternam correctionem nec iniquè, nec gravatè accipiant.

CXV. Catholicis ex dictis patebit, Reformatos interpretantes Scripturam, meritò conſtrictos eſſe per defectus poſitos in Math. Auguſt. *Part. 2. cap. 4.*

CXVI. Quia nullius momenti ſunt, quæ adverſus prædicta habet Coccejus; pergimus ad ulteriora. *Diſp. 28. n. 7. 8.*

Digitized by Google

§. 13.

Declaratio Lutheranorum, de interpretatione Scripturæ, & conſequentiis.

CXVII. Operæ-pretium erit in hac materia audire Muſæum, qui indagatis ſuorum ſententiis, moderatum, nec contemnendum oſtendit ingenium. Ita habet, *lib. 2. cap. 14. §. 1.*

CXVIII. *Quintum dubium. Quænam Principia rationis in argumentis Theologicis rectè alterutrius præmiſſæ loco adhiberi poſſint? §. 2. quæ in re quò graviùs videmus plures, aliàs non contemnendæ eruditionis viros impingere, & periculoſiùs errare, eò magis in id incumbendum, ut medium teneatur, & uſus principiorum rationis, nec juſto latiùs extendatur, nec arctioribus, quàm par eſt terminis, includatur. §. 3. ubi ante omnia præſupponendum eſt, quod dupliciter fieri poſſit, ut naturaliter nota propoſitio cum Theologica ſive ſupernaturaliter revelata in eodem argumento conjungatur. 1. ut Theologica propoſitio univerſalis ſit; altera autem, quæ naturaliter nota eſt, particularis. v. g. ſi quis ita colligat:* Omne peccatum remittitur per meritum Chriſti, &c. Homicidium eſt peccatum. Ergò, &c. *2. ut ea quæ naturaliter nota eſt, univerſalis; Theologica autem particularis ſit. ut in hoc ſyllogiſmo:* Qui mittitur, docet, conſolatur, *&c.* ille eſt perſona, non proprietas aliqua. Atqui Spiritus Sanctus mittitur, *&c.* ergò. *§. 4. Si priori modo ſe res habeat, difficultas nulla erit. cùm enim propoſitio univerſalis in Scriptura ſacra revelata eſt, poteſt ſub ea vi dicti de omni, vel nullo de quolibet, quod ſub ſubjecto ejus continetur, rectè & ſine ullo periculo ſubſumi, modò evidenter notum ſit, id ſub illius ſubjecto contineri. & hoc caſu propoſitio naturaliter nota etiam contingens eſſe poteſt, ſicut in hoc argumento:* Qui in peccatis contra conſcientiam contumaciter perſeverat, in illo non habitat Spiritus Sanctus: atqui hic vel ille (manifeſtus peccator) in peccatis contra conſcientiam contumaciter perſeverat: Ergò.. *Vbi major propoſitio Theologica, minor autem naturaliter nota, etiam contingens eſt. § 5. Si verò propoſitio Theologica particularis eſt, & in prima figura minorem conſtituat: altera autem univerſalis, quæ majoris locum obtinere debet, ex ratione deſumenda, difficiliùs erit definire, quænam propoſitiones naturaliter notæ ſeu Philoſophicæ in Theologico argumento rectè, & ſatis tutò* (NB.) *adhiberi poſſint. §. 6. de quo ut perſpicuè mentem noſtram explicemus*, notandum eſt propoſitiones neceſſarias in duplici differentia eſſe. Quam differentiam vidit

Vid. Valer. Magn. *in reſp. ad Anon. c. 5. pag. 245.*

lector

Conſentit Dannhawer. *Polemoſ. pag.* 42.

lector ſuprà §. 6. & 9. Pergit Muſæus: *Nam probabilia, & ut plurimùm vera extrà dubium hîc locum non inveniunt.* §. 7. *Quibus præmiſſis dico, quod cùm de quæſtione merè Theologica controvertitur, nunquam aliud, quàm abſolutè neceſſarium principium ex ratione deſumi, & cum Theologica particulari propoſitione tutò conjungi poßit. Ratio eſt: quia cætera, licèt intuitu naturalium agentium etiam aliquam neceßitatem obtineant,* abſolutè tamen, *&* per Dei potentiam, *ut dictum, non eſſe vel mutari poſſunt, ut ita abſolutè non repugnet iis falſum ſubeſſe. Sicut autem in prima figura ex majori particulari nihil ſequitur, ita ſi in Theologico argumento Philoſophica propoſitio, quæ in majoris loco ponitur, non abſolutè neceſſaria ſit, non poterit conſequentia non vacillare, eò quòd tunc major propoſitio ſe ut particularis habeat, & ſi ſimpliciter ut univerſalis ſumatur, falſa evadat.* §. 8. *Uberioris declarationis ergò obſervari poteſt, quod neceßitas conſequentiæ in principio contradictionis fundetur, ſitque tunc demum bona conſequentia, cùm id, quod repugnat conſequenti, repugnat etiam antecedenti: mala, cùm contradictorium conſequentis cum antecedente ſimul ſtare poterit. Videatur Fonſ. lib. 6. inſtit. Dial. cap. 2.* §. 9. *Dupliciter autem fit, ut contradictorium conſequentis antecedenti repugnet.* 1. abſolutè & ſimpliciter: *quando unum alterius naturam evertit. Ut per nullam, ne per Dei quidem abſolutam potentiam, ſimul ſtare poßint.* 2. Secundùm quid & in certo genere: *quando abſolutè quidem & per Dei potentiam ſimul ſtare poſſunt, ſed non in ordine naturæ & vi naturalium cauſarum. Prioris exemplum eſt, v. g. hoc:* Petrus eſt homo: ergò eſt animal: *quia contradictorium conſequentis,* Petrus eſt animal, *ita antecedenti, quod eſt* Petrum eſſe hominem, *repugnat, ut ejus naturam prorſus deſtruat, quandoquidem* animal eſſe *de eſſentia hominis eſt, ut ſimpliciter impoßibile ſit, aliquem hominem eſſe, qui non ſit animal. Poſterioris exemplum erit, ſi quis ita colligat:* Ignis eſt materiæ uſtibili applicatus. ergò urit. *ubi contradictorium conſequentis;* Ignis non urit, *antecedenti in tantum repugnat, in quantum ignis de ordine naturæ nunquam materiæ uſtibili applicatur, quin urat: abſolutè autem ei non repugnat, cùm per Dei potentiam fieri poſſit, ut ignis, materiæ uſtibili applicatus, non urat, ſicut non uſſit tres viros in fornace Babylonica.* §. 10. *Iam in Theologicis controverſiis, quæ aliquod propriè dictum dogma fidei concernunt, conſequentia pro bona habenda non eſt, niſi contradictorium conſequentis abſolutè & ſimpliciter antecedenti repugnet: alias ferè omnes articuli fidei everti poſſent. v. g. ſi ita Epicureus colligat:* Corpus hominis demortui in terram vertitur. Ergò non reſurget. *in conſequentia nihil deſiderari poterit, ſi ad ejus bonitatem ſufficiat, quod contradictorium conſequentis*

intuitu

intuitu naturalium agentium cum antecedenti ſimul ſtare non poſſit. Neque enim naturaliter fieri poteſt, ut corpus demortuum & in cineres redactum idem numero redeat. Progrediatur qui vult per alia exempla, & deprehendet, vix ullum myſterium Chriſtianæ fidei ſalvum fore, ſi hic proceſſus diſputandi admittatur. §. 11. *Ex quo fluit, quod paulò ante dixi, principium rationis, ſi quæſtio merè Theologica ſit, cum particulari propoſitione Theologica, nunquam in argumento Theologico conjungi poſſe, niſi abſolutè neceſſarium ſit. Ratio eſt, quia in eo fundari debet abſoluta repugnantia inter contradictorium conſequentis & antecedens Theologicum: abſoluta autem aliquorum repugnantia fundari non poteſt, niſi in principio abſolutè neceſſario: v. g. in hac argumentatione:* Chriſtus eſt verus & naturalis Dei filius: ergò habet divinam eſſentiam: *contradictorium conſequentis, nempè* Chriſtus non habet eſſentiam divinam, *antecedenti abſolutè repugnat. quia principium per quod conſequens ex antecedente ſequi probatur, & in quo repugnantia inter contradictorium conſequentis & antecedens fundatur, nempe* Omnis verus & naturalis filius eſt ejuſdem eſſentiæ cum patre ſuo; *abſolutè neceſſarium eſt, eò quòd de ratione & natura veri & naturalis filii ſit, ut ſit ejuſdem cum patre ſuo eſſentia, adeò ut evidens contradictio ſit,* Eſſe verum & naturalem filium, *nec tamen* ejuſdem cum patre ſuo **eſſentiæ eſſe.** *Atque ex hoc ſeu infallibili ſigno colligitur, quod adductum principium rationis rectè poſſit cum altera Theologica propoſitione conjungi, ut talis fiat perfectus ſyllogiſmus:* Omnis verus & naturalis filius eſt ejuſdem eſſentiæ cum patre ſuo. Chriſtus eſt verus & naturalis Dei filius. Ergò eſt ejuſdem eſſentiæ cum patre ſuo. *Contrà autem ſi in controverſia Theologica de loco Iſa. 7. 14. quem nos de Meſſia explicamus per* העלמה *Virginem illibatam incorruptam intelligendo, Iudæus ita argumentaretur:* העלמה *Iſa. 7. 14.* Eſt prægnans & parit filium. Ergò non eſt virgo. *contradictorium conſequentis* העלמה Eſt virgo, *non repugnat abſolutè cum antecedente,* העלמה eſt prægnans & parit filium: *quia principium in quo fundari debebat abſoluta repugnantia, inter contradictorium conſequentis & antecedentis, nempè* Nulla virgo & prægnans & parit filium, *non eſt abſolutè neceſſarium, cùm ejus oppoſitum nullam contradictionem involvat. Quamvis enim naturaliter ad generationem concurſus maris requiratur, Deus tamen, qui eſt cauſa prima, poteſt ſupplere defectum, qui eſt in cauſa ſecunda, & ſic ſine concurſu maris efficere, ut virgo concipiat & pariat filium. Ex quo colligitur, propoſitionem adductam, nempe* nulla virgo eſt prægnans & parit filium, *in ſyllogiſmo Theologico perperam majoris loco adhiberi, de ſimilibus idem eſt judicium.* §. 12. *Cautè autem hic ambulandum eſt,*

Digitized by Google

eſt, & ſedulò cavendum, ne unquam rationis principium prædicto modo in merè Theologica controverſia adhibeatur, niſi id abſolutè neceſſarium eſſe evidentiſſimè conſtet. Hoc autem tunc evidentiſſimè conſtabit, ſi ejus oppoſitum contradictionem implicare evidentiſſimè *demonſtrari poſſit.* §. 13. *Si vero Philoſophicæ propoſitionis abſoluta neceſſitas per contradictionem, quam ejus oppoſitum involvat evidenter demonſtrari non poſſit, non ſolùm periculoſum, ſed etiam prorſus temerarium erit, eam cum particulari propoſitione Theologica conjungere, & aliquid* (NB.) *tanquam articulum fidei concludere, quod ab altero tanquam fidei articulus ex Scriptura probatur, impugnare velle.* Et relatâ §. 14. Meiſneri conſentiente ſententiâ, proſequitur §. 15. *Quid eſt enim quod Antitrinitarios in hunc diem in blaſphemia detinet, niſi quod adhibitis propoſitionibus Philoſophicis, in quarum oppoſito nulla contradictio evidenter demonſtrari poteſt, Trinitatis & alia fidei profundiſſima myſteria contradictionem implicare contendunt? Miramur autem, quomodo Reformati ab iis in hoc diſſentire poſſint, quippe qui in aliis quæſtionibus fidei, v.g. de reali præſentia corporis Chriſti in SS. Cœna, ejuſmodi principia rationis adhibent, de quibus evidens eſt, quod non ſint abſolutè neceſſaria, & nihilominùs vi illorum noſtram ſententiam, quam ex clariſſimis verbis inſtitutionis deducimus, contradictionis convincere nituntur: cùm tamen longè faciliùs ſit de Reformatorum propoſitionibus, quibus in dicta & aliis controverſiis adverſum nos utuntur, demonſtrare, quòd earum oppoſitum contradictionem non involvat, quàm contrà Antitrinitarios oſtendere, in illis contradictionem non eſſe, quod fides noſtra dicit, in una eſſentia Dei eaque ſimpliciſſima eſſe tres realiter diſtinctas perſonas, quæ cum una ſimplici eſſentia realiter idem ſunt. An non igitur res periculoſſima eſt, cùm Reformati talia principia Philoſophica, vel cum propoſitione Theologica particulari, vel etiam cum altera ex natura & ratione petita conjungunt, & v.g. hunc in modum argumentantur:* Omne corpus naturale ubi realiter præſens eſt, ſub ſenſum cadit. Chriſti corpus in SS. Cœna non cadit ſub ſenſum. Ergò Chriſti corpus in SS. Cœna non eſt realiter præſens. *Neque enim concesſerim propoſitiones has:* Omne corpus naturale ſub ſenſum cadere, in uno loco eſſe, &c. *abſolutæ neceſſitatis eſſe, aut earum oppoſita contradictionem implicare, cùm extrema non aliter, quàm ut ſubjectum & accidens ſe habeant. Quorum poſterius ſi adſit vel abſit, prioris eſſentiam non deſtruit.* Vide eundem Muſæum, *lib.* 1. *cap.* 9. §. 29. *& ſeqq.*

§. 14.

Ulterior declaratio ſententiæ Lutheranorum.

CXIX. Obſervandum 1. Muſæum agere in præcedentibus (*lib. 2. cap. 13. n. 15.*) de quæſtionibus merè Theologicis: eas intelligentem, (*lib. 2. cap. 10. §. 41.*) *quæ in modo & entitate ſupernaturales ſunt*: in modo ſupernaturales vocantem, (*lib. 2. cap. 10. §. 39.*) *cùm res, quæ revelatur, eſt ordinis naturalis, cognoſcitur tamen per revelationem ſupernaturalem.* In entitate ſupernaturales, *quando res non poteſt attingi per vires naturæ, cognoſcitur tamen per revelationem ſupernaturalem.*

CXX. Ad probandas tales quæſtiones, rectè dicit, quando una propoſitio eſt Scripturæ, non debere alteram tantùm eſſe probabilem; vel ut plurimùm veram: Rectè dicit, non eſſe adhibendam propoſitionem rationis, quæ ſit phyſicè tantùm neceſſaria: Rectè dicit, non eſſe adhibendas alias propoſitiones rationis, quàm abſolutè neceſſarias. Et hactenùs nulla nobis lis eſt cum Lutheranis: nullum enim eſt dubium, quin *rectè & ſatis tutò* propoſitiones neceſſariæ, de quarum neceſſitate manifeſtè conſtat, in argumento Theologico adhibeantur.

Muſæus. *lib. 2. cap. 13. §. 17. &c.* CXXI. Obſervandum 2. vocem *Principium*, quatenus ſignificat integram propoſitionem vel præmiſſam, ſumi 1. vel generaliter, pro principio materiali, ex quo concluſio dependet; quo ſenſu & major, & minor propoſitio eſt principium. Vel 2. ſpecialiter, pro proprio concluſionis principio. Vel 3. pro eo, undè principia cujuſque rei ſumuntur; ſicut ratio & Philoſophia eſt Philoſophicarum; Scriptura (ſive ſola, ut volunt Lutherani; ſive cum Verbo Dei tradito, ut volunt Catholici) Theologicarum concluſionum principium appellatur.

CXXII. His poſitis, dicit Muſæus: *Quando in aliqua diſciplina, cum principio proprio, aliud diverſis diſciplinis commune principium ad concluſionis illationem concurrit, tunc illud dicitur abſolutè concluſionis principium, à quo ipſa, tanquam à principio diſciplinæ proprio, dependet.*

CXXIII. Nos non negamus, quando in argumento una propoſitio eſt Scripturæ, altera rationis evidentis & neceſſariæ, tunc ſpeciale, & proprium principium concluſionis Theologicæ, eſſe propoſitionem Scripturæ: undè etiam concluſio habeat, quod ad Theologiam

logiam pertineat. Sicut viciſſim, contrà Reformatos, nobiſcum tenet Muſæus, in tali argumento, propoſitionem rationis eſſe principium materiale & veram cauſam concluſionis.

CXXIV. Idem Muſæus dicit ulteriùs: *Sola Scriptura S. eſt genuinum & proprium Principium Theologicarum concluſionum.* ubi vox, *Principium*, ſumitur in tertia ſignificatione *num.* CXIX. declarata: eſtque hic ſenſus, inquit Muſæus: *Solam Scripturam S. eſſe id, ex quo, tanquam ex domicilio, propria principia concluſionum Theologicarum deſumenda ſunt.* *Lib. 2. cap. 13. §. 27.*

CXXV. Nos etiam dicimus; Scripturam S. cum verbo Dei tradito, eſſe id ſolum, undè tanquam ex domicilio, propria principia concluſionum Theologicarum deſumenda ſint. Et in his rurſum par eſt cum Lutheranis.

§. 15.

Defenſio paragraphi præcedentis.

CXXVI. Dicit Coccejus: *Neque ipſos juvat, quod dicunt*, in argumento, in quo eſt una propoſitio Scripturæ, altera rationis evidentis & neceſſariæ, propoſitionem rationis eſſe principium materiale & veram cauſam concluſionis. *Ubi abutuntur auctoritate Ioh. Muſæi, qui hoc non dicit, ſed* illud *eſſe* & dici abſolutè principium concluſionis, à quo ipſa tanquam principio diſciplinæ proprio dependet. *Ergò propoſitio Theologica, è Scriptura ſumpta, eſt abſolutè cauſa concluſionis, non altera.* *Diſp. 28. n. 29.*

CXXVII. *Reſp.* Multùm confidenter loquitur Coccejus. Aſſerit, nos abuti auctoritate Joh. Muſæi, qui non dicat, quod ei tribuimus: & tamen hoc ipſum & apertiſſimè dicit Muſæus, & repetitis vicibus, & contrà Reformatos dicit, uti ſuprà §. 7. retulimus; & ulteriùs demonſtrabitur, ſi neſciat Coccejus vel errorem, vel calumniam retractare. Aſſerit quidem Muſæus; *Illud dici abſolutè concluſionis principium, à quo ipſa, tanquam à principio proprio diſciplinæ dependet*; ſed per hoc non deſtruit, quod operoſè, & rectè poſuerat; propoſitionem rationis, in argumento Theologico, eſſe principium materiale concluſionis. Quando tradit Muſæus; *Illud dici abſolutè concluſionis principium*, &c. agit de principio proprio, undè habet, quod ad hanc vel illam ſcientiam pertineat. Indè autem cum Coccejo con-

cludere: *Ergò propoſitio Theologica, è Scriptura ſumpta, eſt abſolutè cauſa concluſionis, non altera*: magnæ imperitiæ eſt.

Ibid. n. 30. CXXVIII. Addit: *Et res manifeſta eſt. Sumamus exemplum.* Verus homo animam & corpus habet. Chriſtus eſt verus homo. Ergò Chriſtus animam & corpus habet. *Perſpicuum eſt, ſubjectum & prædicatum quæſtionis non jungi poteſtate & vi majoris, ſed vi minoris, in qua eſt conjunctio terminorum, qui partim quoad ſonum ipſum etiam, partim quoad virtutem & valorem ſaltem iidem ſunt cum terminis concluſionis. Nam tametſi Homo animam & corpus habeat, filius Dei tamen animam & corpus non habuit, antequam eſſe homo inciperet. Cauſa igitur & principium concluſionis eſt minor, quæ eſt Scripturæ: major autem propriè nihil eſt niſi declaratio termini unius, qui in minore prædicatur: & ſic inſtrumentum & adjumentum intelligendi minorem & deducendi concluſionem.*

CXXIX. *Reſp.* Commune adverſariis eſt, maximè Reformatis, altum clamare; *Res manifeſta eſt*: *Perſpicuum eſt*: etiam in cauſa peſſima. Probandum aſſumit Coccejus: *In argumento, in quo eſt una propoſitio Scripturæ, altera rationis evidentis & neceſſariæ, propoſitionem rationis non eſſe principium materiale concluſionis.* Videamus quo ſucceſſu. Dicit: *Subjectum & prædicatum quæſtionis non jungi poteſtate & vi majoris, ſed vi minoris.* Petimus; quare ſubjectum & prædicatum quæſtionis jungitur poteſtate & vi ſolius minoris, & non majoris? Major propoſitio: *Omnis verus homo corpus & animam habet*; enuncians univerſaliter de omnibus hominibus, quod corpus & animam habeant; cur minùs eſt principium materiale concluſionis, quam minor? Rationem reddit Coccejus, ſi tamen rationem. Dicit, in minore *eſſe conjunctionem terminorum.* Sed & in majore eſt conjunctio terminorum: tàm enim major, quàm minor eſt affirmativa. Dicit, eam eſſe in minore conjunctionem terminorum, *qui partim quoad ſonum ipſum etiam, partim quoad virtutem & valorem ſaltem iidem ſunt cum terminis concluſionis.* Sed bellè admodùm à paritate ſonus probatur, & quidem manifeſtè ac perſpicuè, ſolam minorem propoſitionem eſſe principium materiale concluſionis. Talem Philoſophiam in intermundiis Epicuri obtinere, fortè quis ſomniaverit: Lugduni Batavorum huc-uſque auditam eſſe, nobis non perſuademus. Addit; termini minoris, *partim quoad virtutem & valorem ſaltem iidem ſunt cum terminis concluſionis.* Si partim iidem ſint termini minoris, & termini concluſionis: etiam partim iidem ſunt termini majoris, & termini concluſionis. Cur ergò ſoli termini minoris erunt principium materiale concluſio-

nis,

Digitized by Google

nis, & non termini majoris? In mirabilibus proſequitur: *Nam tametſi homo animam & corpus habeat, filius Dei tamen animam & corpus non habuit, antequam eſſe homo inciperet.* Ita oportet colligere: filius Dei animam & corpus non habuit, antequam eſſe homo inciperet. Ergò minor propoſitio eſt totum principium materiale cunclufionis.

CXXX. Sed audiamus ipſummet concludentem: Cauſa igitur & principium concluſionis, eſt propriè minor, &c. Ut Coccejus quaſi manibus palpet ſuum errorem; ecce ſimilem formam: *Omnis verus homo habet animam & corpus. Ioannes eſt verus homo. Ergò Ioannes habet animam & corpus.* In hoc ſyllogiſmo minor non eſt revelata, ſed naturaliter nota. Dicetne Coccejus, Perſpicuum eſt, ſubjectum & prædicatum quæſtionis non jungi poteſtate & vi majoris, ſed vi minoris, in qua eſt conjunctio terminorum, qui partim quoad ſonum ipſum etiam, partim quoad virtutem & valorem ſaltem iidem ſunt cum terminis concluſionis? Audebit-ne addere, tanquam Philoſophicam rationem; quod etiamſi homo corpus & animam habeat, Joannes tamen corpus & animam non habuerit, antequam conciperetur? Audebit-ne indè concludere; cauſam & principium concluſionis eſſe propriè minorem; majorem autem propriè nihil eſſe niſi declarationem termini unius, qui in minore prædicatur; & ſic inſtrumentum & adjumentum intelligendi minorem & deducendi concluſionem? Fortaſſis hæc non audebit fingere Coccejus, quando minor eſt tantùm naturaliter nota. Undè ergò ipſi tanta temeritas, ut illud audeat, quando minor eſt ſupernaturaliter revelata? Minorem eſſe ſupernaturaliter, vel naturaliter notam, non facit, ut minor aliter, & aliter concludat ad eſſe concluſionis: quamvis interim concluſio, ut talis in particulari, habet aliquid propter dependentiam à præmiſſa revelata; quod non haberet, ſi dependeret à præmiſſis naturaliter tantùm notis.

CXXXI. Si ulteriorem inſtructionem deſideret Coccejus, legat, quæ ex Muſæo produximus *ſupra* §. 7. & futurum ſperamus, ut impoſterum de iſtis rebus cautiùs ſcribat.

CXXXII. De præcedenti paragrapho dicit Muſæus: *Hactenus fratres nihil improbant in iis, quæ ibi præmiſimus, ad oſtendendum, quod ex Scriptura ſola deſumptæ dicantur probationes, quarumcunque præmiſſa una, quæ concluſionis principium proprium conſtituit, ex Scriptura ſola deſumpta eſt, non obſtante, quod alia, ex ratione naturali petita, per modum principii communis, cum illa conjungatur, ex quibus tamen ultrò fluant, quæ* *De Converſ. hom. Diſp. 9. cap. 3. theſ. 55. pag. 618.*

 ibi-

ibidem contra Veronium & Methodiſtas *cæteros diſſeruimus, quæque ipſum* Methodi *jugulum petunt, ejuſque fundamentum evertunt.*

CXXXIII. *Reſp.* Hic videt Coccejus, non conqueri Muſæum, uti ille fingit, nos abuti ejus auctoritate; quantumvis ibi ex profeſſo de paragrapho præcedenti agat. Quod addit Muſæus, eo ipſo Methodi jugulum peti, ejuſque fundamentum everti; cujus fundamentum in ipſis Proteſtantium Confeſſionibus poſitum eſt; non credimus.

§. 16.

Quæ ſit difficultas cum Lutheranis de interpretatione S. Scripturæ & conſequentiis.

Lib. 2. cap. 13. §. 32. CXXXIV. Refert Muſæus, exortâ diviſione ab Eccleſia Catholica, judicaſſe Lutheranos ſeu Proteſtantes, non eſſe deſumendas probationes fidei ex *Traditione*, *Decretis Conciliorum*, &c. & promiſiſſe, ſe omnia probaturos ex ſolo Verbo Dei.

CXXXV. Sicut hoc tempore, ita etiam illo, tota controverſia fuit de articulis, quos hæc, aut illa pars ſuſtinebat eſſe fidei; quorumque contradictorium docebat eſſe errorem in fide.

CXXXVI. Lutherani igitur promittentes, ſe probaturos omnes ſuos articulos ex ſola Scriptura, neceſſariò intellexerunt, ſe probaturos ſuas concluſiones ſub ratione articuli fidei, ita ut contradictorium eſſet error in fide. Niſi enim hoc voluiſſent; neque à nobis receſſiſſent ob prætenſos errores in fide; neque ſeparatum Eccleſiæ corpus erexiſſent, ut ſoli Verbo Dei, juxtà privatam interpretationem accepto, adhærerent.

CXXXVII. Communis etiam Lutheranorum ſententia hoc habet, uti per totum ſuum librum probat Muſæus; quando in argumento adhibetur una propoſitio Scripturæ, & altera rationis evidentis ac neceſſariæ, tunc ſequi concluſionem Theologicam. Quod ſi ita intelligerent, ut concluſio eſſet vera & infallibilis; de qua tamen non abſolutè conſtaret, an eſſet fidei, ejuſque contradictorium error in fide; rectè & Catholicè ſentirent Lutherani. Sed ipſi volunt, & neceſſariò volunt, ut juſtificare conentur ſeparationem ſuam ab Eccleſia Catholica, tales concluſiones ita eſſe Theologicas, ut etiam ſint fidei, earumque contradictorium error in fide. Quomodo autem ſibi conſtent, dicemus Exam. 3. §.

CXXXVIII. His

Digitized by Google

CXXXVIII. His poſitis, non examinamus hîc, an Lutherani, in materiis controverſis adverſus Catholicos, habeant concluſiones, quæ ſequantur ex una propoſitione Scripturæ, altera rationis evidentis & neceſſariæ. Oſtendemus enim negativam in controverſiis particularibus. Sed quia examinamus eorum Principium; petimus ut probent, tales concluſiones eſſe fidei, & earum contradictoria errores in fide. Lutherus quidem dixit: *Turpe eſt juriſtam loqui ſine textu, Tu vide, quàm ſit honorificum, Theologum (qui maxime omnium debet) loqui ſine textu, quem Apoſtolus jubet calceatum eſſe pedibus in Præparatione Evangelii, & Epiſcopum potentem, non in ſyllogiſmis & opinionibus hominum, ſed in doctrina ſana, nimirùm ea, quam alibi divinitùs inſpiratam vocat.* *Reſp. ad Dialog. Sylv. Tom. 1. fol. 38.*

CXXXIX. Cùm enim Lutherani & Reformati promiſerint *è ſolâ Scriptura probationem omnium fidei dogmatum*, vel promiſerunt terminos expreſſos & æquivalentes; vel, uti vult Muſæus, *ad nihil aliud ſe obſtrinxêre, quàm ad hoc; quod velint medium, ſeu principium proprium, ex quo articuli fidei tanquam concluſiones dependent, non ex traditionibus, non ex Conciliorum vel Pontificum decretis, non ex naturali ratione, ſed tantùm ex Scriptura S. ſeu ex verbo Dei ſcripto depromere.* *Lib. 2. cap. 13. §. 31.*

CXL. Si promiſerint Lutherani & Reformati terminos expreſſos & æquivalentes; nulla ſupereſt difficultas; quia hoc ipſum urgemus. Verùm quòd id fieri non poſſe ſatis videant, ipſaque doceat experientia; aliam invenerunt explicationem Reformati, aliam Lutherani. Illa in ſuperioribus refutata eſt: hæc in præſenti examinanda eſt.

CXLI. Dicat ergò Muſæus; vel Lutherani promittentes *omnium dogmatum probationem ex ſola Scriptura*, voluerunt talem probationem afferre, quæ utrimque, hoc eſt, à Lutheranis & Catholicis, admittebatur ut ſufficiens probando fidei articulo, cujuſque contradictorium eſſet error in fide; vel hoc non promiſerunt. Si id non promiſerint; quâ fiduciâ putabant ſe audiendos à Catholicis; cùm nihil eſſet afferendum, quod Eccleſia Catholica recepiſſet, ut ſufficiens probando articulo fidei, cujuſque contradictorium eſſet error in fide? An putarunt Catholicos adeò temerarios, ut à traditionibus, ab auctoritate Conciliorum recederent; ſi nihil fuiſſet promiſſum, quod Eccleſia Catholica indicaſſet ſufficiens? Nonne ipſi Lutherani ex pluribus probandi modis, quos ut ſufficientes Eccleſia Catholica receperat, rejecerunt illos, qui per traditiones, & aucto-

rita-

Digitized by Google

ritatem Conciliorum ſiebant; electo eo unico, qui procedebat per ſolam Scripturam? Hoc ita eſſe, ne ipſe quidem Muſæus inficiabitur, ſi à nimio partium ſtudio putaverit abſtinendum.

CXLII. Lutheranorum profectò erat cogitare, promiſſionem ſuam eo ſenſu acceptandam, quo ab Eccleſia Catholica habebatur ſufficiens ad probandum articulum fidei. Eos hoc cogitaſſe, nulli dubitamus. Hoc modo procedit S.Auguſtinus, *lib.* 2. *de grat. Chriſt. & peccat. orig. cap.* 16. *pag.* 336. *A.B.*

CXLIII. Quo poſito, certum eſt, Lutheranos promiſiſſe probationem ſuorum dogmatum ex ſola Scriptura, ſive per terminos expreſſos, ſive per æquivalentes: cùm aliam ex Scriptura probationem nunquam agnoverit Eccleſia Catholica, ut ſufficientem probando articulo fidei.

Lib. 2. *cap.* 13. §. 31. CXLIV. Quocircà nihil eſt, quòd Muſæus Veronium, & alios Catholicos, ejuſmodi probationem à Proteſtantibus exigentes, arguat inertiæ, vel malitiæ. Si enim obſcurè, vel ambiguè locuti ſunt, id ipſis nocet, in quorum poteſtate fuit apertiùs loqui. *l. veteribus.* 39. *ff. de pactis. l. labeo.* 21. *ff. de contrah. empt. Reg.* 57. *Iur. Can. Præſes Everhard. conſ.* 53. *n.* 8. *Charondas, tit.* 28. & qui in probationibus ſe nimiùm coarctat, id ſibi imputare debet; uti probat Chriſtinæus *Tom.* 1. *deciſ.* 103. *n.* 29. Manet ergò quod dictum in *Meth. Auguſt. part.* 2. *cap.* 3.

CXLV. Sed nunc preſſiùs agamus contrà Lutheranos; erit enim idem judicium de Reformatis. Cùm Lutherani non promiſerint Catholicis probationes ſuorum dogmatum ex Scriptura, quas ipſi judicabant inſufficientes ad probandum articulum fidei, & contradictorium convincendum erroris in fide; neceſſe eſt, ut promiſerint probationes, dicto modo ſufficientes. Rectè obſervavit Muſæus, non poſſe haberi probationes certas in quæſtionibus merè Theologicis, niſi una propoſitio ſit Verbi Dei, altera rationis evidentis & neceſſariæ. Nos talium concluſionum certitudinem non impugnamus: ſed petimus, undè Lutheranis conſtet; *Concluſionem, quæ ſequitur ex una præmiſſa Scriptura, & altera rationis evidentis ac neceſſariæ, eſſe fidei, ejuſque contradictorium errorem in fide?* Ex quo textu Scripturæ, ex quo conſenſu SS. Patrum, ex quo Concilio illud probant? imò quâ firmâ & evidenter neceſſariâ ratione illud nititur?

CXLVI. Vedelius, in ſuo libro, multis probat, *eſſe licitum* uti argumentis, partim ex Scriptura, partim ex ratione petitis. Sed quis

Digitized by Google

quis negat hoc? ipſi Catholici utuntur talibus argumentis frequenter, & cum fructu. Muſæus totus in eo eſt, ut probet, in talibus argumentis, *ſolam Scripturam eſſe genuinum & proprium principium concluſionum Theologicarum*. At cui contradicit? nos illud non gravatè concedimus.

CXLVII. Illud probandum erat: *Concluſionem, quæ ſequitur ex una præmiſſa Scriptura, & altera rationis evidentis ac neceſſariæ, eſſe fidei, ejuſque contradictorium errorem in fide.* Hoc autem quomodo infeliciter tentaverint Reformati, diximus in Methodo Auguſtiniana. In Muſæo nihil deprehendimus, quo illud conatus ſit concludere, quod eſt in quæſtione. *Quæſt. 2. Append.*

CXLVIII. Cùm igitùr Lutherani & Reformati nequeant probare, dictas concluſiones eſſe fidei, earumque contradictorium errorem in fide, quando agitur de quæſtione merè Theologica; nihilò meliùs probabunt, eſſe aliquas concluſiones, quarum una præmiſſa eſt rationis, quæ ſufficiat ad articulum fidei, ita ut contradictorium ſit error in fide; etiamſi agatur de quæſtione mixta, de qua diximus §. 4. & 5.

CXLIX. Hæc quæſtio adeò eſt fundamentalis, ut adverſarii noſtri deficientes in probatione, nullas habeant interpretationes, nullas conſequentias ad quas confugiant; quò ex iis (deficientibus verbis expreſſis & æquivalentibus Scripturæ) ſubſidiaria argumenta mutuentur. Manet igitùr quod dictum eſt *Method. Auguſt. Part. 2. cap. 4.*

§. 17.

Defenſio Paragraphi præcedentis.

CL. Dicit Muſæus. 1. *De quæſtione*: An probationes iſtæ ſufficiant ad probandos articulos fidei? *in qua fratres cardinem controverſiæ, & Methodi ſuæ fundamentum conſtituunt, in memorato* Tractatu quidem de uſu principiorum rationis in controv. Theol. *ex inſtituto non egi, nec enim affirmativam probari, aut probare tentavi, non quòd non ſolidè probari poſſet, ſed quòd contrà Nicolaum Vedelium Scriptorem Reformatum, cum quo mihi res erat, probatione non indigeret,* &c. *ut præter cauſam fratres ſub finem verborum ſcribant*: In Muſæo nihil deprehendimus, quo illud conatus ſit concludere, quod in quæſtione eſt. *De Converſ. Hom. diſp. 9. cap. 3. Theſ. 58. pag. 621.*

CLI. *Reſp.* Muſæus quæſtionem, ut dicit, præcipuam, ex in-

ſtituto non tractavit, affirmativam non probavit, aut probare tentavit: & tamen aſſerit (*vide ſuprà num.* 130.) ſe illa diſſeruiſſe, quæ ipſum Methodi jugulum petunt, ejuſque fundamentum evertunt. Parùm congruenter iſta proferuntur: ſed pergamus.

Ibid. theſ. 59. pag. 613. CLII. Dicit 2. *Quod inferunt fratres, (Suprà n. 133.) neceſſarium eſſe, ut Lutherani, promittentes probationes* ex ſola Scriptura, *intellexerint probationes, quas* Catholici, *hoc eſt*, Pontificii judicarent eſſe probandis articulis fidei ſufficientes; *prorſus inconſequens eſt. Neque enim ſequitur:* Lutherani promittentes, ſe probaturos ſuas concluſiones, ſub ratione articulorum fidei, ita ut contradictorium eſſet error in fide. Ergò promittentes probationes doctrinæ ſuæ ex ſola Scriptura, intellexerunt aut intelligere debuerunt probationes, ex ſola Scriptura, quas Pontificii ad probandos articulos fidei ſufficere judicabant. *Quid enim? Si Pontificii olim, perindè ut hodierni* Methodiſtæ, *ſuæ cauſæ diffiſi, etiam probationes veras, ſolidas, & probandis articulis fidei ſufficientiſſimas dixerint inſufficientes, & alias, quales in controverſiis, inter nos & ipſos agitari ſolitis, non dari noſſent, requiſiviſſent? Num propterea* Lutherani, *promittentes, ſe probaturos doctrinam ſuam* ex ſola Scriptura, *probationes veras, ſolidas, & quæ re-ipſâ probandis articulis fidei ſufficiunt, promittere non debuerunt? Minimè gentium. Non deſerendæ ſunt probationes, quæ* ex Scriptura *ad probandam doctrinam fidei ſolidè deduci poſſunt, eique probandæ re-ipſâ & verè ſufficiunt, propter Sophiſtarum negationes & exceptiones frivolas, ſed contrà urgendæ ſtrenuè, & ſimul opera danda, ut argutiis & exceptionibus illorum frivolis ſolidè diſcuſſis, convincantur, & convicti tandem illarum ſufficientiam negare, & veritati obloqui deſinant, aut ſi nedum veritati monſtratæ cedant rectè in illorum habebuntur numero,*
2 Theſſ. 2. 11. & ſeq. *quibus* Deus, *juſto judicio*, immiſit efficaciam deceptionis, ut credant mendacio, ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, ſed approbaverunt injuſtitiam *ejuſque judicio relinquendi erunt.*

CLIII. *Reſp.* Lutherus cum ſuis aſſeclis ad Reformationem prætenſam ſeſe divinitùs excitatum jactans, promiſit, ſe probaturum ſua dogmata, ſub ratione articulorum fidei, ita ut contradictorium eſſet error in fide. Cùm hoc Catholicis promitteret, debuit per probationem, ex ſola Scriptura, eam intelligere, quam Catholici judicabant ſufficientem. Loquebatur Lutherus Catholicis, qui quid intelligerent per probationem ſufficientem, Lutherum latere non potuit: proindeque neceſſe eſt, ut hoc promiſerit, quod Catholici judicabant ſufficiens, ſi quidem Lutherus voluit intelligi; neque enim

potuit

Digitized by Google

potuit intelligi, niſi accipiens ſua verba in eo ſenſu, in quo à Catholicis accipiebantur. Si Lutherus non accepit ſua verba in eo ſenſu, in quo accipiebantur à Catholicis; vana fuit ejus promiſſio; & Lutherus deceptor fuit, ſciens ſuam promiſſionem in ſenſu conſueto à Catholicis accipiendam, à quo (ſi Muſæo fides) Lutherus voluit recedere. Ita ſuum Patriarcham defendunt Lutherani.

CLIV. Quod dicit, *Si Pontificii olim, perinde ut hodierni Methodiſtæ, cauſæ ſuæ diffiſi*, &c. Cur enim aſſeruntur cauſæ ſuæ diffidere, qui urgent præſtationem promiſſi? Non ideò eſt ſufficientiſſima probatio, quòd Muſæus id aſſerat: in Eccleſia Catholica non habitam fuiſſe velut ſufficientiſſimam, tempore exorti ſchiſmatis, nemo neſcit. Qui tunc promittebant Catholicis, quod in controverſiis motis notorium erat præſtari non poſſe, non merebantur audiri. Sed efficacia erroris ad novitatem pronas mentes facilè ſubvertit. Non *Sophiſtarum negationes & exceptiones frivolæ*, quæ opponuntur, ut ille contemptibiliter loquitur; ſed rationes ſolidæ, quas cum ſophiſticatione nequeunt ſubvertere adverſarii, ad inanes criminationes convertuntur.

CLV. Dicit 3. *Quamvis falſum ſit, quòd ſub initium exorti ſchiſmatis Pontificii iſtis uſi ſint effugiis, quibus* Methodus Walenburchiana *hodie nititur, & probationes, per conſequentiam invictam ex Scripturis deductas, eo rejecerint nomine, quòd licèt ad inferendas* concluſiones veras & infallibiles *ſufficiant, non tamen ſufficiant ad probandum, quòd concluſiones illatæ* ſint de fide, & oppoſitum error in fide, *ſicut in dicta Methodo fieri videmus. Fratres ſcribunt:* Communis Lutheranorum ſententia hoc habet, &c. (Vide *ſuprà. n.* 134.) *Recentia ſunt hæc & id generis alia effugia, quibus ſub initium Reformationis Pontificii, quod ſciam, non uſi ſunt, ſed quantum ex ſcriptis, utrimque ultrò citròque emiſſis, intelligi datur, ad finem uſque ſeculi ſuperioris à Pontificiis admiſſa ſunt probationes doctrinæ fidei, quarum præmiſſa altera* ex Scriptura petita, *& altera* evidens *eſſet. Cùm verò hoc probationum genere ſe deſtitui animadverterent, confugerunt ad traditiones, ad Patres, Concilia, & Pontificum decreta. Proteſtantes autem rejectis illis, docuerunt*, Scripturam ſolam *eſſe probandæ doctrinæ fidei principium, idque ſufficientiſſimum.* Ibid. pag. 614.

CLVI. *Reſp.* Ecce quàm ſolidè concludat Muſæus: *Quamvis falſum ſit*, &c. Quare falſum eſt? Quia, inquit, *ſub initium Reformationis Pontificii iſtis effugiis, quod ſciam, non ſunt uſi*, &c. Undè probat, Pontificios iſtâ ratione non eſſe uſos? nam quod effugia vocat,

Digitized by Google

intemperiei adſcribendum eſt. Dicit, *quod ſciam*; quaſi ex particulari ipſius notitia dependeret rei veritas. Addit: *Ad finem uſque ſeculi ſuperioris à Pontificiis admiſſa ſunt probationes doctrinæ fidei, quarum præmiſſa altera* ex Scriptura *petita, & altera* evidens *eſſet*. Quarè limitat eam propoſitionem ad finem prioris ſeculi? An nunc docemus, non eſſe admittendas tales probationes? Admittimus quotidiè. Sed quando ejuſmodi probationes *ſufficientes* aſſerunt Lutherani probando articulo fidei: non aſſentimur.

Meth. Auguſt. *Part.* 2. *cap.* 3. §. 6. *& cap.* 4. §. 1. 7. 12. CLVII. Cæterùm quàm non ſit novus ille procedendi modus, alibi oſtendimus ex SS. Patribus. Audi unum Auguſtinum: *Quaſi tu, qui maximè quereris, examen vobis & Epiſcopale judicium denegari, peripateticorum poſſis invenire Concilium, ubi de ſubjecto, & his, quæ ſunt in ſubjecto, contrà originale peccatum dialectica ſententia proferatur.* Contrà Julian. lib. 2. cap. 10. Tom. 7. pag. 386. D. *Ad hoc enim redacta eſt hæreſis veſtra, ut gemant ſectatores veſtri, non inveniri dialecticos judices in Eccleſia, de ſcholis Peripateticorum ſive Stoicorum, à quibus poſſitis abſolvi.* Ibid. lib. 6. cap. 20. pag. 449. B.

CLVIII. Eſt etiam ille procedendi modus in ipſa ratione fundatus. Neceſſe eſt, ut omnis legitima probatio procedat à conceſſis, ad non conceſſa. Non conceſſa ſunt illa omnia, de quibus inter Lutheranos, & Eccleſiam Catholicam controvertitur. Hæc proindè non aliter ſunt probanda, niſi per conceſſa. Eſt conceſſum utrimque; illud omne credendum eſſe, quod S. Scriptura dicit verbis expreſſis, vel æquivalentibus. Non eſt conceſſum utrimque; illud omne credendum eſſe, quod ex una propoſitione Scripturæ, & altera rationis evidentis ac neceſſariæ ſequitur. Quotieſcunque igitur conantur probare ſua dogmata per ſolas ejuſmodi conſequentias, totiès conantur probare non conceſſum per non conceſſum; totiès fruſtrà laborant; totiès hoc agunt, quod in nobis (licet malè, ut alibi oſtendimus) acerbiſſimè reprehendunt. Fac Catholicum probare dogma controverſum ſive ex traditione, ſive Conciliis generalibus. Mox clamant Lutherani, non rectè probari dogma controverſum ſive ex traditione, ſive ex Conciliis; quòd iſta à Lutheranis non admittantur, tanquam ad ſufficienter probandum dogma fidei inidonea: clamant, tanquam conceſſum aſſumi, quod non eſt conceſſum; ſe rejicere traditiones, ſe rejicere Conciliorum generalium auctoritatem. Si in hoc malè agant Lutherani; cur Muſæus apertè aſſerit, ſe illa rejicere? Sin autem in eo benè agunt Lutherani; quæ tandem

Ibid. part. 3. cap. 3.

teme-

temeritas eſt, ne quid gravius dicamus, hoc ipſum, & non aliud, in nobis tragicis vocibus exagitare, quod ipſi quotidiè faciunt? Nam & nos dicimus, non rectè probari dogma controverſum per ſolam conſequentiam ex Scriptura deductam; quòd talis probatio à Catholicis non admittatur, tanquam ad ſufficienter probandum dogma fidei inidonea: quòd aſſumatur non conceſſum pro conceſſo, Catholicis omnem probationem, quæ per ſolam conſequentiam fit, è numero ſufficientium rejicientibus. Quamdiu ergò Lutherani judicabunt, ſe meritò rejicere noſtras probationes ex traditione & Conciliis; tamdiu nequeunt ſtatuere, nos immeritò rejicere è numero ſufficientium probationum, eas, quæ inſtituuntur per ſolas conſequentias. Quod ipſi dicunt contrà probationes noſtras ex traditione & Conciliis; nec non pro ſuis probationibus per ſolas conſequentias: hoc nos potiore jure dicimus adverſus ipſorum probationes per ſolas conſequentias; necnon pro noſtris probationibus ex traditione & Conciliis. Niſi adeò ſtolidi deveniant Catholici, ut in verbo Lutheranorum acceptent non conceſſum pro conceſſo, non patientur ſibi perſuaderi, eſſe ullas conſequentias, per quas ſolas ſufficienter probetur fides. Si hoc ipſum velint ex Scriptura probatum dare, tenebuntur ex conceſſis procedere, hoc eſt, per terminos expreſſos, vel æquivalentes: & nos faciliùs ex Scriptura probabimus admittendas eſſe traditiones, & generalium Conciliorum auctoritatem. Et hæc quidem oſtendunt, quòd etiamſi Proteſtantes nihil nobis promiſiſſent; nos tamen titulo fundatiſſimo petere probationem per ſolos terminos expreſſos, vel æquivalentes.

CLIX. Adverſus noſtra, *ſuprà n.* 138. poſita, dicit Muſæus: *Lutheranos, promittentes omnium dogmatum fidei probationem* ex ſola Scriptura, talem probationem afferre, *ſive talem promiſiſſe probationem, quæ re-ipſâ vera, ſolida, & probandis articulis fidei ſufficiens eſſet, & quam nemo Chriſtianorum jure & citrà temeritatis notam rejicere poſſet. Et promittentes eam, putabant ſe auditum iri à Pontificiis* fiduciâ cauſæ bonæ, *& quòd probationes, quas promittebant, ſolidas eſſe & probandis articulis fidei verè ſufficere, idque ſicubi in dubium vocaretur, invictis fundamentis probari poſſe ſcirent, atque ad illud probandum, ubi opus fuerit, etiam parati eſſent. Quamvis, ut dixi, à nemine Pontificiorum, quod ſciam, tunc temporis fuerit in dubium vocatum.* *Ibid. Theſ. 60. pag. 629.*

CLX. *Reſp.* Vides, lector, non aſſerere Muſæum, Lutheranos promittentes omnium dogmatum fidei probationem *ex ſola Scriptura,*

quatenùs per conſequentiam concluſiones ex ea deducuntur, eo ipſo promiſiſſe probationem *ex conceſſis*: neque enim id audet affirmare, tanquam ab apertiſſima veritate alienum. Quid ergò? Vult probationem per conſequentiam, eſſe re-ipſa veram, ſolidam, & probandis articulis fidei *ſufficientem* eſſe. At verò non agitur in præſenti de veritate, non de ſoliditate; agitur autem de ſola ſufficientia. Sed & nos dicimus, probationem deſumptam ex traditione, ex Conciliis, eſſe re-ipſa veram, ſolidam, ſufficientem probandis fidei articulis. Num Lutherani acceptant eam probationem; quia à nobis ſufficiens aſſeritur? Cur igitùr nos teneamur acceptare probationem per conſequentiam, ut ſufficientem, licèt id à Lutheranis aſſeratur? Vult, probationem per conſequentiam eſſe talem, *quam nemo Chriſtianorum jure, & citrà temeritatis notam rejicere poteſt.* Nos ex adverſo exiſtimamus, eam propoſitionem ſine inſigni temeritatis nota, poni non poſſe. Quid enim? An ſine temeritatis nota rejici non poteſt, quòd probatio per ſolam conſequentiam, ſufficiat ad probandum articulum fidei, & contrarium revincendum erroris in fide; quam ſententiam nullus unquam Catholicus docuit, & novitia reformatio poſterioribus his temporibus temerè protruſit, poſt rejectam iniquiſſimè probationem ex traditione & Conciliis? Non eſt niſi deſperatio probandi per terminos S.Scripturæ expreſſos, vel æquivalentes, quæ ad tantas abſurditates Proteſtantes redegit.

CLXI. Sed, inquit Muſæus, Proteſtantes, *ſicubi* ſufficientia probationis per ſolam conſequentiam, *in dubium vocaretur, invictis fundamentis probari* eam *poſſe ſciebant, atque ad illud probandum, ubi opus fuiſſet, etiam parati erant.* Cùm ergò nullus unquam Catholicus docuerit ſufficientiam probationis per ſolam conſequentiam; Proteſtantes, qui promittebant probationem per ſolam conſequentiam, non promittebant probationem ex conceſſis. Neque ullatenùs obſtat, quòd Proteſtantes ſibi perſuaſerint, eam ſententiam *invictis fundamentis probari poſſe:* nam & nos longè certiùs ſcimus, ſufficientiam deſumptæ probationis ex traditionibus & Conciliis invictiſſimis fundamentis probari poſſe. Vel ergò nos afferentes argumenta è traditionibus & Conciliis, probamus ex conceſſis; quia ſcimus tales probationes niti invictiſſimis argumentis: vel Lutherani proferentes argumenta per ſolam conſequentiam, non probant ex conceſſis, quantumvis ſibi perſuadeant, talia argumenta niti invictis fundamentis. Similiter non obſtat, quòd Proteſtantes fuerint parati probare

bare ſufficientiam probationis per ſolam conſequentiam: nam & Catholici fuerunt parati probare ſufficientiam probationis è traditione & Conciliis deſumptæ. Vel igitur nos afferentes argumenta è traditionibus & Conciliis, probamus ex conceſſis; quia ſumus parati probare ſufficientiam talium argumentorum: vel Lutherani proferentes argumenta per ſolam conſequentiam, non probant ex conceſſis, quantumvis ſeſe dicant paratos probare ſufficientiam talium argumentorum.

CLXII. Contrà dicta noſtra *ſuprà n.* 138. in verbis; *An putarunt*, &c. dicit Muſæus: *Veriſſimum eſſe, quod Lutherani rejecerint* traditiones, *quas Pontificii falsò pro verbo Dei venditabant, & ad ſuam doctrinam, quòd Scripturæ fundamentis deſtitueretur, confirmandam afferebant, & allatas probandis articulis fidei ſufficere, contendebant, nunquam id facturi, ſi idoneis Scripturæ fundamentis doctrinam ſuam probare potuiſſent.* *Ibid. Theſ.* 61. *pag.* 629.

CLXIII. *Reſp.* Similiter; veriſſimum eſſe, quòd Catholici rejecerint modum probandi fidem per ſolas conſequentias, quas Lutherani falſò ut ſufficientes venditabant, & ad ſuam doctrinam, quòd terminis expreſſis & æquivalentibus S. Scripturæ deſtitueretur, confirmandam afferebant, & allatas probandis articulis fidei ſufficere, contendebant, nunquam id facturi, ſi terminis expreſſis vel æquivalentibus S. Scripturæ, adeoque idoneis fundamentis doctrinam ſuam probare voluiſſent. Ecce idem utrimque dicimus: ſi Muſæus benè; cur nos malè? Si illius aſſertio eſt valida; undè noſtra eſt infirma?

CLXIV. Addit: *Et quamvis* Conciliis *legitimis, præſertim univerſalibus, ſuam tribuamus auctoritatem ad teſtificandum de doctrina fidei, ut tamen vis & ratio probandi non in ipſis, ſed in Scripturis, quibus innitantur, reſideat: ſpuria tamen concilia, qualia nobis obtrudunt Papiſtæ, puta quorum Epiſcopi Curiæ Romanæ, omnium corruptelarum & ſuperſtitionum matri, juramento obſtricti ſunt, & quibus nihil niſi quod Pontifici libet definire licet: talia, in quam Concilia rejecerunt Lutherani utique, & etiamnum conſtanter rejiciunt, non obſtante, quòd Pontificii illorum etiam auctoritatem jactent, & ſufficientem dicant ad probandos articulos fidei. Quia autem Lutherani non temerè hæc rejecerunt, ſed fundamentis ſolidis oſtenderunt, quòd ad probandos articulos fidei argumenta idonea non conſtituant, non putarunt, Pontificios tam temerarios futuros, ut nihilominus, desertâ Scripturâ ſacra* traditionibus & auctoritati talium Conciliorum, *qui-* *Ibid.*

bus libertas Doctrinas controverſas ad normam Scripturæ ſacræ dignoſcendi prorſus adempta eſt, inſiſterent; & unicum illum modum probandi doctrinam fidei ex Scriptura ſola, *quem probandis articulis fidei ſufficere, ad oculum monſtratum eſt, tam præfractè rejicerent, ſicut moderni Sophiſtæ faciunt.*

CLXV. *Reſp.* Et nos Conciliis legitimis, præſertim univerſalibus, ſuam tribuimus auctoritatem, ad teſtificandum de doctrina fidei, ita ut vis & ratio probandi non in hominibus, ut talibus, reſideat; ſed in directione Spiritus Sancti, juxtà apertiſſimas S.Scripturæ promiſſiones, in omnem veritatem rectores Eccleſiæ ducentis, nec unquam permittentis, ut aliud proponant credendum, quam quod in Verbo Dei ſive ſcripto, ſive non ſcripto revelatum exiſtit. Quòd de ſpuriis Conciliis, &c. partim nugatur, partim calumniatur Muſæus, meritò contemnimus. Argumenta Lutheranorum ſolida, quibus ſufficientiam probationum ex Conciliis deſumptarum conantur evertere, necdum vidimus. Quòd cum tota Eccleſia Catholica temeritatis accuſemur à Schiſmatico, haud ægrè ferimus; neque enim alias benedictiones à talibus expectamus. Qualis libertas examinandi Concilia quibuſvis fidelibus concedatur, quia alibi diximus, hîc non repetimus. Vid. de Unit. Eccl. lib. 8.

Ibid. Theſ. 62. pag. 626. CLXVI. Contrà noſtra, *ſupra n.* 139. poſita dicit Muſæus: *Dicunt fratres:* Lutheranorum profectò erat cogitare, promiſſionem ſuam eo ſenſu acceptandam, quo ab Eccleſia Catholica habebatur ſufficiens ad probandum articulum fidei. *Quam illorum aſſertionem meritò in abſurdis habemus. Quid enim? Si Eccleſia Pontificia tùm temporis hos habuiſſet Sophiſtas, quos nunc habet, & illorum argutiis perinde ut hodie, abuſa eſſet ad inſultandum Proteſtantium Eccleſiis, num* Proteſtantium fuiſſet cogitare, *ſibi deſerendam eſſe veram & ſolidam rationem probandi articulos fidei, & in Sophiſtarum gratiam, talem promittendam probationem* ex Scriptura ſola, *qualem in pleriſque, quas cum Pontificiis habent controverſiis, locum non invenire ſcirent, ut jure facere potuiſſent Sophiſtæ, quod nunc per injuriam faciunt, dum illorum promiſſum in alienum ſenſum detorquent, & per hoc nobis inſultant?*

CLXVII. *Reſp.* Nullus Doctor Catholicus, initio Reformationis prætenſæ, docuit argumenta, per ſolam conſequentiam ex Scripturis deducta, ſufficere ad probandum Catholicæ fidei articulum: alii probabiliter tenuerunt, talium argumentorum concluſiones eſſe fidei; alii probabiliter tenuerunt, talium argumentorum concluſiones non eſſe fidei: neque propterea alii alios condemnarunt,

runt, ſed ſalvâ unitate fidei Catholicæ, quæſtionem inter domeſticos fidei controverſam ſuo curſui reliquerunt. Neque unum ſolum nominabit Muſæus, qui aliter docuerit. Cum iſtis omnibus Doctoribus Catholicis tenemus, Probationem per ſolam conſequentiam non ſufficere ad articulum Catholicæ fidei. Vel igitur dicat Muſæus omnes Eccleſiæ Catholicæ Doctores, ante, & poſt prætenſam Reformationem, fuiſſe, & eſſe Sophiſtas; ſe autem, ſuoſque novatores ſinceriſſimæ veritatis ſectatores, ab omni deceptione alienos; quod fortaſſis non audebit: vel agnoſcat nos agere juxtà receptiſſimam Catholicorum Doctorum ſententiam.

CLXVIII. Scivimus, teſtante Muſæo, probationem per terminos expreſſos, vel æquivalentes S.Scripturæ, non invenire locum in pleriſque controverſiis, nos inter, & Lutheranos agitatis. Scivimus, Lutheranos rejeciſſe probationes ex traditione, ex Conciliis, &c. Nùm propterea acceptanda erat probatio tanquam ſufficiens, quam nullus Doctor Catholicus judicaverat ſufficientem probando Catholicæ fidei articulo? Non volumus, ut *deſeratur vera & ſolida ratio probandi articulos fidei per conſequentiam*; quâ & ipſi utimur: ſed volumus, ut agnoſcant Proteſtantes, probationem per ſolam conſequentiam, nunquam in Eccleſia Catholica habitam ſufficientem probando fidei Catholicæ articulo. Quo ſolo poſito, inconditi Proteſtantium clamores de Sophiſtis & Sophiſmatibus, & argutiis, non ſunt niſi meræ calumniæ, quæ ex defectu melioris defenſionis oriuntur. Eidem illud eſt conſequens; Proteſtantes, promittentes probationem dogmatum ſuorum per ſolam Scripturam, & intelligentes probationem per ſolam conſequentiam ex Scriptura deductam, non obtuliſſe probationem utrimque receptam, ut ſufficientem probando articulo fidei; & ſic non voluiſſe, nec potuiſſe probare ſua dogmata ex conceſſis, ſed ex controverſis, quod an deceptorium ſit, ipſuſmet Muſæus judicet. Quia autem Catholici, bonâ fide agentes, noluerunt præſumere deceptoriam Proteſtantium promiſſionem; hanc aliter accipere nec potuerunt, nec debuerunt, niſi quatenùs proceſſura eſſet ex conceſſis, adeoque per terminos S.Scripturæ expreſſos, vel æquivalentes. Cúmque fateatur Muſæus, pleraque Proteſtantium dogmata controverſa ſic probari non poſſe; ſupereſt ut fateatur, eadem non poſſe probari ex principio utrimque conceſſo: nam probatio per ſolam conſequentiam, uti dictum eſt, ad utrimque conceſſa referri non poteſt.

Vide etiam Suprà n. 150.

Digitized by Google

Ibid. CLXIX. Addit: *Sed eos hoc cogitaſſe* fratres non dubitant, *ſicut dicunt. Vix aliter ſentire poſſumus, quàm quòd Lutheranos putent fuiſſe ſtupidos, vel ſtupidi ſint ipſi, qui de viris prudentiſſimis & eruditiſſimis tantas ineptias, quæ vix in ſtupidiſſimum quemquam caderent, præſumant. Non erat Lutheranorum talem promittere probationem* ex Scriptura, *qualem* ad probandos articulos fidei ſufficientem *illi demùm judicarent, qui Scripturæ lucem formidantes, nullas ex illa deſumptas probationes judicant ſufficientes, præter illas, quas in controverſiis, utrimque agitatis, locum non invenire ſibi perſuadent; & per hoc à Scripturarum præſidio nos dejicere conantur: hoc enim fuiſſet veritatem prodere, eamque hoſtium ludibrio exponere: ſed contrà illorum officii erat, ut promitterent* probationes ex Scriptura, *quæ ſolida eſſent, & probandis articulis fidei reapſe ſufficerent, & ut, ſufficientiâ illarum monſtratâ, argutiiſque & ſtrophis, quas opponerent Sophiſtæ, refutatis, Sophiſtas ſi ſanabiles eſſent, ad meliorem mentem reducerent.*

CLXX. *Reſp.* Quàm verſatilis, & inconſtans fuerit veſter Lutherus, à noſtris abundè demonſtratum eſt; ut mirùm non ſit, ſi more reliquorum ſchiſmaticorum plures ineptias effutierit; & ſectatores pariter ineptientes obtinuerit. Neque tamen adeò ineptè in hac parte ſtatuit Lutherus; qui rejiciens probationes ex traditione & Conciliis, & ſciens probationem per ſolam conſequentiam à Doctoribus Catholicis non acceptari ut ſufficientem, quod unicum ſupererat, elegit, probationem ex ſola Scriptura, per terminos ſcilicet expreſſos vel æquivalentes. Quod ſi voluiſſet inſuper aſſumere probationem per ſolam conſequentiam, tanquam ſufficientem, debuiſſet declarare, ſe non probaturum ex conceſſis, & ſententiæ omnium Doctorum Catholicorum contradicere; quod eum feciſſe, nunquam legimus. Populus certè Lutheranus, non aliter accepit promiſſionem Proteſtantium de probandis omnibus dogmatibus ex S.Scriptura, quàm quòd ea in S.Scriptura dilucidè & apertè legerentur; non tam facilè ab avita fide receſſurus, niſi ampliſſimâ illâ promiſſione fuiſſet ineſcatus; ſtabilior in Catholica veritate manſurus, ſi audiviſſet pleraque dogmata controverſa, non per terminos expreſſos vel æquivalentes, ſed per ſolam conſequentiam ex Scriptura probari poſſe. Et quicunque alteri probata vult ſua dogmata, neceſſe eſt, ut probet ex principio utrimque conceſſo; ſecus enim faciens, aërem verberat; niſi antecedenter probet, eſſe neceſſariò concedendum, quod aſſumit non conceſſum.. Cùm urgemus promiſſionem Lutheranorum, non formidamus lucem Scripturarum nobis

bis propitiam, & ſalutarem; ſed nec patimur, propter injuriam & calumniam, nobis obtrudi non conceſſum pro conceſſo, adeoque probationes per ſolam conſequentiam, tanquam ſufficientem probando articulo fidei. Non conamur Lutheranos à Scripturarum præſidio dejicere, qui in Scripturis, adverſùs Eccleſiam Catholicam, nullum habent præſidium; qui nec probant juxtà promiſſionem ſuam, nec ex conceſſis. Muſæus offert probationem non conceſſi; ſed, niſi graviter fallamur, vix tentabit illud ipſum non conceſſum probare per conceſſa: uti, ſi Deus voluerit, alio loco oſtendemus.

CLXXI. Contra noſtra *ſuprà n.* 140. poſita, dicit Muſæus: *falſum eſt, quòd Lutherani non aliam promiſerint, aut ſaltem promittere debuerint* probationem, ex ſola Scriptura, *quàm qualem Pontificii ſufficientem judicarent.* *Reſp.* Quòd non aliam promiſerint, non ſemel docuimus. Si aliam promittere non debuerunt, quàm qualem Catholici ſufficientem judicarent: ergò non debuerunt promittere probationem ex conceſſis; quod eſt abſurdiſſimum aſſertum. Proſequitur: *falſum etiam eſt, quòd probationes*, per evidentem conſequentiam ex Scriptura *deductas*, *Pontificii ſub initium ſtatim exorti ſchiſmatis, tanquam inſufficientes rejecerint.* *Reſp.* Nos non ſemel oſtendimus, tempore exorti ſchiſmatis, non fuiſſe unum ſolum Doctorem Catholicum, qui tales probationes ut ſufficientes admiſerit. Et tamen tam confidenter de falſitate loquitur Muſæus, ac ſi ſolâ aſſertione ſuâ veritatem in falſitatem poſſet commutare. *Ibid. Theſ.* 63. *pag.* 627.

CLXXII. Contra noſtra, *ſuprà n.* 141. poſita, dicit Muſæus: *Non, inquam* obſcurè *aut* ambiguè *Proteſtantes loquuti ſunt in ſuo promiſſo. Sive enim* verborum indolem & uſum loquendi, *ſive materiam ſubjectam ſpectes, non alium, quàm quem diximus, ſenſum præ ſe fert aut admittit illorum promiſſum. Verba enim ex ſua vi & indole non denotant* determinatè *probationem* ex ſola Scriptura, per ejus terminos expreſſos, *ſed* indefinitè *probationem* ex ſola Scriptura, *ſub qua continetur etiam genus probationum alterum, quo per conſequentiam ex* Scripturæ *dictis id quod in quæſtione eſt, infertur, ut de ſolis probationibus* per Scripturæ terminos expreſſos *illud accipi non poſſit, niſi per verborum detorſionem violentiſſimam, & conſequentias planè inconſequentes, quibus* à non diſtributo ad diſtributum, à genere ad unam ſolam ſpeciem *ineptiſſimè concluditur. Materia ſubjecta autem concernit probationes eorum doctrinæ capitum, quæ inter nos & Pontificios controvertuntur: in quorum pleriſque probationes* *Ibid. pag.* 628.

per

per ſolos Scripturæ terminos expreſſos *locum non invenire, neminem do-ctum, & qui harum controverſiarum mediocriter gnarus eſt, latere poteſt: ut etiam hujus intuitu promiſſum de probanda doctrina fidei* ex ſola Scriptura, *à viris prudentibus & in id generis controverſiis exercitatiſſimis (quales Proteſtantes erant) profectum, non accipi poſſit de probationibus* per ſolos terminos Scripturæ expreſſos. *Ubi ergò obſcuritas in memorato promiſſo? ambiguitas ubi?* &c.

CLXXIII. *Reſp.* Nòn diximus, obſcurè, vel ambiguè locutos eſſe Proteſtantes, quando promiſerunt ſua dogmata per ſolam Scripturam probare. Hoc diximus: *Si obſcurè, vel ambiguè locuti ſunt, id ipſis nocet, in quorum poteſtate fuit apertiùs loqui.* Quòd apertè locûti ſint, ex eo nobis conſtat, quod Proteſtantes, qui in numerum ignorantium nolebant referri, abundè ſcirent, fruſtrà promitti probationem per non conceſſa: quòd poſtquam rejecerant probationes Catholicas ex traditione ex Conciliis, tanquam à ſe non conceſſis; haud poterant Catholicis, ſine apertiſſima ſtoliditate, obtrudere probationes ex non conceſſis. Nihil autem reſtabat utrimque conceſſum, præter probationem per terminos S. Scripturæ expreſſos & æquivalentes.

CLXXIV. **Non vult Muſæus, ambiguè Proteſtantes**, vel obſcurè locutos eſſe. Vult, probationem per ſolam Scripturam comprehendere probationem per terminos expreſſos, & per conſequentiam ex Scriptûra. Neque nos id diffitemur. Dicimus autem, ubi agitur de re controverſa debitè probanda; debere promitti & præſtari probationem per conceſſa; & non niſi ineptiſſimè atque ignoranter poſſe promitti probationem per non conceſſa. Num inepti fuerunt Proteſtantes, num ignorantes, qui neſcirent, quæ; qualiſque eſſet promittenda probatio; quos tamen prudentes vocat Muſæus, & in controverſiis exercitatiſſimos? Si ergò prudentes habendi ſint, & exercitatiſſimi, neutiquam credendum eſt, eos ineptiſſimè & ignoranter promiſiſſe probationem per non conceſſa. Cúmque probatio per ſolam conſequentiam ex Scriptura, nequeat referri ad utrimque conceſſa; credendum non eſt, eam à Proteſtantibus fuiſſe promiſſam. Si prudentes habendi ſint Proteſtantes, & exercitatiſſimi, non poterant ſine apertiſſima ſtoliditate pro parte ſua promittere; quod in parte adverſa rejecerant & exploſerant. Rejecerant autem probationes Catholicorum è traditione & Conciliis, tanquam per non conceſſa. Ergò non poterant ſine apertiſſima ſtoliditate pro

parte

Digitized by Google

parte ſua promittere probationem per non conceſſa, & per ſolam conſequentiam ex Scriptura.

CLXXV. Materia ſubjecta concernit probationes eorum doctrinæ capitum, quæ inter Lutheranos, & Catholicos controvertuntur: neminem doctum latere poteſt, probationem per terminos expreſſos in pleriſque locum non invenire. Quid inde? An ſequitur, propterea non promiſiſſe Proteſtantes probationes per terminos expreſſos? Hoc quidem ſequitur: non debuiſſe Proteſtantes promittere probationem per terminos expreſſos, quos non habebant pro doctrina controverſa. Sed non promiſiſſe illos probationem per terminos expreſſos vel æquivalentes, nullatenus ſequitur. Neque enim novum eſt, hæreticos ſemetipſos confundere, uti alibi obſervavimus: neque præſumendum eſt, Catholicos acceptaſſe non conceſſa, pro conceſſis. *De Unit. Eccl. lib. 9. cap. 5. §. 3. n. 11. pag. 521.*

§. 18.

Quas probationes admittant controverſiæ terminis negativis propoſitæ.

CLXXVI. Difficultas in hoc conſiſtit; quando una pars contendentium ſuſtinet affirmativè, quæſtionem propoſitam eſſe ſupernaturaliter revelatam; altera pars ſuſtinet negativè, eandem quæſtionem propoſitam eſſe falſam; quænam probationes rectè à parte negante adduci poſſint. *Muſæus. lib. 2. cap. 4.*

CLXXVII. Quæſtiones quæ in controverſiam veniunt, vel ſunt merè Theologicæ, vel ſunt mixtæ. Sicut veritas mixtæ quæſtionis probari poteſt, tùm ex Verbo Dei, tùm ex ratione: ita falſitas talis quæſtionis admittit in refutando tùm probationes ex Verbo Dei, tùm ex ratione, uti per ſe patet. Verùm quia quæſtio mixta non defenditur, ut naturaliter nota; ſed ut ſupernaturaliter revelata; incipiendum eſt à refutatione ex Verbo Dei; atque deindè pergendum ad refutationes ex ratione deſumptas.

CLXXVIII. Sin autem defendatur aliqua quæſtio, ut ſolo lumine ſupernaturali nota, ſeu ut myſterium fidei, ſeu ut merè Theologica; tunc refutatio propriè & per ſe non poteſt inſtitui poſitivè ex ſola ratione. Cùm enim unio extremorum, v. g. in hac quæſtione, *purgatorium eſt exiſtens*, dependeat à ſola revelatione ſupernaturali, ex ſententia defendentis & affirmantis; non poteſt oppugnans

ſuam negationem, *purgatorium non exiſtit*, probare ex ſolo lumine rationis; ſed neceſſariò inſtituenda eſt confutatio ex verbo Dei, ſeu revelatione ſupernaturali.

CLXXIX. Tunc autem, aſſumptâ unâ propoſitione Scripturæ, & altera rationis evidentis, ac abſolutè neceſſariæ (ſi quæ talis daretur) benè ſequeretur, non eſſe revelatam affirmativam v. g. *Purgatorium eſt exiſtens:* non tamen ſequeretur, negativam, v. g. *Purgatorium non exiſtit*, eſſe ſupernaturaliter revelatam, uti ſuprà dictum. Ratio eſt: quia ſicut neceſſariò vera eſt concluſio negativa, quæ ſequitur ex una præmiſſa ſupernaturaliter revelata, & altera rationis evidentis atque abſolutè neceſſariæ: ita neceſſariò falſa eſt affirmativa tali negationi oppoſita. Undè ad demonſtrandam falſitatem concluſionis, quæ affirmativè defenditur, ut ſupernaturaliter revelata; ſufficit ex una propoſitione ſupernaturaliter revelata, & altera rationis evidentis atque abſolutè neceſſariæ, concludere contradictorium: fieri enim nullo modo poteſt, ut talis concluſio contradictoria affirmativæ non ſit vera, ipſaque affirmativa, quæ defenditur, falſa. Sed non ſequitur: concluſio negativa, quæ provenit ex talibus præmiſſis, eſt neceſſariò vera; ergò eſt neceſſariò revelata ſupernaturaliter. Quia *revelatum ſupernaturaliter*, dicit formalem revelationem; cùm tamen ejuſmodi concluſio, in quantum eſt ex cauſa ſupernaturaliter revelata, partim naturaliter cognita, non poſſit haberi pro ſupernaturaliter revelata; licet interim ſit *probabile*, talem concluſionem eſſe ſupernaturaliter revelatam, propter principium genuinum & proprium ſupernaturaliter revelatum. Vel, ut alii dicunt, quia ſuppoſitâ concluſione Theologicâ, ſequitur diſtinctus aſſenſus, à lumine fidei productus; qui non conſiderat concluſionem, ut ſequitur ex præmiſſis, ſed prout comprehenditur aliquo modo in propoſitione revelata, independenter à forma argumenti; licèt interim requiratur forma argumenti, ut conditio, ad aſſenſum fidei eliciendum. Vide Gravinam, *Cathol. præſcript. Tom. 1. lib. 1. Præſcript. 6.* Vaſquer, *1. Part. quæſt. 1. art. 2. Diſp. 5. cap. 3.*

CLXXX. Cæterùm quia noſtra quæſtio non procedit contra adverſarios fidei Catholicæ; an talis concluſio negativa ſit probabiliter revelata; ideò perpetuam committunt ignorantiam elenchi, quando non probant ejuſmodi concluſiones negativas eſſe abſolutè revelatas ſupernaturaliter, & fidei Catholicæ: hoc enim, ut in ſequentibus oſtendemus, aſſumpſerunt probandum.

CLXXXI. Su-

Digitized by Google

CLXXXI. Supereſt una obſervatio: quæſtio, quæ defenditur ut merè Theologica, & ſolo lumine ſupernaturali nota, vel implicat manifeſtam contradictionem, vel non implicat manifeſtam contradictionem. Si non implicat manifeſtam contradictionem, non poteſt partis oppoſitæ veritas aliundè, quàm ex verbo Dei poſitivè probari. Tales ſunt articuli Antitrinitanianorum: *Una ſola eſt perſona in divinis*, &c. Sin autem implicat manifeſtam contradictionem in terminis; nullus dubitat, quin talis contradictio etiam ex ratione demonſtrari poſſit: & hoc ipſum præſtatur contra Anthropomorphitas, ſuſtinentes, *Deum eſſe corporeum*; ſicut enim in Philoſophia, ita & in Theologia duæ contradictoriæ non poſſunt eſſe ſimul veræ. Ita legimus *Iſa.* 44. *&* *Ierem.* 10. Prophetas idolorum vanitatem, ex principio contradictionis latè confutaſſe, oſtendendo, quod repugnet, Deos eſſe, quos ex ligno fecit, & argento atque auro ornavit artificis manus: qui neque audire, neque loqui, & nec benè vel malè facere poſſunt, &c. Vide *Pſal.* 105. 4. & *Sap.* 15. 15.

CLXXXII. Ratio hujus rei eſt, quia licèt articulus, qui defenditur, non poſſit attingi ſolo lumine naturali, cùm tamen involvat manifeſtam contradictionem, ipſa falſitas ex contradictione emergens, rationis judicio attingitur, & per lumen ſolius rationis rectè confutatur.

CLXXXIII. Dices; Adverſarios, quando contra quæſtiones ſolo lumine ſupernaturali cognitas & merè Theologicas diſputant, etiam prætendere, quod falſas opiniones impugnent, quæ evidentem contradictionem involvant. Ita Photinianos impugnare articulos: *Tres perſonas in una eſſentia Dei eſſe: Chriſtum Deum & hominem eſſe: naturam humanam Chriſti ſubſiſtere ſubſiſtentiâ Verbi.* & Reformatos: *Chriſti corpus eſſe realiter præſens in SS. Euchariſtia.*

CLXXXIV. *Reſp.* Cum S. Thoma: *Cùm fides infallibili veritati innitatur, impoſſibile autem ſit de vero demonſtrari contrarium, manifeſtum eſt, probationes, quæ contra fidem inducuntur, non eſſe demonſtrationes, ſed ſolubilia argumenta.* Quando igitùr Adverſarii prætendunt manifeſtas contradictiones, abutuntur Philoſophiâ ad ſtabiliendum errorem; quemadmodum abutuntur locis Scripturæ, ut veras ſententias oppugnent. Sicut igitur non ideò abſtinendum eſt à refutatione locorum Scripturæ, quatenùs ea adducuntur; ita non ideò abſtinendum eſt à refutatione prætenſæ contradictionis, quæ allegatur. Ita enim docet S. Auguſtinus: *Hanc artem, quam dialecticam vocat, quæ nihil*

p. 1. *q.* 1. *art.* 8.

Lib. 1. Contr. Creſcon. cap. 20. Tom. 7. pag. 166. D.

nihil aliud docet, quàm conſequentia demonſtrare, ſeu vera veris, ſeu falſa falſis, nunquam doctrina Chriſtiana formidat, ſicut eam in Stoicis non formidavit Apoſtolus (Act. 17.) *quos ſecum volentes conferre non reſpuit. Et ipſa enim fatetur & verum eſt, neminem diſputando ad concluſionem falſam conſequenter impelli, niſi priùs conſenſerit falſis, quibus eadem concluſio velit nolit efficitur: ac per hoc qui cavet ne ſe loquente conſequantur falſa quæ non vult, volens falſa caveat quæ præcedunt.* Nota tamen generaliter.

CLXXXV. Cùm adducitur argumentum directè pugnans contra myſterium fidei; non poteſt ſolvi evidenter poſitivè: v.g. *Vbicunque eſt diſtinctio perſonarum, eſt etiam diſtinctio naturæ. Sed in divinis eſt diſtinctio perſonarum. Ergò eſt etiam diſtinctio naturæ.* Hìc major eſt falſa; ſed ejus falſitas evidenter oſtendi nequit: ſi enim id oſtenderetur evidenter; tunc evidenter conſtaret, poſſe eſſe in una natura ſingulari plura ſuppoſita: & ſic poſſibilitas myſterii SS. Trinitatis eſſet evidens. Undè refutatur illud argumentum evidenter negativè: cùm enim major non ſit ita evidens, ut convincat intellectum ad aſſenſum; etiam evidens eſt, ex ea non ſequi evidenter concluſionem. Quando autem argumenta non directè oppugnant myſterium fidei; ſed aliquid, quod etiam lumine naturali attingitur, tunc omnia ſolvi poſſunt evidenter poſitivè.

CLXXXVI. Exempli cauſa: Reformati dicunt, articulum fidei noſtræ, de reali præſentia Chriſti in SS. Euchariſtia, eſſe falſam opinionem, & adducunt hoc argumentum: *Nullum corpus naturale poteſt eſſe ſimul in pluribus locis. Corpus Chriſti eſt in cælo.* Act. 3. *Ergò non eſt ſimul in SS. Euchariſtia.*

CLXXXVII. *Reſp.* 1. Conſtat evidenter poſitivè, illa omnia eſſe poſſibilia, quæ non involvunt contradictionem: major itaque eſt falſa; quia evidenter conſtat, non eſſe contradictionem, etiamſi idem corpus eſſet in pluribus locis, ſicut eſt in Euchariſtia. Cùm enim, *eſſe in loco*, ſit accidens, quid implicat accidentia multiplicari? Hoc autem evidenter ſcitur. Sicut & illud evidenter refutatur, quod dicunt in Euchariſtia non poſſe eſſe *accidentia ſine ſubſtantia.* quia eſſentia accidentium non requirit actualem exiſtentiam in ſubſtantia, ſed aptitudinem & ordinem ad inhærendum. Hoc iterùm ſcitur: & ratio eſt: quia omnia argumenta, quæ non pugnant directè contra aliquod myſterium fidei; ſed tantùm ex conſequenti; directè verò contrà aliquod naturale, quod ſupponit myſterium, evidenter poſitivè ſolvi poſſunt. Vaſquer, 1. *p. art.* 8. *diſp.* 11.

CLXXXVIII. *Reſp.*

Digitized by Google

CLXXXVIII. *Reſp.* 2. Quandocunque defenditur articulus aliquis, ut merè Theologicus, & ſuperans lumen ſolius rationis naturalis, nihil poteſt inferre ex argumento, cujus major propoſitio eſt tantùm Phyſicè neceſſaria: ſic enim concludendum foret, articulum de reali præſentia Chriſti in SS. Euchariſtia ideò eſſe erroneum, quod ordini ſoli naturali non congrueret. Quo admiſſo, eadem de cauſâ etiam illa dogmata, quæ Reformati nobiſcum pro articulis fidei, v. g. myſteria SS. Trinitatis, incarnationis, &c. tanquam falſæ opiniones, repudianda erunt; quippe quæ ad ordinem ſolius naturæ ejuſque vires non quadrant. Quocircà Reformati dicto argumento nihil concludunt: quia cùm defendamus articulum de reali præſentia Chriſti in SS. Euchariſtia vim naturæ tranſcendere; illi profectò nihil probant, qui urgent d. articulum non poſſe attingi lumine naturali; ſic enim probatur, quod docemus. Hinc S. Hilarius: *Stultum eſt autem calumniam in eo inquiſitionis intendere, in quo comprehendi id undè quæritur per naturam ſuam non poteſt.*

Contra Daillæum. *La foy fondée. Part.* 1. *chap.* 12.

Lib. 1. *contr. Conſtant. col.* 299. *E.*

CLXXXIX. Itaque obſervandum: nos docere; Chriſtum eſſe in pluribus locis; accidentia ſine ſubjecto manere, poſt verba ritè pronunciata: Adverſarios verò non probare directè, Chriſtum eo modo non eſſe in pluribus locis, accidentia eo modo non exiſtere, & manere ſine ſubjecto: ſed conſequenter id deducere velle ex eo, quod ita fieri nequeat: atqui *id fieri poſſe* non eſt articulus ſolâ revelatione notus; ſed aliquid, quod etiam naturali lumine attingitur. Eodem modo ſi quis diceret; *à privatione ad habitum non datur regreſſus: ergò non eſt poſſibilis futura reſurrectio.* evidenter negatur antecedens, & oſtenditur poſitivè, non eſſe contradictionem: non enim concluditur directè contra articulum fidei; *futura eſt reſurrectio.* Vaſquer. *part.* 1. *art.* 8. *diſp.* 11. *cap.* 3.

CXC. Deindè, cùm verba Chriſti in propria ſignificatione pro nobis ſint; & Reformati tropum urgeant; videndum eſt, quam afferant neceſſitatem recedendi à proprio verborum ſenſu. Nam ſi afferant ſolam Phyſicam neceſſitatem, ex illa propoſitione: *Nullum corpus poteſt eſſe ſimul in pluribus locis:* & ſibi, & veritati injuriam faciunt: ſibi quidem, quòd eodem modo ſubverti poſſint alia myſteria fidei, quæ credunt; veritati etiam, quòd divinæ voluntatis teſtimonium, tranſcendens lumen rationis, velint ſubjectum rationi, Deumque conſtringere intrà metas capacitatis ſuæ.

CXCI. Quæ ad præmiſſa obſervat Muſæus, quia partim ad

Digitized by Google

De Converſ. hom. diſp. 9. cap. 3. theſ. 64. pag. 629. rem præſentem non faciunt, partim in Methodo Auguſtiniana ſufficienter diſcuſſa ſunt, non indigent hoc loco ſpeciali conſideratione: ideoque pergimus.

§. 19.

Quas probationes promiſerint Adverſarii in controverſiis, quas terminis negativis proponunt.

Part. 2. cap. 3. §. 2. CXCII. Sicut in Methodo Auguſtiniana obſervavimus, Adverſarii noſtri docent *reprobationem confutationemque* dogmatum & errorum omnium ex Scriptura petendam eſſe: docent Confeſſiones ſuas fundatas *in puro & expreſſo* Verbo Dei. Ponunt in ſuis Confeſſionibus promiſcuè articulos affirmativos & negativos, eoſque profitentur ſe credere.

CXCIII. Reſumendum hîc eſt, quod ſuprà diximus: in concluſione negativa ex Scriptura deducta, poſſe conſiderari, an ſit vera, & an ſit ſupernaturaliter revelata. Adverſarii noſtri non diſtinxerunt in ſuis Confeſſionibus, quos articulos negativos poſitivè *crederent*, ut ſupernaturaliter revelatos; quos tenerent tantùm ut veros, licèt eos non crederent. Non dicent, ſe nullos ex iis credere; cùm varios nobiſcum benè credant. Omnes igitur eorum articuli, poſitivè ab iis creduntur, donec per publicam Confeſſionem declaraverint, ſe aliquos non poſitivè credere, ſed tantùm ut veros tenere.

CXCIV. Cùm igitur Adverſarii teneant articulos ſuos negativos fide poſitivâ; neceſſe eſt, ut probent articulos negativos ſub ratione articuli fidei. In quæſtionibus ſeu articulis merè Theologicis & mixtis, nulla hîc differentia eſt: quia in merè Theologicis requiritur una propoſitio Scripturæ, & altera rationis evidentis ac neceſſariæ, ut concluſio dicatur vera; ſed hoc non ſufficit, ut ſit & dicatur abſolutè revelata ſupernaturaliter: quia etiam in quæſtionibus mixtis, ſi adducatur argumentum ex ſola ratione, vel partim ex ratione, partim ex verbo Dei; non ideò concluſio erit revelata ſupernaturaliter.

CXCV. Probent Adverſarii, concluſiones negativas, quæ deducuntur ex argumento, cujus una propoſitio eſt rationis, eſſe ſupernaturaliter revelatas. Hoc cùm nequeant, quid opus eſt audire alios refutandi modos, quàm quos promiſerunt? Si promiſſis non ſatisfaciunt, agnoſcant nullitatem Confeſſionum ſuarum, quâ agnitâ, redeant undè exierunt.

CXCVI. Un-

Digitized by Google

CXCVI. Undè concludimus, cùm adverſarii non habeant viam ſolidam probandi articulos ſuos negativos per interpretationem vel conſequentiam, nihil ipſis eſſe reliquum, niſi ut probent per terminos expreſſos aut æquivalentes Scripturæ. Et hoc eſt, quod urſimus in Method. Auguſt. *Part. 2. cap. 3.*

§. 20.

Cocceji nonnulla referuntur.

CXCVII. Dicit 1. *Valdè ſubtile eſt, facere diſtinctionem inter* Tenere articulum negativum ut verum, *&* eum credere poſitivè. *Nam quid eſt* credere, *niſi* tenere ut verum? *Totus mundus ita loquitur, ut illa habeat pro æquivalentibus.* *Diſp. 31. n. 11.*

CXCVIII. *Reſp.* Non exiſtimavimus hucuſque, nos ſubtilia proferre de articulis negativis, ſed vera; non abſtruſa, ſed plana. Propoſitio negativa poteſt eſſe cognita, ut vera; quæ propterea non eſt cognita, ut divinitùs revelata. Sic articulus negativus poteſt cognoſci & teneri, ut verus; qui propterea non cognoſcitur & tenetur, ut à Deo revelatus. Petit Coccejus: *quid eſt credere, niſi tenere ut verum?* Certè in nulla hactenus ſchola pro terminis convertibilibus habiti ſunt, *credere*, &, *tenere ut verum.* Primus hoc fingit Coccejus, licèt temerè aſſerat, totum mundum ita loqui, ut illa habeat pro æquivalentibus. Neque enim id verum eſt, niſi ſolus Coccejus, palpabiliter errans, ſit totus mundus. Tenet ut verum Coccejus, ſe habere digitos in manu dextera; an credit ſe habere digitos in manu dextera? an Deus revelavit, Coccejum habere digitos in manu dextera? Si Deus hoc non revelavit, nec illud credit Coccejus fide divinâ: neque enim volet credere fide divinâ, quod Deus non revelavit. Ergò aliud eſt, credere fide divinâ, de qua ſola hîc agitur; aliud, tenere ut verum. Sed dicet fortè Coccejus, *credere*, & *tenere ut verum*, eſſe terminos æquivalentes, ſi *credere* accipiatur de fide humana. Hoc autem ad rem præſentem non facit; & inſuper à veritate alienum eſt. Enimverò multa tenemus ut vera, quæ fide humanâ non credimus. Ambulans in littore maris tempeſtate admodum ventoſâ, tenet ut verum, eſſe ventum validum: neque tamen illud credit fide humanâ, ſi vel ſolus ambulet, vel nemo in re apertiſſima dignetur perhibere teſtimonium de vento valido, cui Coccejus fidem humanam adhibeat. Sed patienter audiamus Coccejum explicantem.

CXCIX. Dicit 2. *Non tamen fraudabimus lectorem explicatione tanti myſterii.* *Ibid. n. 12.*

ſterii. *Qui quid tenet ut verum, dupliciter id (extra opinionem fallibilem, de ea enim hic non quaritur) facere poteſt, nempe per ſcientiam, vel per fidem divini teſtimonii. Igitur aliud eſt dicere:* Scio, cognoſco, hanc aſſertionem eſſe falſam, *vel*, eam verè negari: *aliud*, Credo Deo teſtanti, hanc aſſertionem eſſe falſam.

CC. *Reſp.* Si iſta ſunt vera; quomodo dixit Coccejus idem eſſe *credere*, &, *tenere ut verum?* Non poſtulamus explicationem myſterii, ſed manifeſtiſſimæ abſurditatis defenſionem.

Ibid. n. 13. CCI. Dicit 3. *Hinc igitur illorum poſtulatio eſt, quando ex Scripturis per neceſſariam conſequentiam probamus veritatem propoſitionis contradictoria ejus, qua in Papatu tenetur, ne dicamus*, Credo hoc eſſe falſum: *& licet poſſimus dicere*, Scio & cognoſco hoc eſſe falſum, *tamen, quia Deus in Scriptura non dicit formaliter*, Hoc eſt falſum; *redeamus ad Papiſtas, & cum iis credamus Eccleſia Papana hoc dicenti eſſe verum, & anathema intentanti ei, qui dicit hoc eſſe falſum.*

Suprà. n. 191. CCII. *Reſp.* Necdum videmus probari illud paradoxum, quod idem ſit *credere*, & *tenere eſſe verum.* Cæterùm diximus, Reformatos ex promiſſo teneri, ad probandos ſuos articulos negativos, per terminos Scripturæ expreſſos, vel æquivalentes. Tacet hoc noſtrum dictum Coccejus, ne taceat, ne deſit, quod inaniter carpat. Provocavimus Reformatos ad probandum, concluſiones negativas, quæ deducuntur ex argumento, cujus una propoſitio eſt rationis, eſſe ſupernaturaliter revelatas. Reticet iterùm hanc noſtram provocationem Coccejus, ne obmuteſcat. Diximus, opus non eſſe, ut audiamus alios refutandi modos, quàm quos Reformati promiſerunt. Promiſſo autem ſuo cùm Reformati ſatisfacere nequeant, indeque ſchiſmati Reformato implicati perſpiciant nullitatem Confeſſionum ſuarum; quid illis ſupereſt, niſi ut redeant, undè exiverunt?

Suprà. n. 194.

Ibid.

CCIII. Sed bellum videtur Coccejo omnia pervertere. *Ex Scripturis*, inquit, *per neceſſariam conſequentiam probamus veritatem propoſitionis contradictoria ejus, qua in Papatu tenetur.* Quamvis autem hoc falſiſſimum ſit: diximus, & dicimus, non eſſe operæ-pretium examinare, an Reformati habeant tales probationes per neceſſariam conſequentiam ex Scriptura deductam. Ratio eſt; quia ita non ſatisfaciunt promiſſo, ad quod ſeſe ſuâ ſponte obſtrinxerunt: non ſatisfacientes promiſſo, quo loco habendi ſint, Coccejum non latet. Altera ratio; quia Reformati probantes per ſolam conſequentiam ex S. Scriptura deductam, non probant ex principio utrimque conceſſo. Ideo-

que

Digitized by Google

que omnis conatus eo modo probandi arguit Reformatos, quouſque promiſſum non præſtant, quòd nequeant præſtare promiſſum; arguit Reformatos, quouſque non probant ex conceſſis, quòd nequeant probare ex conceſſis.

CCIV. Non poſtulamus, bone Cocceje, ne concluſiones veſtras ex Scriptura deductas per neceſſariam conſequentiam, & contradictorias ejus veritatis, quæ à nobis tenetur, dicatis eſſe fidei: ſcimus enim vos talibus concluſionibus omninò deſtitui. Hoc dicimus, Coccejum & Reformatos obſtringi ad præſtandum promiſſum; quòd præſtare non valent: Coccejum & Reformatos obſtringi ad probandum ex conceſſis; quod perpetuis tergiverſationibus defugiunt: Coccejum & Reformatos, etiamſi per impoſſibile probarent negationem noſtræ affirmationi oppoſitam, per argumentum, cujus una propoſitio eſt rationis; non tamen eo caſu poſſe dicere, *Credo hoc eſſe falſum*, licèt rectè dicerent, *Scio & cognoſco hoc eſſe falſum*. Neque enim in Scriptura formaliter revelatum eſt, quod mediante propoſitione rationis ex ea tantùm deducitur. Hæc ſi intelligeret Coccejus, non tam altè clamaret. Audiamus.

CCV. Dicit 4. *Hoc artificio, hac methodo conantur nos boni fratres convertere & reducere ad ſuam ſectam: Quæ methodus per ſe apta nata eſt omnes, qui ei ſectæ adhærent (ſi mens non læva eſſet,* ſi ſaperent, *ut eſt Deut. 32. 29.) abſterrere & fugare ab ea ſecta; quæ exſecratur eum, qui hoc falſum dicit, quod ex Scripturis ita diſcit eſſe falſum, ut id* ſciat *eſſe falſum, propter ea, quæ ſecundùm Scripturam* credit *eſſe vera.* *Ibid. n. 14.*

CCVI. *Reſp.* Omiſſâ inani declamatione: Ubi docet Eccleſia Catholica, ubi docet ullus Doctor Catholicus *eſſe execrandum eum, qui hoc falſum dicit, quod ex Scripturis ita diſcit eſſe falſum, ut id ſciat eſſe falſum, propter ea, quæ ſecundùm Scripturam credit eſſe vera.* Si hoc Eccleſia Catholica non dicit, ſi nullus Doctor Catholicus id ſcripſit; apage protervissimam calumniam.

CCVII. Dicit 5. *Affirmatio unius æquivalet negationi contrarii: & negatio illius, ſine quo alterum verum eſſe non poteſt, hujus negationi æquipollet.* *Ibid. n. 15.*

CCVIII. *Reſp.* Quomodo affirmatio unius æquivaleat negationi contrariæ, dicetur in ſequentibus: neque enim id ſimpliciter affirmandum eſt, quamvis ſine addito id nobis tribuat Coccejus, vel fide non bonâ, vel non intelligens quod ſcripſimus. Sed videamus, quàm ſolidè concludat. *Diſp. 27. n. 20. & diſp. 35. n. 19.*

CCIX. *Recipitur concluſio demonſtrata ex Scripturis, ſi non per fidem,* *Ibid. n. 16.*

certè per obedientiam Dei & amorem ejus ac veritatis: certè concluſio negans deducta ex Scripturis approbatur per timorem Dei, quemadmodum aſſertio deſtructa per Scripturam per timorem Dei non recipitur. Quicquid ſit, verum recipiendo & falſum rejiciendo (quomodocunque id cognitum ſit, ſive quocunque nomine appelletur is aſſenſus in aſſertionem, aut negationem) glorificatur Deus: & in veri de Deo & rebus Dei affirmatione ac falſi negatione imago Dei (quæ eſt ſapientia) conſiſtit.

CCX. *Reſp.* Perinde eſt Coccejo, ſive concluſio demonſtrata ex Scripturis recipiatur *per fidem*, ſive per aliam virtutem. Perinde eſt Coccejo, *quocunque nomine appelletur aſſenſus in aſſertionem, aut negationem*; dummodò verum recipiendo, & falſum rejiciendo glorificetur Deus. Si hæc ita ſe habent, fruſtrà contra nos diſputat Coccejus, totam cauſam uno halitu nobis tradens.

CONCLUSIO.

CCXI. Egimus in hoc Examine de ſecundo Adverſariorum principio, oſtendimuſque de interprete Scripturæ, & judice controverſiarum nullam litem eſſe, quæ non pertineat ad materiam de traditionibus & infallibilitate Eccleſiæ.

CCXII. Oſtendimus, in negotio de interpretatione Scripturæ graviſſimè errare Reformatos, nec tangere ſcopum Lutheranos, ſive de affirmativis agatur, ſive de negativis. Undè meritò dicimus cum S. Irenæo: *Omnis quæſtio, non per aliud quod quæritur habet reſolutionem, nec ambiguitas per aliam ambiguitatem ſolvitur, apud eos qui ſenſum habent, aut ænigmata per aliud majus ænigma: ſed ea quæ ſunt talia, ex manifeſtis & conſonantibus, & claris accipiunt abſolutiones.*

Lib. 2. cap. 10. pag. 160. D.

CCXIII. Cur igitur receſſerunt ab unitate Eccleſiæ Catholicæ? non propter expreſſa, aut æquivalentia Scripturæ verba; quæ non habent pro ſe: non propter interpretationes & conſequentias, quarum ſufficientiam ad ſtabiliendum articulum fidei hactenùs non probarunt. Cur tandem receſſerunt? Utinàm ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent.

CCXIV. Rejectis Adverſariorum principiis, didicimus à Davide, extorquere gladium è manu hoſtili, & ſuperbiæ caput proprio mucrone truncare. Didicimus à S. Paulo, ea, quæ in alium uſum, imò quæ in perniciem veritatis ſcripta ſunt, ad defenſionem fidei convertere. Fortiter enim expugnantur hoſtes, quando adverſum eos ipſorum armis utimur.

EXA-

EXAMEN TERTIUM.

DE

PRINCIPIO CATHOLICO:

Verbum Dei ab Eccleſia propoſitum.

§. 1.

Ratio hujus Examinis.

I. ILlud non paucis evenit, ut fœliciores ſint in refutando, quàm probando; in hoc parci & ſteriles, in iſto abundantes & liberales. Adverſariorum noſtrorum libri, pro magna parte hærent in contradictione, in amplis promiſſionibus veritatis per ſolam Scripturæ auctoritatem ſtabiliendæ: ſed quid præſtent, ubi probationes eorum revocantur ad propria Principia, partim oſtendimus in Methodo Auguſtiniana, partim oſtendimus in controverſiis particularibus.

II. Nobis ideò incumbit, omnis revelatæ veritatis fontem, in ipſa origine ſua, & principio, non dubitantes inquirere, ſed pro dubitantibus & errantibus indagare, & quantùm fieri poteſt, apertè proponere. Nec erit inutilis expoſitio noſtra, etiamſi in lectore Catholico fidem inveniat: erit autem neceſſaria probatio, quæ apud non credentes fidem faciat.

III. Magnum in hoc negotio ſubſidium attulit Eximius D. Veronius; docens quænam apud nos ſint fidei Catholicæ, quænam inter Doctores Catholicos, ſalvâ unitate fidei, ſalvâ compage charitatis controverſa, aut minùs certâ. Cujus viri ſcientiam è doctiſſimâ Societate Jeſu prodeuntem veneramur; ſententiam, longo uſu fundatam, libenter ſequimur; & labores, optimo ſucceſſu à Deo dotatos, honoramus.

IV. Adverſarii noſtri hîc non exiguam invenient utilitatem; quibus meritò dicimus: *Etenim cùm deberetis magiſtri eſſe propter tempus: rurſum indigetis ut vos doceamini quæ ſint elementa* (principia) *exordii ſermonum Dei; & facti eſtis quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo.* Hebr. 5. 12.

§. 2. De

§. 2.

De Verbo Dei.

V. Primò agendum de Verbo Dei; deindè de propoſitione Eccleſiæ. *Verbum Dei Catholicum, ſeu toti Eccleſiæ commune, eſt nota ſenſum divinæ mentis hominibus per auctores canonicos manifeſtans.*

VI. Propoſitio 1. *Illud omne & ſolum eſt Verbum Dei toti Eccleſiæ commune, quod Deus revelavit per Prophetas, Apoſtolos, & auctores Canonicos.* Vide P. Coninch *de actib. ſupern. diſp.* 9. *dub.* 6. *n.* 83. & *diſp.* 12. *dub.* 6. *n.* 68. Valer. Magn. *ſud. de Cath. reg. cred. lib.* 4. *cap.* 5. Canum, *lib.* 12. *cap.* 3. *concl.* 3. & *lib.* 4. *cap.* 4. *pag.* 201. Spong. Janſſ. *cap.* 68. *pag.* 353. facul. Theol. Colon. 2. 2. *Tract.* 1. *ſect.* 1. *diſp.* 2. *Th.* 4. *pag.* 264.

VII. Cùm hîc agamus de principio Catholico in ordine ad probandam fidem Catholicam; dicimus, illud omne, & ſolum eſſe objectum fidei Catholicæ, quod Deus revelavit toti Eccleſiæ, quòd pertinet ad omnes fideles, quod eſt omnium temporum, quod eſt
Epheſ. 2. 20. omnium locorum: ſumus enim *Superædificati ſuper fundamentum Apo-*
Rom. 10. 10. *ſtolorum & Prophetarum.* De illa fide dicit Apoſtolus: *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem fit confeſsio ad ſalutem.* Et Clemens Alexandr. *Principium enim doctrinæ habemus Dominum, qui & per Prophetas, & per Evangelium, & per Apoſtolos beatos, multifariàm multiſque modis à principio ad finem deducit cognitionis. Principium autem ſi quis alio opus habere exiſtimaverit, non utique verè poterit manere principium.* lib. 7. Strom. ſub fin. pag. 757. A. B.

VIII. De hac re nulla lis eſt cum Adverſariis fidei Catholicæ. Vide Eiphnikon P. Erberman. *cap.* 4. *n.* 10. *pag.* 62.

IX. Propoſitio 2. ſequitur ex priori: *Catholica Eccleſia nihil recipit ut Verbum Dei, quod Deus revelavit poſt tempora Apoſtolorum.* Ratio eſt: quia licèt ejuſmodi revelationes, ſuppoſitâ earum veritate, ſint propriè Verbum Dei; non tamen ſunt factæ, ut crederentur ab univerſali Eccleſia. Conſtat, revelationes eſſe factas S. Ambroſio, aliiſque Sanctis ad utilitatem Eccleſiæ: ſed etiam conſtat, eas non contigiſſe, ut tanquam Verbum Dei ab Eccleſia Catholica reciperentur.

X. Utramque hanc propoſitionem, poſt S. Hieronymum *in*
1. *part. q.* 1. *Pſal.* 86. *Tom.* 7. *pag.* 110. *A.* tradit S. Thomas: *Dominus narrabit*
art. 8. *ad* 2. *in Scriptura populorum & principum horum qui fuerunt in ea. Non dixit,*

qui

qui ſunt in ea, ſed qui fuerunt in ea. Dominus narrabit. Et quomodo narrabit? Non verbo, ſed Scripturâ. In cujus Scriptura? In populorum. Non ſufficit in populorum, ſed etiam principum dicit. Et quorum principum? Qui ſunt in ea. Non dixit hoc, ſed qui fuerunt in ea. Et mox: *Dominus ergò noſter atque Salvator, narrat nobis & loquitur in Scripturis principum ſuorum. Dominus narrabit in Scripturis populorum: in Scripturis ſanctis. Quæ Scriptura populis omnibus legitur, hoc eſt, ut omnes intelligant. Quod dicit, hoc eſt, Sicut ſcripſerunt Apoſtoli, ſic & ipſe Dominus, hoc eſt, per Evangelia ſua loquutus eſt, non ut pauci intelligerent, ſed ut omnes. Plato ſcripſit in ſcriptura, ſed non ſcripſit populis, ſed paucis. Vix enim intelligunt tres homines. Iſti verò, hoc eſt, principes Eccleſiæ & Principes Chriſti, non ſcripſerunt paucis, ſed univerſo populo. Et principum, hoc eſt, Apoſtolorum & Evangeliſtarum, horum qui fuerunt in ea. Videte, quid dicat: Qui fuerunt, non qui ſunt, ut exceptis Apoſtolis, quodcunque aliud poſteà dicetur, abſcindatur, & non habeat poſteà auctoritatem. Quamvis ergò ſanctus ſit aliquis poſt Apoſtolos; quamvis diſertus, non habet auctoritatem.*

XI. Propoſitio 3. quæ etiam ſequitur ex prima: *Catholica Eccleſia non credit, fide divinâ & Catholicâ, ulla miracula, quæ evenerunt poſt tempora Apoſtolorum.* Eadem hîc eſt ratio, quæ in præcedenti propoſitione. Sunt quidem vera miracula quoddam verbum, ſeu teſtimonium Dei: circà ea tamen non verſatur fides *Catholica*; licèt per ea inducamur ad fidem, & confirmemur in fide, tùm abſolutè, tùm vi prædictionum Spiritus Sancti; ut oſtendemus in controverſia de notis Eccleſiæ. Habitâ enim morali certitudine de veritate miraculorum, quæ v. g. his temporibus contingunt; ex eo motivo prudens judicium docet, aſſentiendum eſſe Verbo Dei, in cujus confirmationem Deus miracula operatur: & tunc aſſenſus terminatur in auctoritate Dei revelantis; atque ita eveniunt miracula ad utilitatem credentium, & non credentium; licèt non fiant, ut ab Eccleſia Catholica fide divinâ credantur. Temerarium profectò eſt, certis miraculis obſtrepere; mediaque à Deo ad ſalutem noſtram ex mera gratia conceſſa, pro libitu in dubium vocare: ſi enim aſſentimur hiſtoricis fide dignis; cur à S. Auguſtino, miracula ſibi viſa referente, diſſentiemus? Nota tamen; licèt in particulari non credamus fide Catholicâ, hæc, aut illa, quæ nunc contingunt, eſſe vera miracula: nos tamen credere fide Catholicâ, etiam his temporibus contingere miracula, vi prædictionum Chriſti.

De Script. potent. Part. 1. cap. 2. pag. 18. XII. Dicit Coccejus, nos *abuti* verbis Clementis n. 7. citatis, *quaſi loqueretur Clemens & de verbo ἀγράφῳ.* Judica, lector, an inſtituti noſtri fuerit, agere hoc paragrapho de verbo Dei non ſcripto. Egimus de Verbo Dei ſecundùm ſe, abſtrahendo à ſcripto, & non ſcripto. Cæterum Clementis teſtimonium latiùs expendimus *de Vnit. Eccl. lib. 8. cap. 2.*

§. 3.
De Verbo Dei ſcripto.

XIII. Verbum Dei ſcriptum vocamus, quod à Deo revelatum eſt, & ab auctore Canonico literis conſignatum.

XIV. Propoſitio 1. *Illud omne eſt Verbum Dei ſcriptum, quod in Scriptura expreſſè legitur.* Hoc nullus negat. Verùm quia verba poſita ſunt propter ſenſum, ſolet non rarò lis oriri de ſenſu verborum. Et Adverſarii quidem noſtri, docentes unum tantùm eſſe ſenſum literalem Scripturæ, quomodo invenient eum, qui eſt verè revelatus à Spiritu *Matt. 5. 39. 40.* Sancto. Dicit v. g. Chriſtus, ferendas eſſe quaſlibet injurias: cur inſtituunt actiones injuriarum, & litibus agunt contra monitum Apo- *Matt. 6. 17.* ſtoli? 1 Cor. 6. 7. Deindè, eſt expreſſum mandatum Chriſti; *Cùm jejunas, unge caput tuum.* cur hoc non faciunt? Tertiò, Chriſtus di- *Matt. 10. 9. 10.* cit: *Nolite poſſidere aurum neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam; dignus enim eſt operarius cibo ſuo.* Cur hoc non ſervant Miniſtri adverſariorum? Quartò, cur non omnes laborant, ut juxtà mandatum Dei (*Gen.* 3. 19.) in ſudore vultus ſui veſcantur pane? Quintò, cur excuſſo pedum pulvere non abeunt è locis, in quibus non recipiuntur? (*Matt.* 10. 14.) Sextò, cur non fugiunt è civitatibus, in quibus perſecutionem patiuntur? (*Matt.* 10. 23.) Septimò, cur non habent lucernas ardentes in manibus ſuis? (*Luc.* 12. 35.) Octavò, cur non ejiciunt dæmonia, (*Marc.* 16. 17.) cùm expreſſa promiſſio ſit credentibus facta; ipſique credentes haberi cupiant? Hæc, & alia quomodo docebunt ſufficienter, non eſſe obſervanda, ut ſonant? Et ſimilis ratio eſt in multis Scripturæ locis, ad controverſias fidei ſpectantibus; in quibus cùm aliquando videntur afferre rationem *ſibi* probabilem, nunquam afferunt ſufficientem. Catholici autem, ſcientes Scripturam cum vero ſenſu ad Eccleſiam perveniſſe, in illis explicandis non laborant; habent enim praxin univerſalis Eccle-

ſiæ,

Digitized by Google

ſiæ, ab Apoſtolis ad hæc uſque tempora deſcendentem, habent Concilia generalia, ex quibus ſenſum verbi Dei cognoſcunt.

Defenſio poſitæ Propoſitionis.

XV. Dicit Coccejus 1. *Ex hiſce patet, quàm captioſè & cavillatoriè agant Adverſarii. In propoſitione ſua, ut apparet, de litera, de vocibus, inquam, loquuntur: in commentario eam extendentes ad ſenſum occultè eò lectorem abducunt, ut nihil expreſsè in Scripturis legi exiſtimet, quin etiam in illis, quæ videntur expreſſiſſimè dicta, ſi literalis ſenſus attendendus ſit, ſenſus longè alius ſit, nobis etiam fatentibus.* Diſp. 26. n. 23.

XVI. *Reſp.* Non egimus in propoſitione de literis & vocibus non ſignificantibus, quaſi cum pſittacis nobis res eſſet, quamvis id exiſtimet *apparere* Coccejus: egimus de verbis S. Scripturæ ſignificantibus. Ideò non occultè egimus de ſenſu verborum, ut ille calumniatur, ſed expreſſiſſimè, & apertiſſimè. Quis finis noſter ſit, patet à dictis: non indigemus Cocceji fictionibus.

XVII. Dicit 2. *Confuſio ſophiſtica eſt in prima propoſitione Walenburgiorum, quum, definito, id omne, quod expreſsè in Scriptura legitur, verbum Dei ſcriptum eſſe, de ſenſu incipiunt commentari, & illum ita occultè coarctant, ut ſuſpicari lector poſſit, id, ſine controverſia, literalem & ſic expreſſum ſenſum vocari, quod primo pedatu in mentem & cogitationem hominis etiam imperiti & inexercitati & judicio non utentis neque ſpiritualia ſpiritualibus comparantis, ſola, ab aliis dictis ſeparata verba Scripturæ inferre poſſint. Quod tantùm abeſt ut ubique ſenſus expreſſus & literalis dici mereatur, ut ferè nunquam ſenſus & intelligentia verborum ſit. Nam ſenſus non eſt apud inſenſatos, intelligentia apud ſtultos & ſenſoria ad diſcretionem boni & mali exercitata non habentes atque rudes ſermonis juſtitiæ. Ita omnis falſa opinio Iudæorum, Hæreticorum, Papiſtarum eſſet ſenſus dictorum Scripturæ; apud quos vix eſt ſincera intelligentia ullius termini. Senſus expreſſus eſt, cujus ſigna expreſſa ſunt. Signa autem ſenſus ſunt voces, quæ prudenti examine adhibito, eum inſinuant.* Diſp. 27. n. 11. 12.

XVIII. *Reſp.* Senſus obvius apud omnes eſt, qui intelligentibus verba protinùs occurrit. A ſenſu obvio frequenter recedendum eſſe, nemo negat. Dicere autem, ſenſum obvium *ferè nunquam eſſe ſenſum & intelligentiam verborum* Scripturæ, ante Coccejum nemo ſomniavit unquam, niſi fortè Anabaptiſta, aut alius Enthuſiaſta. Requiri exercitationem, ut à ſenſu obvio ſecurè ad alium recedatur, undi-

Digitized by Google

que in confeſſo eſt. Sed quæ, qualiſque exercitatio ad hoc ſufficiat, difficulter Coccejus explicabit, difficiliùs probabit. Si Coccejo, tanquam perito, exercitato, judicio utenti, ſpiritualia ſpiritualibus comparanti fidem adhibeas, pronunciabit, velit judex orbis terrarum, apud Judæos, Hæreticos, Papiſtas vix eſſe ſinceram intelligentiam ullius termini: quod nec ipſa hucuſque finxit impudentia. Sin autem Coccejo illa prædicata nolis temerè conceſſa; injurias potiùs expectes ab iſto perito, exercitato, judicio utenti, & in oculis ſuis ſpiritualia ſpiritualibus dextrè comparanti, quam evidentes rationes.

Proſecutio.

XIX. Propoſitio 2. connexa priori: *Revelatâ propoſitione univerſali, etiam revelata ſunt formaliter omnes particulares ſub univerſali contenta.* Ratio hujus data eſt in Method. Auguſt. *quæſt.* 2. *Append.* §. 1.

Defenſio poſitæ propoſitionis.

Diſp. 27. *v.* 14. XX. Dicit Coccejus: *Admittimus. Et demus exemplum Pſal.* 116. 10. Ego dixi in feſtinatione mea, Omnis homo eſt mendax. *quod quemadmodum Apoſtolus Rom.* 3. 4. *adhibet ad convincendum Iudæos & Cathedram inter illos collocatam, ne ſe exemtos periculo erroris & infidelitatis putarent; pari jure exiſtimamus, regulam Walenburgiorum ſequendo, à nobis adhiberi poſſe, ne dum terremur & tentamur undiquaque & fugimus, certo verbo Dei relicto, ulli homini infallibilitatem & non mentiendi privilegium concedere velimus; ne Papæ quidem: & parrheſiam noſtram abjicere, de qua dicit Pſaltes:* Credidi, quod locutus ſum. *Nam ſub illo,* omnis homo, *Papa comprehenditur. Vniverſaliter autem hoc dici, oſtendit S. Paulus, omnem hominem Deo contradiſtinguens. Solus Deus & cui loquendi cauſa eſt fides in Deum non in hominem, vera loquitur. Cætera, quicquid de religione quiſquam dicit, mentitur. Ergò per terminos æquivalentes expreſſis dicit Scriptura, Papam mentiri poſſe, & conſequenter, quia non loquitur ut omnis fidelis, & ſibi, ut extra mentiendi periculum poſito, credi vult, mentitur.*

XXI. *Reſp.* Utinam Coccejus vel modeſtiùs ſcriberet, vel ſolidiùs! Admittit propoſitionem; eamque ſibi utilem malè autumat. Dicit: *Sub illo,* omnis homo, *Papa comprehenditur.* Concedimus. Ergò

Ergò per terminos æquivalentes expreſſis dicit Scriptura, *Papam mentiri poſſe.* Iterùm concedimus. Eſtne aliquid, quod ulteriùs inferatur? *Conſequenter*, inquit Coccejus, *quia non loquitur ut omnis fidelis*, *& ſibi*, *ut extra mentiendi periculum poſito*, *credi vult*, *mentitur.* Ubi dixit Papa: *ſe extra mentiendi periculum eſſe poſitum?* Si hoc nullus dixit Papa; ſicut reverà nullus dixit; nunquid mentitur (ignoſce termino tuo, Coccejе.) & protervè calumniatur, qui id Papæ tribuit? Non vult Coccejus, *certo Dei verbo relicto*, *ulli homini infallibilitatem & non mentiendi privilegium concedere*; *ne Papæ quidem.* Sed quis concedit Papæ non mentiendi privilegium? contra quos diſputat? ſi tamen diſputat. Dicet, Papam, de rebus fidei ex Cathedra pronunciantem non eſſe infallibilem. Quid ad rem? An propterea ipſi conceditur non mentiendi privilegium? *Sub illo*, omnis homo, *Apoſtoli comprehenduntur.* Non negabit Coccejus. *Ergò per terminos æquivalentes expreſſis dicit Scriptura*, *Apoſtolos mentiri poſſe.* Neque hoc negabit Coccejus. Nùm propterea credendum eſt, Apoſtolos non fuiſſe infallibiles in tradenda doctrina fidei? Si *nulli homini*, in tradenda doctrina fidei, infallibilitatem Coccejus concedit; nec Apoſtolis eam conceſſerit; niſi Apoſtolos è numero hominum exemerit. Apoſtolos è numero hominum eximere; inſanire eſt. Apoſtolis infallibilitatem eripere, in tradenda doctrina fidei; Chriſtiani non eſt. Procedit Sophiſta à dicto ſecundùm quid, ad dictum ſimpliciter; quaſi Papæ tribuere infallibilitatem in tradenda doctrina fidei, eſſet concedere abſolutum non mentiendi privilegium. An Papæ concedenda ſit infallibilitas in tradenda doctrina fidei; huc non pertinet. Cæterùm dicit Coccejus, *quicquid de religione quiſquam dicit*, *mentitur.* Crudè ſatis. Atqui de religione Coccejus aliquid dicit; neque enim videri vult prophana loqui. Ipſe concludat.

Proſecutio.

XXII. Propoſitio 3. *Revelatâ quacunque re*, *ſimul revelantur modi intrinſeci ejuſdem rei.* v. g. revelatâ ſapientiâ divinâ, formaliter revelatur realitas & infinitas ſapientiæ divinæ: & ratio eſt, quia nec realitas; nec infinitas ſapientiæ divinæ affert quidditatem ſive eſſentiam novam, diſtinctam formaliter à ſapientia divina. Hinc ſapientia divina fortè diſtinguitur formaliter à miſericordia divina; quia

 miſe-

miſericordia habet rationem eſſentialem diverſam à ſapientia divina; & nullo modo diverſam à realitate & infinitate divina. Vid. P. vander Vecken *Tract.* 1. *de Simplic. Dei. diſp.* 3. *cap.* 1. *n.* 4. *pag.* 34.

XXIII. Propoſitio 4. *Revelato definito, revelatur formaliter definitio, ſeu partes definitionis.* Vide Snarer, *de trip. virt. Theol. diſp.* 3. *ſect.* 11. *n.* 5. *& diſp.* 6. *ſect.* 3. *n.* 10. *pag.* 104.

XXIV. Hæc propoſitio pendet ex prima. v. g. revelatum eſt; *Chriſtum eſſe hominem*; etiam formaliter revelatum eſt; *Chriſtum eſſe animal rationale.* Licèt enim explicitè non dicat; *animal rationale*; qui dicit; *homo*: dicit tamen formaliter; *animal rationale*; qui dicit, *homo.* Neque illa propoſitio; *Chriſtus eſt animal rationale*; eſt ideò fidei, quod ſequatur ex hoc Syllogiſmo: *Omnis homo eſt animal rationale. Chriſtus eſt homo. Ergò Chriſtus eſt animal rationale*: non enim habemus fidem Philoſophicam, dependentem à formis Syllogiſmorum. Sed ideò eſt fidei hæc propoſitio; *Chriſtus eſt animal rationale*; quia eſt formaliter huic æquivalens; *Chriſtus eſt homo.* Et quis neget, definitionem formaliter æquivalere definito? Ergò qui revelavit; *Chriſtum eſſe hominem*; & formaliter revelavit ſignificatum formale hominis, *animal rationale.*

Declaratio quartæ propoſitionis.

Diſp. 27. n. 15. XXV. Dicit Coccejus: *Regula bona. Sed tenendum eſt, definitiones terminorum partim naturaliter, hoc eſt, extra revelationem notas eſſe, & tales præſupponi à Scriptura; partim etiam revelatione diſci. Sine revelatione novimus, quid ſit anima, animal rationale, corpus, homo, & plurima alia: per revelationem diſcimus, quid ſit, v. g. Spiritus ſanctus, Chriſtus, Servator. Quanquam enim & illa vocabula de medio ſumta ſunt, & generalis conceptus per ſignificationem Scripturæ non extinguatur, tamen proprietas illarum vocum ſecundùm intentionem ex ipſa Scriptura noſcitur. Inveniuntur autem eæ definitiones aut definitionum partes per σύγκρισιν πνευματικῶν, dum prædicata ſubjectis, & viciſſim, comparantur, circumſtantiæ & appoſita conſiderantur, eadem prædicata propria de eodem ſubjecto ſub aliis atque aliis terminis pronunciantur, aut viciſſim eidem ſubjecto prædicata eadem ſub aliis vocibus aptantur: denique omni ἀκριβολογίᾳ, &c.*

XXVI. *Reſp.* Placet acceptatio propoſitionis, & declaratio.

Proſecutio.

XXVII. Propoſitio 5. *Revelatâ definitione, formaliter revelatur definiti-*

definitum. Hoc connexum eſt præcedenti propoſitioni: quia defini- *Orat. 37.*
tionis & definiti idem eſt conceptus formalis. Ita ait S.Gregorius *quæ eſt 4.*
Nazianzenus, quædam in Scriptura eſſe, quæ non dicuntur in Scri- *de Theol.* *Tom. 1.*
ptura, & exemplum ponit (*Ibid. pag.* 600.) in eo quod credimus *pag. 605. C.*
Deum *Ingenitum & Immortalem*; quæ voces cùm non dicantur, hoc eſt, nominatim & expreſſè legantur in Scriptura, ſignificatum tamen formale reperitur in Scriptura. v. g. Iſa. 41. 4. *Ego Dominus, primus & noviſſimus.* & Iſa. 43. 10. *Ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non erit.* & Iſa. 44. 6. *Ego primus & ego noviſſimus, & abſque me non eſt Deus.* Quibus poſitis, dicit S.Gregorius: (*Ibid.*) *Totum enim illud eſt, meum eſt, nec principium habens, nec finem habiturum. His à Scriptura acceptis, illud quidem, quod ante eum nihil ſit, nec antiquiorem ullam ipſe cauſam habeat, Anarchum & Ingenitum appellaſti,* (quid enim eſt Ingenitum, niſi illud, quo nihil eſt priùs?) *quòd autem nunquam eſſe deſiturus ſit, Immortale, atque interitus expers.* Quid enim eſt Immortale, niſi quod non deſinet, quodque noviſſimum eſt? Atque hoc illuſtrat idem Sanctus iſtâ ſimilitudine: (*Ibid. D.*) *Si ex eo, quod animal rationale & mortale diceres, hominem eſſe concluderem, an tibi nugari viderer? Nequaquam profectò, cùm tua dicerem.* ubi patet, procedi à definitione ad probandum definitum; & definitionem cum definito haberi pro formaliter æquivalentibus.

XXVIII. Propoſitio 6. *Revelato toto Phyſico, revelantur partes Phyſicæ.* v. g. dum revelatur, quod Chriſtus ſit homo; revelatur etiam, quod Chriſtus habeat corpus & animam. Vide Daillæum, *La foy fondée. Part. 2. chap. 12.*

XXIX. Propoſitio 7. etiam pendens ex prima: *Revelatâ propoſitione indefinitâ, quæ enunciat predicatum eſſentiale, vel proprietatem logicam de ſubjecto, ea æquivalet univerſali.* Ratio eſt; quia ſecundùm Philoſophiam, propoſitiones indefinitæ, quæ ſunt de materia abſolutè neceſſaria, æquivalent univerſalibus: & hinc eſt, quòd ad modum propoſitionum univerſalium, formaliter complectantur omnes propoſitiones particulares. v. g. *Homo eſt animal.* eſt æquivalens huic; *Omnis homo eſt animal:* & hæc rurſum formaliter continet omnes particulares inferiores. Similiter; *Homo eſt viſibilis*; æquivalet huic; *Omnis homo eſt viſibilis*; & hæc formaliter continet omnes particulares inferiores.

XXX. Iſtam propoſitionem ſine contradictione refert Coccejus, *Diſput. 27. n. 19.*

XXXI. Pro-

XXXI. Propoſitio 8. etiam connexa primæ. *Revelato uno correlativorum, etiam formaliter revelatum eſt alterum correlativum.* Ratio eſt: quia ordo relativi ad ſuum correlativum eſt eſſentialis; adeoque terminus formaliter includitur. Ita in divinis revelatâ hac propoſitione; *Chriſtus eſt Dei filius*; quia filius, ut talis, dicit eſſentialem ordinem ad patrem, etiam formaliter revelatum eſt, quòd Chriſtus, ut filius Dei, habeat *Patrem*; uti patet ex definitione filii. Hinc
Tom. 5. part. 2. in S. Symb. inter Epiſt. pag. 178. A. S. Cyrillus Alexandr. *Eundem (Deum) & agnominaverunt patrem omnipotentem, ut cum patre ſimul etiam filii ſignificatio inferretur, per quem eſt pater, ſimul ſubſiſtentis & ſemper exiſtentis.* Idem de adorat. in Spiritu & verit. Tom. 1. pag. 235. B. *Nam ubi de patre verba fiunt, conſequuntur neceſſariò verba, quæ ad filium pertineant, & conjuncta maximè utriuſque cognitio eſt. Iudæos certè, propterea quòd filium non admitterent, à veritate aberrantes, atque arbitrantes ſe noſſe Deum, inculpabat dicens: Neque me noſtis, neque patrem meum: ſi me cognoviſſetis, & patrem meum utique cognoviſſetis. in utroque enim alterutrius notio ſimul infertur.* Vide eundem, *Lib. de Spirit. Sanc. cap. 6. pag. 301. E. & cap. 7. pag. 305. B.* & S. Cyrill. Hieroſolym. *Catech. 7. Illum. Bibl. SS. Patr. Tom. 4. pag. 413. E. F.*

1 Joan. 2. 23. XXXII. Breviſſimè hanc rem complectitur Apoſtolus Joannes: *Omnis qui negat filium: nec patrem habet. qui confitetur filium; & patrem habet.*

XXXIII. Hanc iterùm propoſitionem ſine contradictione refert Coccejus, *Diſp. 27. n. 19.*

XXXIV. Propoſitio 9. etiam proveniens à prima: *Quicquid in Scripturis prædicatur de natura ſingulari rationali, poteſt etiam formaliter prædicari de ſuppoſito ſingulari.* v. g. *Dominum Deum tuum adorabis.* ubi mandatur adoratio Dei. & hæc revelatio formaliter identificatur ſuppoſito divino. Unde licèt Scriptura non dicat expreſſè, Spiritum Sanctum eſſe adorandum: quia tamen dicit, Spiritum Sanctum eſſe Deum; quicquid prædicatur in Scriptura de natura divina, formaliter identificatur Spiritui Sancto, & de eo prædicari poteſt. Atque hinc contrà Lutheranos illud efficitur; Chriſtum Dominum in SS. Euchariſtia eſſe adorandum: quia licèt S. Scriptura id expreſſè non dicat, eſt tamen formaliter revelatum, Deum eſſe adorandum: cúmque illud prædicatum conveniat naturæ divinæ, etiam convenit Chriſto in Euchariſtia exiſtenti, quem verum eſſe Deum nobiſcum fatentur Lutherani. Qui ſi ulteriùs dubitent, videant an detur in Scri-

Scriptura expreſſum mandatum adorandi Spiritum Sanctum: hoc ſi non detur, & tamen credunt adorandum eſſe Spiritum Sanctum; quia Deus eſt; & Deus adorandus eſt: agnoſcant & Chriſtum in SS. Euchariſtia eſſe adorandum; quia Deus eſt: licèt in Scriptura non ſit expreſſum mandatum pro adoratione Chriſti in SS. Euchariſtia.

XXXV. Hinc S. Gregorius Nazianzenus: *De magnis ac divinis viris loquor, quique probè norunt, unius adorationem trium adorationem eſſe, propter æqualem trium perſonarum dignitatem, ac divinitatem.* Et iterùm: *Nihil de Trinitate in ordinem tuum redige*, aut non adorandum ſtatue, *ne à Trinitate excidas: nullo modo unam illam naturam*, quæ etiam in SS. Euchariſtia exiſtit, *ac peræquè venerandam trunca. Alioqui ſi quid ex tribus everteris, totum everteris: imò à toto excideris.* Et poſteà: *Si enim Spiritus adorandus non eſt, quomodo me Deum* (id eſt, filium adoptivum Dei) *per baptiſmum efficit?* Orat. 37. quæ eſt 5. de Theol. Tom. 1. pag. 599. D. Ibid. pag. 600. B. Ibid. pag. 603. C.

Conſideratio Cocceji ad 9 propoſitionem.

XXXVI. Dicit: *Rectiùs dixiſſent*, formaliter prædicatur de ſuppoſito ſingulari eam naturam habente. *Exemplum, Spiritus Sanctus adorandus eſt. Hoc axioma continetur in illo: Dominum Deum tuum adorabis. quippe ὁ κύριος τὸ πνεῦμά ἐστι.* 2 Cor. 3. 17. Diſp. 27. n. 19.

XXXVII. *Reſp.* Siquidem à nobis addita fuiſſent illa verba: *eam naturam habente*; nihil ampliùs dixiſſemus, quàm quod ſufficienter diximus, & ex declaratione patet. Si tamen Coccejus illa verba velit addita, non obſiſtimus.

Proſecutio.

XXXVIII. Propoſitio 10. etiam conjuncta primæ: *Revelatâ in Scriptura Sacra affirmatione unius contradictoriorum, contrariorum, vel diſparatorum; revelatur formaliter negatio contradictoriorum, contrariorum, vel diſparatorum.* Et hoc valet in contradictoriis quoad neceſſitatem abſolutam: in reliquis quoad neceſſitatem Phyſicam Ratio eſt; qui quidlibet eſt, vel non eſt: quæ eſt maximè neceſſaria, in qua fundantur omnes locutiones affirmativæ, & negativæ. Qui affirmat *eſſe*, formaliter negat non exiſtentiam, vel *non eſſe*. Qui affirmat parietem *eſſe album*, ſimul negat formaliter *eſſe nigrum*, quod

Digitized by Google

eſt contrarium: atque inſuper formaliter negat *eſſe rubrum*, quod eſt diſparatum. Neque enim poteſt fieri, ut contraria vel diſparata eidem ſubjecto conveniant.

XXXIX. Hinc illud efficitur, quando Chriſtus dixit: *Hoc eſt corpus meum:* ſi vox *corpus* accipiatur in propria ſignificatione, uti nobiſcum credunt Lutherani, non tantùm affirmari corpus de ſubjecto; ſed etiam formaliter negari de ſubjecto *non corpus*, quod eſt contradictorium: & quia *corpus* & *panis* ſunt diſparata, etiam formaliter negari *panem* de ſubjecto. atque ita, quando aliqui Lutherani exponentes verba; *Hoc eſt corpus meum*; dicunt eſſe ſenſum; *Hic panis eſt corpus meum*; tunc expreſſè ponunt in ſubjecto, quod Chriſtus formaliter negavit de ſubjecto. Eſt igitur falſa propoſitio; *Hic panis eſt corpus meum:* quia copula ſignificat veram identitatem prædicati cum ſubjecto, quæ non poteſt reperiri inter diſparata: ſicut non invenitur identitas, & veritas in iſta; *Hoc corpus meum eſt panis:* quæ tamen juxtà regulas converſionis deberet eſſe vera, ſi prior eſſet vera. Alii Lutherani aliter exponunt verba Chriſti: ſed illæ expoſitiones pertinent ad materiam de SS. Euchariſtia.

Defenſio 10. *propoſitionis.*

Diſp. 27. v. 20. XL. Dicit Coccejus 1. *Hæc regula limitatur à logicis; ſecundùm idem, ad idem, eodem tempore, eodem modo, propriè. Ideoque exemplum, quod afferunt, eſt* ἀπροσδιόνυσον. *In Euchariſtia verbis* Corpus *ſignificat propriè. Quia ergò corpus de ſubjecto propriè affirmatur, formaliter negatur non corpus, & ſic panis. Eſt igitur falſa propoſitio, Hic panis eſt corpus meum. Valent hæc adverſus Lutheranos, tropum excludentes, quos hîc fratres redarguunt, & Bell. qui* 1 *Cor.* 10. 16. Panis, quem frangimus, nonne communio corporis Chriſti eſt? *explicat, tanquam ſine tropo,* Communicatio panis eſt communicatio corporis. *Sed non valent contra nos, qui, cum Patribus dicimus, Panem eſſe* quodammodo *corpus Chriſti. In quo ſermone & verum panem & verum corpus intelligimus, ſed illum terminum* Eſſe corpus, *ut analogia verborum inſtitutionis & ſacramentorum & Novi Teſtamenti & phraſeos Scripturæ ac res ipſa fert, explicamus. Ita ſe Chriſtus vocat panem, qui de cælo deſcendit modo quodam, licèt, ut fratres dicunt,* veritas non reperiatur in illa, Hoc corpus meum eſt panis, *nempe propriè loquendo.*

XLI. *Reſp.* Contra Lutheranos nos rectè proceſſiſſe, fatetur Cocce-

Coccejus. Aſſerit, illa contra Reformatos non valere. At quis illa Reformatis oppoſuit? Audiamus tamen quid dicat. Nos inquit, *cum Patribus dicimus, Panem eſſe* quodammodo *corpus Chriſti*. Itane? *Ibid. n.14.*
In præcedentibus ſcribis: *Solus Deus & cui loquendi cauſa eſt fides in Deum non in hominem, vera loquitur. Cætera, quicquid de religione quiſquam dicit, mentitur.* Atqui Coccejus non fuerit locutus ex fide in Deum, niſi & fateatur Patres ex fide in Deum locutos fuiſſe ſi agnoſcat, Patres, in hoc puncto, ex fide in Deum fuiſſe locutos: neceſſe erit, ut idem ſtatuat de omnibus, in quibus Patres conſentiunt; niſi ſeipſum, explodendo modo, conſtituat univerſorum Patrum judicem. Si idem ſtatuat de omnibus, in quibus Patres conſentiunt; prætenſa Reformatio periit. Sed quare non nominavit Coccejus Patres illos, qui ita dicunt, Panem *quodam modo* eſſe corpus Chriſti, ut ſimul negent eſſe verè corpus Chriſti? Sudabit in inquirendo; nec illos inveniet. Mittamus hæc; quod hujus loci non ſint.

XLII. Dicit 2. *Affirmatio unius æquivalet negationi contrarii, & negatio illius, ſine quo alterum verum eſſe non poteſt, hujus negationi æquipollet.* Item: *Sed quare non idem valebit in omni neceſſaria concluſione, quæ conſcientiam cogit ad aſſenſum, quâ verè poſſum dicere, ſi hoc eſt, Ergò illud non eſt: nempe ut, ſi revelatum ſit, hoc eſſe, ſive hujus affirmatio; ſimul revelatum cenſeatur, illud non eſſe, ſive illius negatio? Quæ eſt cauſa æquivalentiam admittendi in uno genere, & non in altero?* *Diſp. 35. n. 15.* *Ibid. n. 19.*

XLIII. *Reſp.* Affirmatione revelatâ, etiam contradictorium ejus formaliter revelari, jam diximus. Si quid ulterioris dubii habeat Coccejus, proponatur cum juſta ratione dubitandi; & non confuſè.

XLIV. Dicit Muſæus: *Walenburchiorum regula falſa eſt, eâ parte, quâ negativam per affirmativæ revelationem* formaliter *revelari dicit. Nam revelatio partis affirmativæ non cadit in oppoſitam negativam, niſi mediante hoc principio primo & univerſaliſſimo:* Impoſſibile eſt, aliquid ſimul eſſe & non eſſe: *& in quantum ex illo,* & *revelata parte affirmativa per conſequentiam ea infertur. Ergò revelatio partis affirmativæ ad oppoſitam negativam relata, eſt tantùm* virtualis *ejus* revelatio. *Hoc interim certum eſt, revelatâ affirmativâ, revelari etiam oppoſitam negativam, ſed per conſequentiam, licet facilem & cuivis obviam. Idem verò judicium eſt de quibuſvis probationibus,* ex Scriptura *petitis, quæ hoc ipſo, quod evincunt affirmativam eſſe veram & credendam, conſequenter evincunt etiam, negativam eſſe falſam, vi dicti principii:* Impoſſibile eſt, aliquid ſimul eſſe, & non eſſe. *De Converſ. hom. diſp. 9. cap. 3. n. 64. pag. 629.*

 XLV. *Reſp.*

Digitized by Google

XLV. *Reſp.* Vide, lector, concordiam Adverſariorum. Coccejus admittit propoſitionem noſtram, ut veram: Muſæus falſam dicit. Hulshovius dicit de propoſitione affirmativa, eam *includere negationem ſui contrarii.* Theologi Palatini, in Synodo Dordrechtana ſic ajunt: *Vox audita actum auditionis in aure ponit, inaudibile negat.* Dicit Muſæus, propoſitionem affirmativam includere negationem ſui contrarii virtualiter, non formaliter: vocem auditam actum auditionis in aure ponere, inaudibile negare virtualiter, non formaliter. Quæ ratio? An quia *partis affirmativæ revelatio non cadit in oppoſitam negationem, niſi mediante hoc principio; Impoſſibile eſt aliquid ſimul eſſe, & non eſſe?* Sed quo judice, partis affirmativæ revelatio non cadit in oppoſitam negationem, niſi mediante iſto principio? Per conſequentiam poſſe inferri negationem ex affirmatione, mediante dicto principio, nemo negat: ſed inde non ſequitur, revelationem partis affirmativæ non cadere in oppoſitam negativam, niſi mediante iſto principio. Supponitur quidem illud principium; *Impoſſibile eſt, aliquid ſimul eſſe, & non eſſe*; tanquam naturaliter notum: ſed quia primum eſt, & univerſaliſſimum; ideò cenſetur quilibet affirmans & oppoſitam negationem formaliter velle complecti; & non tantùm audienti concludendam relinquere: quod exiſtimaſſe Hulshovium & Palatinos non videtur dubium. Cæterùm demus; nos æquivalentiam juſto longiùs extendiſſe: quid hoc nocet cauſæ Lutheranæ? Inconvenienter etiam dicitur: *Certum eſt, revelatâ affirmativâ, revelari etiam oppoſitam negativam, ſed per conſequentiam.* Affirmativâ ſecundùm Muſæum revelatâ, oppoſitæ negativæ revelatio eſt virtualis. Si poſitâ conſequentiâ, manet tantùm virtualiter revelata negatio, non revelatur per conſequentiam negatio, magis quàm fuerat revelata in ſimplici affirmatione. Sin autem, quod erat tantùm virtualiter revelatum in affirmatione, dicatur formaliter revelari per conſequentiam; optaremus Auctorem videre, qui id ante Muſæum tradiderit. Hucuſque credidimus, quòd ſolius Dei eſſet revelare, ſive formaliter, ſive virtualiter: jam autem intelligimus, quòd, juxtà Muſæum, revelata à Deo virtualiter tantùm, per conſequentiam revelentur formaliter: quod nobis apparet paradoxum. Ponamus, Titium in hac charta ſcribere; *Cajus eſt*: ex doctrinâ Muſæi, Titius ſcribens; *Cajus eſt*; ſimul virtualiter ſcripſit; *fieri non poteſt, ut Cajus ſimul non ſit.* Si Sejus Titii ſcripturam legat, & ſic concludat: *fieri non poteſt, ut Cajus ſimul ſit, & non ſit: Atqui Cajus eſt: Ergò fieri non poteſt,*

Fol. 219.

Ad 2. & 3. *art. propoſ.* 3. *pag.* 181.

ut Cajus ſimul non ſit. Licèt dictus ſyllogiſmus formaliter concludat, quod Muſæus aſſerit tantùm virtualiter in ſcripto Titii contineri; non tamen exiſtimamus Muſæum aſſerturum, quòd per iſtam conſequentiam formaliter ſcripſerit Titius: *fieri non poteſt, ut Cajus ſimul non ſit.* Neque enim conſequentia Seji poteſt efficere, ut Titius formaliter ſcripſerit, quod tantùm virtualiter ſcripſit. Pari modo ſe habet res in revelatis. Deus v.g. revelavit per Spiritum Sanctum; *Chriſtus eſt*: ex doctrina Muſæi, Deus revelans; *Chriſtus eſt*; ſimul virtualiter revelavit; *fieri non poteſt, ut Chriſtus ſimul non ſit.* Si Joannes, audiens id Deum revelaſſe, ſic concludat: *fieri non poteſt, ut Chriſtus ſimul ſit, & non ſit: Atqui Chriſtus eſt: Ergò fieri non poteſt, ut Chriſtus ſimul non ſit.* Licèt dictus ſyllogiſmus formaliter concludat, quod, juxtà Muſæum, tantùm virtualiter in revelatione divina continetur; non tamen exiſtimamus Muſæum aſſerturum, quòd per iſtam conſequentiam formaliter revelaverit Deus: *fieri non poteſt, ut Chriſtus ſimul non ſit.* Neque enim conſequentia Joannis poteſt efficere, ut Deus formaliter revelaverit, quod tantùm virtualiter revelavit. Ergò malè ſcripſit Muſæus: *Certum eſt, revelatâ affirmativâ, revelari etiam oppoſitam negativam, ſed per conſequentiam*: quia conſequentia non revelat; quamvis declaret, quid Deus revelaverit; & formaliter proponat, quod, juxtà Muſæum, tantùm virtualiter in revelatione divina continetur.

Proſecutio.

XLVI. Propoſitio 11. *Omnis exceptio formaliter ſupponit regulam.* v.g. Scriptura dicit, eſſe aliquod peccatum, quod non remittitur *in futuro ſeculo*: ubi ſupponitur formaliter, aliqua peccata remitti in futuro ſeculo: quod S. Gregorius notavit, *lib.* 4. *Dialog. cap.* 39. *Tom.* 3. *col.* 337. 338. *Matth.* 12. 32.

XLVII. Hâc regulâ utuntur Adverſarii. Crocius refert Becanum ſtatuiſſe, *legem ſcriptam non poſſe eſſe judicem* controverſiarum fidei *in tribus caſibus.* Reſpondet Crocius: *Si in tribus caſibus lex ſcripta non poteſt eſſe judex: Ergò extra illos poteſt. Conſequentia patet: ſi enim nullo caſu poſſet eſſe judex, ineptè nominantur tres, quibus non queat eſſe judex. Recta ratio id evidenter oſtendit.* Eadem verò recta ratio evidenter oſtendit, ſi determinetur peccatum, quod non remittitur in futuro ſeculo; eſſe aliqua peccata, quæ remittuntur in futuro ſeculo: ſi *Tom.* 1. *contr.* 5. *ſect.* 7. *n.* 6. *pag.* 722. *ibid. n.* 7.

Digitized by Google

enim nullum remitteretur, ineptè nominaretur unum. Eandem propoſitionem confirmat S. Chryſoſtomus; docens Apoſtolos ſolviſſe legem Moyſis, *excipiendo* legem de non comedendis idolothytis, ſanguine, & ſuffocato.

Hom. 33. *in Act.* *Tom.* 9. *pag.* 296. B.

Defenſio II. *propoſitionis.*

Diſp. 27. *n.* 21.

XLVIII. Coccejus: *Ad exemplum dico* 1. *Aliud eſt ſimpliciter negari, aliud per modum exceptionis.* 2. *Remitti peccata in futuro ſeculo, extra controverſiam eſt: demùm in futuro ſeculo remitti, quæ hîc remiſſa non ſunt, dubitatur. Igitur, quæ in hac vita remittuntur, remittuntur, hoc eſt, non imputantur, non puniuntur & in futuro ſeculo. Quæ hîc non remittuntur, neque in futuro, ne homines contumaces & blaſphemi ſe putent morte evaſiſſe.*

XLIX. *Reſp.* Dicit Coccejus; *Aliud eſt ſimpliciter negari, aliud per modum exceptionis.* Atqui nos non egimus de ſimplici negatione: ſed de negatione per modum exceptionis. Optamus intelligere, quid illa diſtinctio ad rem faciat. Nos egimus de negatione per modum exceptionis: ille reſpondet, eſſe aliam negationem ſimplicem, aliam per modum exceptionis: quod nemo negat.

L. Addit: *Remitti peccata in futuro ſeculo, extra controverſiam eſt.* Acceptamus confeſſionem veritatis. Subjungit: *demùm in futuro ſeculo remitti, quæ hîc remiſſa non ſunt, dubitatur.* Quæ ratio dubitandi? Chriſtus excipiens peccatum, quod non remittetur in futuro ſeculo, agit de peccato, quod non eſt remiſſum in hoc ſeculo: ſi ergò exceptio ſupponit regulam, dantur aliqua peccata non remiſſa in hoc ſeculo, quæ remittentur in futuro ſeculo. Sed ponamus eſſe dubium; an in futuro ſeculo remittantur peccata, quæ hîc remiſſa non ſunt. Profectò, in re apud Reformatos dubia, licet cuique tenere affirmativam, vel negativam ſententiam, prout quiſque judicaverit. Aſſumimus igitur affirmativam: *In futuro ſeculo remitti peccata, quæ hîc remiſſa non ſunt.* Ergò juxtà Coccejum, licet tenere; dari in futuro ſeculo veram juſtificationem, in hoc ſeculo non habitam. Cùm enim, juxtà Reformatos, tota noſtra juſtificatio conſiſtat in remiſſione peccatorum: ſi cujus peccata in hoc ſeculo non ſunt remiſſa, non erit in hoc ſeculo juſtificatus: & ſi cujus peccata in futuro demùm ſeculo remittuntur, is in futuro demùm ſeculo juſtificabitur. Num verum?

LI. Pro-

LI. Proſequitur: *Quæ in hac vita remittuntur, remittuntur, hoc eſt, non imputantur, non puniuntur & in futuro ſeculo.* Ponamus, remittere peccatum hîc nihil aliud eſſe, quàm non imputare peccatum, & non punire; ut cum Coccejo loquamur. Reformati per non imputare, & non punire, non intelligunt ſolam negationem, quaſi ipſorum juſtificatio fieret per non ens: ſed intelligunt voluntatem Dei nolentis imputare, nolentis ordinare ad pœnam, nolentis punire. Ubi verò dicit S. Scriptura, Deum in hac vita juſtificantem fideles, volendo non imputare, volendo non ordinare ad pœnam, volendo non punire; repetere eas volitiones in futuro ſeculo, ſine ulla juſtificatione? Si Scriptura hoc non dicit; unde id Coccejus fingit?

LII. Concludit: Peccata, *quæ hic non remittuntur, neque in futuro.* Sed unde probat? *Ne*, inquit, *homines contumaces & blaſphemi ſe putent morte evaſiſſe.* Quid contumacibus, quid blaſphemis S. Scriptura minetur, neminem latet. Nihil ergò contrà propoſitionem, per textum Evangelii declaratatam, à SS. Patribus agnitam, à Crocio uſurpatam, Coccejus probavit.

Proſecutio.

LIII. Propoſitio 12. *Revelato effectu, etiam formaliter revelata eſt cauſa.* Effectus enim ſine cauſa perfectè cognoſci nequit: & conceptus formalis effectus involvit notitiam cauſæ, propter quam res eſt. Hoc obſervarit Tertullianus: *Marcion ut carnem Chriſti negaret, negavit etiam nativitatem; aut ut nativitatem negaret, negavit etiam carnem: ſcilicet ne invicem ſibi teſtimonium redderent, & reſponderent nativitas & caro.* Et hoc poſteà confirmat: *Nihil amari poteſt ſine eo per quod eſt, id quod eſt.* unde dicit; hominem à Deo amari non poſſe, niſi & ejus nativitatem amet. *Lib. 4. de carn. Chriſti cap. 1. Tom. 2. pag. 436. Ibid. cap. 4. pag. 454.*

LIV. Propoſitio 13. *Revelatâ actione cauſa efficientis, etiam formaliter revelatus eſt terminus, ſeu effectus proprius ejus actionis.* Nam ſicut effectus formaliter ſupponit cauſam; v. g. caro Chriſti ſupponit nativitatem: ita actio cauſæ efficientis importat effectum; v. g. nativitas Chriſti importat carnem Chriſti; & ea invicem ſibi teſtimonium reddunt, uti obſervatum ex Tertulliano.

Digitized by Google

§. 4.

De conſequentiis ex Scriptura deductis.

LV. Propoſitio 1. *Nulla concluſio, quæ tantùm deducitur ex una præmiſſarum, quæ eſt Scriptura, & ex altera rationis evidentis ac neceſſaria, eſt fidei Catholicæ, ſive illa concluſio conſideretur, ut deducta ex præmiſſis in forma diſpoſitis; ſive conſideretur independenter à forma, ſed tantùm ut virtualiter contenta in præmiſſa revelata.* Hæc propoſitio nullum habet dubium apud Catholicos. Sunt enim Doctores, qui affirmant tales concluſiones eſſe fidei; ſunt qui negant. Unde apud hos, & illos certum eſt, eas non eſſe fidei Catholicæ; ſive non eſſe neceſſe, ut omnes eas agnoſcant pro revelatis. Atque ideò propoſitiones ſic deductas nunquam definit Eccleſia eſſe fidei; ſed ſolùm decernit, eas eſſe certas, & earum contradictorium eſſe periculoſum & temerarium; uti patet ex diverſis Eccleſiæ Catholicæ, circà varias propoſitiones, qualificationibus, ſub quibus eas damnat. *Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei.* 1 Petr. 4. 11. Vid. P. Coninck. *diſp.* 9. *de object. fid. dub.* 9. *num.* 126.

Diſp. 29. *n.* 7. *&c. & Diſp.* 30. LVI. Multa de hac propoſitione habet Coccejus; ſed, quemadmodum conſuevit, non parum confuſa. Quia autem in Methodo à nobis dicta impugnat, fortaſſis ibi habebitur ejus ratio.

LVII. Lutherani nullam poſſunt habere difficultatem, niſi cum in ſyllogiſmo aſſumitur major univerſalis affirmativa ex ratione, in qua prædicatur proprietas logica de eſſentia; & minor particularis affirmativa revelata; ut indè deducatur concluſio, quæ ſit fidei Catholicæ, hoc eſt, quam omnes debent agnoſcere ut revelatam. v.g. *Omnis homo eſt riſibilis. Chriſtus eſt homo. Ergò Chriſtus eſt riſibilis.* nam reliquæ concluſiones, de quibus egimus in 2. Examine, pertinent ad formaliter revelatas, uti dictum §. præcedenti.

LVIII. Propoſitio 2. *Lutherani non poſſunt docere, tales concluſiones eſſe fidei Catholicæ.* Probatur; quia Calixtus docet, ob contradictorium talis concluſionis, hominem non damnari. Ergò, ex ſententia Câlixti, tales concluſiones non ſunt fidei Catholicæ, ut quarum contradictorium non damnat. Nonne Calixtus Lutheranus eſt? nonne Lutherani eum agnoſcunt ut membrum ſuæ Eccleſiæ? Dicite ergò; vel Calixtus, hoc docens, eſt hæreticus, vel non? Si eſt hæreticus; ergò communionem colitis cum hæretico: ergò hæreti-

Reſp. contr. Mogunt. n. 80.

cus

cus eſt membrum Eccleſiæ veſtræ; quod non dicetis. Si non eſt hæreticus: ergò rectè, vel ſaltem licitè, tenet Calixtus, contradictorium talis concluſionis non damnare; quia non eſt fidei Catholicæ.

LIX. Si tamen Lutherani velint tenere, tales concluſiones eſſe fidei Catholicæ, & noſtræ ſententiæ non planè & omninò ſubſcribere, ad quod tamen eos teneri oſtendimus; experiantur primùm, an habeant unam ſolam talem concluſionem, pro uno ſolo articulo fidei ſuæ, cum Eccleſia Catholica controverſo; cúmque invenerint (quod facilè invenient) ſe talibus concluſionibus deſtitutos, deſinant contentioſa animoſitate lites producere; vel tandem conentur, in hoc negotio, directè probare, quod probandum eſt, & agnoſcent debilitatem cauſæ ſuæ.

LX. Nota, ad evitandam æquivocationem, Adverſarios noſtros ſæpè ſumere pro eodem, *concluſionem Theologicam*, & *articulum fidei*, uti patet in 2. *Examine*. Apud Catholicos autem, licèt omnis articulus fidei poſſit aliquo modo dici concluſio Theologica; plerúmque tamen ſumi, pro concluſione, quæ tantùm ſequitur ex una propoſitione revelata, & ex altera rationis, quæ nunquam eſt fidei Catholicæ.

LXI. De Reformatis hoc loco non eſt agendum; magnum enim chaos, in hac materia, inter ipſos & Catholicos interpoſitum eſt, uti patet *Exam.* 2. Ipſi tamen tenentur agnoſcere ſententiam Lutheranorum non eſſe hæreticam, cùm Lutheranos fratrum loco habeant. Atque ita quicquid diximus contra Lutheranos, etiam valet contra Reformatos. Imò Zanchius dicit: *Verbum Dei eſt, quod immediatè à S. S. inſpiratum & dictatum hominibus fuit, tam quoad ſubſtantiam atque materiam, quam quoad verba & formam: & quod pro tali ab Eccleſia agnitum & receptum fuit.* Vide Eilbrachtum, *Epanorth. cap.* 13, *annot.* 4. *Tom. 4. lib. 1. de leg. Dei. tit. de tradit. ob. 5. col. 203.*

§. 5.
De Verbo Dei non ſcripto.

LXII. *Verbum Dei non ſcriptum vocamus, quod à Deo revelatum eſt, ſed à nullo Auctore Canonico literis mandatum.* Talis erat doctrina Chriſti, & Apoſtolorum antequam ſcriberetur novum Teſtamentum: & tales dicit Eccleſia Catholica eſſe varios articulos, tam fidei, quàm morum, qui per Apoſtolos quidem Eccleſiis inſinuati ſunt, non

R tamen

tamen ab Auctoribus Canonicis conſcripti. De his agemus *in Contr. de Tradit.*

LXIII. Nota 1. Quæ diximus §. 3. de iis quæ formaliter continentur in Verbo Dei ſcripto; eâdem ratione convenire Verbo Dei non ſcripto.

LXIV. Nota 2. Ut aliqua traditio ſit Apoſtolica, nihil detrimenti eam accipere, licèt aliquando in Eccleſia Catholica de ea dubitatum ſit. Sicut enim talis dubitatio nihil impedit, quominùs aliqui libri Scripturæ, de quibus olim dubitatum eſt, habeantur Canonici: ita nihil impedit præteriti temporis dubitatio, de hac, vel illa traditione, quominùs ſit verè Apoſtolica. Sufficere nobis debet, ſi æquâ certitudine nobis conſtet de verbo Dei non ſcripto, ac de ſcripto. Vide S. Auguſt. *de Unit. Eccl. cap.* 22. *& lib.* 1. *contr. Creſcon. cap.* 33. Zanchium, *Tom.* 8. *de Script. q.* 2. *propoſ.* 5. *col.* 331.

§. 6.

De Eccleſia, quæ proponit Verbum Dei.

LXV. *Per Eccleſiam Catholicam intelligimus omnes Catholicos toto orbe diffuſos; vel Concilium generale, cui præſidet, vel quod approbat Summus Pontifex.* Vide Canum. *lib.* 4. *cap.* 2. *&* 4.

LXVI. Omnes fideles toto orbe diſperſos rectè dici Eccleſiam, nullus negat. Concilium generale rectè dici Eccleſiam, Adverſarii noſtri negare non poſſunt. Et ſi velint cavillari, vocent Concilium generale, omnes Eccleſiæ doctores ſimul ſumptos: iis enim promiſit Chriſtus futurum, ut non errent: quemadmodum in ſpeciali de hac re controverſia expoſuimus. In hoc omnes Catholici conveniunt. Vid. Bellarm. *de Verbo Dei. cap.* 3. §. *tota igitur.*

LXVII. Eſſe neceſſarium, ut ſit Eccleſia proponens verbum *In loc. comm. de Eccl. pag.* 548. Dei, agnoſcunt Adverſarii. Ita Melanchton: *Docentem Eccleſiam amare, vereri, & venerari diſcamus, & purioris Eccleſiæ teſtimonia inquiramus. ſicut in allegoria Samſonis dulciſſimè ſignificatum eſt; niſi araſſetis meâ vitulâ, non inveniſſetis, id eſt, niſi audiiſſetis laborantem Eccleſiam in miniſterio, quæ eſt cuſtos verbi Dei, prorſus ignotum eſſet vobis Verbum Dei.*

Lib. 4. *Inſtit. cap.* 1. §. 4. LXVIII. Calvinus: *Quia nunc de viſibili Eccleſia diſſerere propoſitum eſt, diſcamus vel uno matris elogio, quàm utilis ſit nobis ejus cognitio, imò neceſſaria: quando non alius eſt in vitam ingreſſus, niſi nos ipſa concipiat in utero, niſi pariat, niſi nos alat ſuis uberibus, denique ſub cuſtodia & uber-*

Digitized by Google

gubernatione ſua nos tueatur, donec exuti carne mortali ſimiles erimus Angelis. Item: Veritas Evangelii *ſolius Eccleſiæ miniſterio in terris conſervatur.* in 1 Tim. 3. 15. Idem docet Conf. Helv. poſter. *art.* 1. *pag.* 16. *& art.* 7. *pag.* 26. *& art.* 18. *pag.* 56. 57.

LXIX. S. Auguſtinus: *Caveamus tales cogitationes ſuperbiſſimas, & periculoſiſſimas, magiſque cogitemus & ipſum Apoſtolum Paulum, licet divinâ & cœleſti voce proſtratum & inſtructum, ad hominem tamen miſſum eſſe, ut Sacramenta perciperet, atque copularetur Eccleſiæ: & centurionem Corneliam, quàmvis exauditas orationes ejus, eleëmoſynaſque reſpectas ei Angelus nunciaverit, Petro tamen traditum imbuendum, per quem non ſolum Sacramenta perciperet, ſed etiam quid credendum, quid ſperandum, quid diligendum eſſet audiret.* Et mox: *Quiſquis ſe nullis præceptis inſtructum divino munere quæcunque in Scripturis obſcura ſunt, intelligere gloriatur.* mox: *cùm legit, & nullo ſibi homine exponente intelligit, cur ipſe affectat aliis exponere, ac non potiùs eos remittit Deo, ut ipſi quoque non per hominem, ſed illo intùs docente, intelligant.* *In prologo de Doctr. Chriſt. Tom. 3. pag. 3. D. Ibid. pag. 4. B.*

LXX. S. Irenæus: *Qui non participant eum* (Spiritum) *neque à mamillis matris* (Eccleſiæ) *nutriuntur in vitam, neque percipiunt de corpore Chriſti procedentem nitidiſſimum fontem, ſed effodiunt ſibi lacus detritos*, &c. S. Hilarius: *Significat* (Chriſtus è navi docens) *eos qui extrà Eccleſiam poſiti ſunt, nullam divini ſermonis capere poſſe intelligentiam. Navis enim Eccleſiæ typum præfert: intrà quam verbum vitæ poſitum & prædicatum. Hi qui extrà ſunt & arena modo ſteriles atque inutiles adjacent, intelligere non poſſunt.* *Lib. 3. cap. 40. pag. 310. C. In Matth. can. 13. col. 530.*

LXXI. Itaque neceſſe eſt credere Verbo Dei per Eccleſiam propoſito; modò nobis conſtet, hanc Eccleſiam nec decipi, nec decipere. Non eſt propoſitio Eccleſiæ ratio formalis, vel effectiva fidei noſtræ: ratio enim formalis, eſt ſola veritas Dei revelantis; ratio autem effectiva eſt Spiritus Sanctus, mentem illuminans, fidemque generans. Sed quia Verbum Dei, per miniſterium Eccleſiæ, nobis innoteſcit, tanquam per medium à Deo ordinatum: (*quomodo credent ei quem non audierunt, quomodo autem audient ſine prædicante*) ejus *Rom. 10. 14.* propoſitio eſt diſpoſitiva; non dominans fidei, ſed coöperans noſtræ infirmitati. Quocircà credimus Deo loquenti per Eccleſiam, quæ ejus inſtrumentum eſt, & miniſtra. Quò major eſt auctoritas Dei, eò major eſt auctoritas, & dignitas miniſterii: quid enim majus, quàm Deum per Eccleſiam nos docere? huic non acquieſcere, Deo reluctari eſt, ejuſque ordinationi. Dei ergò miniſtra Eccleſia, & fide-

Digitized by Google

fidelium magiſtra; legatione ſibi à Deo commiſſâ fungens, dùm nos in credendis inſtruit, fidemque ſufficienter proponit. Credimus Verbo Dei per Scripturam, ut per inſtrumentum, quod verba Dei continet, nobiſque inſinuat: credimus verbo Dei per Eccleſiam, ut per miniſtram fidam. Sed per Scripturam non crederemus, niſi Eccleſia nobis diceret, eſſe verba Dei, quæ in Scriptura continentur. Qui audierunt Verbum Dei ab Apoſtolis, nonne illud acceperunt ab hominibus? Habuerunt illi immediatam revelationem, quæ Eccleſiæ poſt tempora Apoſtolorum non contingit. Sed, quoad nos, perindè eſt, ſive Eccleſia nos doceat ex immediata, vel mediata revelatione; cùm certum ſit, aſſiſtentiam Spiritus Sancti ejus miniſterio eſſe promiſſam.

LXXII. Licet objecta fidei ſint varia, (quæ in Scholis vocantur *materialia*) ſeu res creditæ multiplices; una tamen eſt *ratio formalis* fidei, quâ credimus ob auctoritatem Dei revelantis. Atque ideò auctoritas Eccleſiæ Verbum Dei proponentis, non eſt illud, in quod ultimatè reſolvitur fides noſtra, ſed auctoritas & veritas Dei revelantis.

LXXIII. Requiritur ad probandam fidem, Verbum Dei ab Eccleſia propoſitum: Nulla eſt fidei ſufficiens probatio, ſine Verbo Dei: Et de nullo verbo Dei nobis ſufficienter conſtat, ſine propoſitione Eccleſiæ: Per notitiam Eccleſiæ Verbum Dei fit evidenter credibile. Hæc requiruntur ad probationem fidei; hæc ſufficiunt. Nam gratia Spiritus Sancti, interiùs moventis, eſt neceſſaria, ut fidem amplectamur; non tamen ex iſta gratia alteri probatur, fidem eſſe ſuſcipiendam.

§. 7.
Defenſio Paragraphi præcedentis.

Diſp. 8. n. 7. LXXIV. Dicit Coccejus 1. *Veritatis amator obſervabit, dolum eſſe in voce* proponendi. *Aliud enim eſt* proponere *cum auctoritate, ita ut ea propoſitio ſit definitio, hoc, quod traditur, eſſe verbum Dei, & propter eam definitionem, tanquam credendi cauſam, abſque ulla demonſtratione, obligetur fides, & ſine ea non obligetur: aliud eſt* proponere, *in ſignificatione modeſtiore, Narrare ea, quæ Deus dixit, & non pati ea negligi aut oblivioni mandari, eaque dicta eſt à Deo idoneis iiſque evidentibus argumentis aſtruere. Hoc eſt officium non tantùm Papæ, ſed omnium fidelium*

lium miniſtrorum Eccleſiæ, imò totius Eccleſiæ, cujuſque pro ſuo captu, &c.

LXXV. *Reſp.* Quæ de dolo, aliiſque, in verbis allegata præcedentibus, calumniatur Coccejus, auctori ſuo relinquimus: nolumus vicem reddere. Auctoritas eſt eminentia perſonæ, cui ab aliis debetur, & defertur reſpectus. Hæc eminentia duplex eſt; vel poteſtatis publicæ, vel dignitatis privatæ. Sic dicitur eſſe in magna auctoritate, qui ad magnam poteſtatem pervenit; maximè ſi ſua virtute ad eam pervenerit, & communiter eâ poteſtate dignus æſtimetur. Qui hæreditario jure in magna poteſtate eſt conſtitus, pro ratione poteſtatis magnam habet auctoritatem; Longè tamen majorem obtinet auctoritatem, ſiquidem ſuâ poteſtate rectè & laudabiliter utatur. Privatus in civitate, dicitur inter ſuos concives habere auctoritatem, ſiquidem eminentiæ virtutum ejus reſpectus deferatur.

LXXVI. In præſenti non agitur de auctoritate privata, ſed de publica. Eccleſiam habere auctoritatem in proponendo Verbo Dei, fortè nec Coccejus negaverit. Scribit Apoſtolus: *Pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.* 2Cor. 5. 20. Nullane eſt auctoritas legati, cujus eminentiæ debeatur reſpectus? Nullane auctoritas legati, per quem Deus loquitur, per quem Deus exhortatur? Inter ipſos legatos Regum & Principum, major, minorve cenſetur legati auctoritas, ſi nomine, Regis, vel Principis legatione fungatur. Non ergò modica eſt Apoſtoli auctoritas, pro Chriſto legatione fungentis, per quem Deus cenſetur exhortari homines, ut reconcilientur Deo; Apoſtolo etiam pro Chriſto obſecrante, ut homines reconcilientur Deo. Exhortante Deo per Apoſtolum, Apoſtolo obſecrante pro Chriſto, eminenti iſti auctoritati homines debent reſpectum, debent obſequium, quibus nihil magis neceſſarium, aut ſalutare, quam reconciliari Deo. Ad eundem modum dicit Apoſtolus: *Ut detur mihi ſermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere myſterium Evangelii: pro quo legatione fungor in catena, ita ut in ipſo audeam, prout oportet me, loqui.* Epheſ. 6. 19. Ne quis diceret, Apoſtolum, omni auctoritate deſtitutum, notum facere myſterium Evangelii; aſſerit ſe legatione fungi, & quantùmvis catenatum, non eſſe auctoritatem ſuam catenatam, quominùs loquatur, prout oportet legatum loqui.

LXXVII. Quouſque ſe extendat auctoritas Eccleſiæ, non eſt hujus loci inquirere: pendet utique res ea ab inſtitutione Chriſti, à

Digitized by Google

promiſſis Spiritus Sancti; de quibus in controverſiis particularibus, de Eccleſia, ejuſque Miniſtris, erit dicendi locus. Interim propoſitionem Eccleſiæ fieri ex auctoritate, nulli Catholico eſt dubium. Propoſitionem Eccleſiæ habere rationem definitionis, hoc, quod traditur, eſſe verbum Dei, omnes Catholici agnoſcunt: non ut per definitionem Eccleſiæ fiat verbum Dei, quod ante definitionem Eccleſiæ non erat verbum Dei; hoc enim *ſuprà* §. 2. rejecimus; ſed ut hominibus conſtet, illud eſſe verbum Dei, quod per auctoritatem Eccleſiæ proponitur. Non dicimus, *propter definitionem Eccleſiæ, tanquam credendi cauſam, abſque ulla demonſtratione, obligari fidem.* Cauſa credendi, eſt auctoritas Dei, hæc, & illa revelantis; Eccleſiæ proponentis auctoritas non eſt cauſa credendi, ſed medium à Deo ordinatum, divinæ auctoritati ſubordinatum, quo nobis ſecurè innoteſcit, hæc, & illa eſſe à Deo revelata. Obligamur ad fidem præſtandam Deo; ſiquidem nobis conſtet, Deum hæc, vel illa locutum eſſe: ordinariè autem de eo nobis conſtat proponente Eccleſiâ.

LXXVIII. Quod Eccleſiæ competat narrare ea, quæ Deus dixit: quod Eccleſiæ incumbat, non pati ea negligi aut oblivioni mandare; eaque dicta eſſe à Deo, idoneis iiſque evidentibus argumentis aſtruere; & hoc eſſe officium omnium miniſtrorum Eccleſiæ, imò totius Eccleſiæ; nemo negat: tàm enim Miniſtri Eccleſiæ, quàm ipſa Eccleſia, teſtimonium perhibet, quid Deus voluerit hominibus ad ſalutem æternam revelare; quemadmodum Coccejus benè probat *Ibid. n.* 9.

Ibid. n. 11. LXXIX. Dicit 2. *Neceſſitatem propoſitionis talis, qualis jam explicata eſt, vocant Walenburgii* neceſſitatem miniſterii. *Qui terminus modeſtiſſimus eſt, & tantam ſuperbiam continere non poteſt. Eſt* miniſterium Moſis *ſtandi inter Deum & populum, ut ſiſtat populum Deo alloquendum*, &c. *Eſt* miniſterium Prophetarum *repetendi legem & ejus myſteria per S.S. explicandi & temporibus applicandi judicia & beneficia Dei ſic denunciandi*, &c. *Eſt* miniſterium Apoſtolorum *prædicantium & teſtantium quæ circa Chriſti apparitionem viderant & audiverant, & myſteria regni in ſcripturis V. T. comprehenſa per S.S. in ipſis evidenter operantem ex iiſdem Scripturis explicantium ad abſolvendum Doctrinale Eccleſiæ & excludendam neceſſitatem Scripturæ aut ſermonis θεοπνεύςυ impoſterùm multiplicandi. Eſt* miniſterium hominum Dei *narrantium de fœdere Dei ea, quæ leguntur, apud Eccleſiam pro modulo chariſmatis temporum & hominum per fidei profeſſionem & Catecheſin & προφητείαν ſive interpretationem*

nem Scripturæ; qui docent rudes, &c. Nullibi tamen reperitur miniſterium propoſitionis authenticæ *verbi Dei, nempe ut de quo ille miniſter dicit, Hoc eſt verbum Dei, id propter eam dictationem, tanquam rationem ſufficientem & ex ſe notâ auctoritate fultam, pro verbo Dei recipiatur: & quod Scripturæ iis modis cognita, ut dubiam auctoritatem in ſe habenti, certiorem autoritatem determinatione legiſlatoriâ tribuat: vel apud Eccleſiam N. T. debeat invenire fidem, ſi dicat, hoc eſt verbum Dei, quod tamen ex certo verbo ſcripto non demonſtrat.*

LXXX. *Reſp.* Operæ-pretium feciſſet Coccejus, ſiquidem ante omnia ſincerè propoſuiſſet, quam auctoritatem tribuant Catholici Eccleſiæ proponenti Verbum Dei; indè verò, ſi quid diſplicuiſſet, hoc totis viribus impugnaſſet. Tribuit Catholicis, quaſi ſtatuerent *miniſterium propoſitionis authenticæ verbi Dei.* Et ut explicet, quid intelligatur per propoſitionem authenticam, dicit: *Nempe ut de quo ille miniſter dicit, Hoc eſt Verbum Dei, id propter eam dictationem, tanquam rationem ſufficientem & ex ſe notâ auctoritate fultam, pro verbo Dei recipiatur.* Lubet hîc nonnulla ex ipſo Coccejo proferre.

LXXXI. Refert ille ex Scoto lib. 3. ſent. d. 23. q. 1. §. 4. *Libris Canonis ſacri non eſt credendum, niſi quia primò credendum eſt Eccleſiæ approbanti & authorizanti libros iſtos & contenta in eis. Quàmvis aliqui libri auctoritatem habeant ex auctoribus ſuis, non tamen adhæremus illis firmiter, niſi quia creditur Eccleſiæ approbanti & teſtificanti, veraces eſſe eorum auctores.* Hoc dictum ſic explicat Coccejus: *loquitur Scotus de fide acquiſita; quæ paratur irrefragabili plurium teſtimonio, tanquàm medio divinam revelationem attingendi.* Atqui irrefragabile plurium teſtimonium eſt medium authenticum divinam revelationem attingendi.

De Potest. Script. cap. 3. pag. 34.

Ibid. pag. 35.

LXXXII. Idem Coccejus: *Stapletonus ex Thoma Waldenſi citat & laudat:* Teſtimonium Eccleſiæ Catholicæ eſt objectum fidei Chriſtianæ & legiſlatio Scripturæ canonicæ. *Wittakerus ex eodem hæc affert:* Omnis Eccleſiaſtica auctoritas, cum ſit ad teſtificandum de Chriſto & ejus legibus, vilior eſt Chriſti legibus, & Scripturis Sanctis neceſſariò poſtponenda. *Item: Non eſſe ingratos filios Eccleſiæ*, qui primum propter verbum Eccleſiæ teſtantis de Chriſto credunt; & cum crediderint auctoritatem qua inducti ſunt auctoritati ejus poſtponent cui credunt. *Et:* Teſtimonium Eccleſiæ ſubjicitur Scripturæ canonicæ ſicut præco regi. *Optimè. Nam Scriptura eſt vox Dei mandantis Eccleſiæ prædicatrici, quid debeat prædicare. Ergò* teſtimonium Eccleſiæ eſt legiſlatio Scripturæ, *non ſenſu Stapletoni, ut ſit lex, propter*

Ibid.

quam

quam & ſine qua non Scriptura recipiatur: ſed ut teſtimonium Eccleſiæ proficiſcatur à legiſlatione Scripturæ, eique ſubordinetur, & in hanc terminetur & reſolvatur ultimò, ut primum αὐθεντίαν habentem & πίστιν, ejuſque ſit repræſentatio, narratio, inculcatio; imò ut Scriptura imperet Eccleſiæ teſtimonium, & vis teſtimonii à Scripturæ legiſlatione procedat; quemadmodum præconis verbum ſine regis autoritate nil valet.

LXXXIII. Vides, lector, laudari à Coccejo Thomæ Waldenſis teſtimonium; Wittakeri ex eodem relatum. Si Eccleſiæ teſtimonium ut legiſlatio Scripturæ admittitur, erit ſubordinata legiſlatio Eccleſiæ teſtimonium; non futura legiſlatio Scripturæ, niſi ſubordinata foret legiſlatio. Eccleſiæ proinde teſtificatio habet rationem legis ſubordinatæ, ſine qua non reciperetur Scriptura: non quòd Scriptura fidem per ſe non mereatur; ſed quia de divinitate Scripturæ, ſine ſubordinata Eccleſiæ legiſlatione, ſeu teſtificatione, nobis ſufficienter non conſtat.

LXXXIV. Quod Wittakerus ex Waldenſi affert, pro nobis facit: ſtatuit enim *Eccleſiaſticam auctoritatem*, quam Coccejus in ſimplicem narrationem transformat. Si enim eſt auctoritas, debetur ejus eminentiæ reſpectus & obſequium; quòd ſit publica: licèt interim, tanquam minor, auctoritati verbi divini ſubordinetur. Sic, eodem Waldenſi teſtante, fideles primùm *Eccleſiæ teſtimonium* reſpiciunt, ut credentes, *autoritatem* Eccleſiæ, verbi divini autoritati poſtponant. Auctoritatem Eccleſiæ, in laudato auctore, Coccejus agnoſcit: unde ergò Eccleſiæ ſolam tribuit *repræſentationem*, *narrationem*, *inculcationem*; quæ nihil auctoritatis habent publicæ, de qua ſola hîc agitur; niſi ut videatur aliquid dicere, dum conceſſa ſubvertit?

LXXXV. Teſtimonium Eccleſiæ ſubjicitur Verbo Dei, ſicut præco regi, ſicut legatus Principi aut Regi. Niſi præco, tanquam perſona publica; niſi legatus, tanquam legatus, habeat autoritatem ſubordinatam, non audietur ut præco, non ut legatus Principis, vel Regis. Hanc auctoritatem ſi abſtulerit Coccejus, nec legatum relinquet, nec præconem; quòd neutrius functio ſine auctoritate publica ſubſiſtat.

Ibid. pag. 7. LXXXVI. Ulteriùs ſcribit Coccejus: *Verum eſt, ſi nulla reperiretur in mundo Eccleſia profitentium nomen Chriſti & fructus ferentium fidei, recipi Scriptura non poſſet; quia non comprobaretur veritas prophetiarum & promiſſionum, quibus Chriſto æternum regnum pollicetur.* *Reſp.* Agnoſcitur

Digitized by Google

tur igitur perpetuitas Eccleſiæ, tanquam prædictæ, & promiſſæ.

LXXXVII. Proſequitur: *Verum eſt, ſic traditam eſſe Eccleſia & mundo Scripturam, ut, qui eam propagant, impoſſibile ſit fallere, & ad quos propagatur, impoſſibile ſit falli. Reſp.* Acceptamus. Si autem impoſſibile ſit falli Eccleſiam in tradenda Scriptura; etiam impoſſibile erit falli Eccleſiam, in tradendo S. Scripturæ ſenſu.

LXXXVIII. Addit: *Sed ex his omnibus non ſequitur, infallibilitatem Eccleſia, quatenus Papa ſubditur & obedit (ſcilicet Papa cùm eum ſequentibus in nullo poßit fallere vel falli) eſſe conditionem & requiſitum divinitatis Scriptura cognoſcenda ſine quo non: imò, dum Papa ſuique errant & ſeducunt, Scriptura comprobatur veracitas, argumentum certiſſimum divinitatis. Ita Papa non infallibilitas ſed error eſt teſtis quidam divinitatis Scriptura.* *Ibid.*

LXXXIX. *Reſp.* Mira narrat ille Doctor. Quis dicit, Papam cum ſuis ſequentibus *in nullo* poſſe fallere vel falli? Si nullus hoc dicit Catholicus; ut quid fingitur? Ponamus, Papam cum ſuis ſequentibus errare in re facti: num Scripturæ inde comprobabitur veracitas? num inde prodibit argumentum certiſſimum divinitatis Scripturæ? num inde error Papæ erit teſtis quidam divinitatis Scripturæ? Multa hîc concluduntur, ſine ullo medio termino.

XC. Tandem: *Ineptum eſt autem dicere, ob requiſitum ſine quo non recipi Scripturam. Nam id* ob quod, *vel* propter quod *recipio, eſt cauſa, ratio, motivum recipiendi:* conditio ſine qua non *talis ratio eſſe non poteſt, ſaltem ſola. Ex. gr.* Fides non eſt ſine auditu. *At non omnis auditus eſt ratio fidei & illius objectum. Rectè dicit, Eccleſia teſtimonium ut infallibile non poſſe recipi citra revelationem Scriptura*, &c. *Ibid.*

XCI. *Reſp.* Hîc ſtatuitur, ineptum eſſe, ſi quis dicat, ob requiſitum ſine quo non, recipi Scripturam: quaſi tale requiſitum non poſſet eſſe vel cauſa, vel ratio, vel motivum recipiendi. Imò poteſt tale requiſitum eſſe motivum recipiendi, cùm teſtimonio Eccleſiæ *moveamur* ad recipiendam Scripturam; quantùmvis non ſit *cauſa* recipiendi Scripturam fide divinâ, quam Spiritus Sanctus, ut vera cauſa, in nobis operatur, ut veracitati Dei revelantis firmiſſimè acquieſcamus. Sic *fides non eſt ſine auditu:* auditus enim ad fidem requiritur, ut conditio. Sed, inquit, *non omnis auditus eſt ratio fidei & illius objectum.* Quis dicit, auditum, ut auditus eſt, eſſe rationem fidei, & illius objectum. Objectum fidei materiale, eſt omne Verbum Dei revelatum; formale, eſt veracitas Dei revelantis; ratio &

cauſa fidei, eſt Spiritus Sanctus fidem operans; auditus, eſt conditio ad fidem neceſſaria. Si auditum ſumpſeris pro auditione Verbi Dei, prout ſumendus eſt; complectetur & objectum fidei, & conditionem neceſſariam, auditionem ſcilicet. Nec quicquam refert, quod multi audiant, & non credant: neque enim ſolum Verbum Dei, & auditio requiruntur, ut credamus.

XCII. Jam redeamus ad objectionem *ſuprà n.* 78. poſitam. Miniſterium requiſivimus, ad proponendum objectum fidei. Miniſterium Eccleſiæ non carere auctoritate, *ſuprà n.* 74. *&c.* docuimus. Ipſum Coccejum admittere auctoritatem Eccleſiæ, adeoque miniſterii Eccleſiaſtici, *ſuprà n.* 81. *&c.* oſtendimus. Non aſſerimus; *De quo quilibet miniſter dicit, Hoc eſt verbum Dei, id propter eam dictationem, tanquam rationem ſufficientem & ex ſe nota autoritate fultam, pro verbo Dei eſſe recipiendum.* Hoc dicimus: De quo ſtatuit Eccleſia, ſuis notis conſpicua, ſuâ auctoritate venerabilis, Hoc eſt Verbum Dei, id non propter Eccleſiæ propoſitionem, tanquàm rationem formalem objectivam, eſſe recipiendum; ſed per declarationem Eccleſiæ, tanquam conditionem neceſſariam, nobis ſufficienter innoteſcere, ut moveamur ad adhibendam fidem Verbo Dei, propter veritatem Dei revelantis. Hoc eſt, quod Coccejus debuiſſet impugnandum aſſumere; ſiquidem ſententiam noſtram rectè intellexiſſet, vel non pervertiſſet.

XCIII. Cæterùm ſic loquitur Coccejus, quaſi Miniſterium Eccleſiaſticum vellet omni auctoritate deſtitutum. Quantæ auctoritatis in Veteri Teſt. fuerit Moyſis miniſterium, & Summi Sacerdotis officium, neminem, niſi ſupinè negligentem, latere poteſt. Prophetarum, auctoritate divinâ excitatorum, non minima fuit auctoritas; ut qui ea omnia peregerunt, quæ ab auctoritate ſolent proficiſci publica, ideoque & venerationem meruerunt. Sicut Apoſtolus teſtatur, Deum *exhortari* per ſuum miniſterium; ita frequens
Coccejus. erat in ore Prophetarum iſte ſermo; *Hæc dicit Dominus:* pro Deo enim
Cap. 2. legatione fungebantur. De his ſcribere; quod *bona promittentes non*
pag. 25. *priùs debebant firmiter credi à Deo miſſi, quàm veniſſet verbum ipſorum*; gravis error eſt, refutatione non indigens. Apoſtolorum miniſterium caruiſſe auctoritate, vix ipſa dixerit impudentia. Illos, qui ab Apoſtolis regimini Eccleſiaſtico ſunt præpoſiti, deſtitui auctori-
Heb. 13, 17. tate, & eſſe meros narratores, &c. Fœderis Dei, abundè negat teſtimonium Apoſtoli: *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis.*

§. 8. *Fide-*

Digitized by Google

§. 8.

Fideles, antè & poſt Concilium Tridentinum habuiſſe eandem fidem.

XCIV. Cùm de Eccleſia verbum Dei proponente in præcedentibus tractatum ſit, operæ-pretium erit oſtendere, quomodo fides Catholicorum, tum ante, tum poſt Concilium Tridentinum viventium, eadem atque invariata permanſerit.

XCV. In Conciliis generalibus frequenter factæ ſunt novæ definitiones, ſeu propoſitiones articulorum fidei. v. gr. Baptiſmum extrà Eccleſiam collatum eſſe validum, nec iterandum; de quo S. Auguſtinus: *Cum inter Epiſcopos anterioris ætatis, quàm eſſe inciperet pars Donati, iſta quæſtio fluctuaret, & varias haberet inter ſe collegarum, ſalvâ unitate, ſententias, hoc per univerſam Catholicam* (Conc. Nicæn. can. 8.) *quæ toto orbe diffunditur obſervari placuit, quod tenemus.* Eccleſiæ propoſitio non facit, ut aliquid incipiat eſſe revelatum, quod anteà non erat revelatum à Deo: ſed facit, ut omnibus & ſingulis poſſit conſtare, articulum v. g. de validitate baptiſmi extrà Eccleſiam collati, eſſe à Deo revelatum. Cùmque poſt eam definitionem omnes Epiſcopi, & Doctores crederent, eum articulum eſſe à Deo revelatum; non habuerunt diverſam fidem, ab iis, qui ante definitionem ſeu propoſitionem Eccleſiæ contrariam ſententiam, ſalvâ unitate, defendebant. Quia ratio formalis fidei, *auctoritas Dei revelantis*, ab utriſque æqualiter tenebatur, ut una & indiviſibilis; eamque ſtatuebant amplectendam juxta propoſitionem Eccleſiæ; diverſitate ſententiarum manente circa ſolum materiale revelati; quia formale revelati tali materiali convenire, necdum conſtabat. Si poſt definitionem Eccleſiæ eſſet diverſitas ſententiarum; circa articulum ab Eccleſia propoſitum, ea diverſitas non eſſet tantùm circa *materiale* fidei, ſed etiam circa *formale:* quia conſtaret de formali revelatione, & negaretur Verbum Dei ab Eccleſia propoſitum, eſſetque diverſa fides.

Lib. 1. contr. Creſcon. cap. 32. Tom. 7. pag. 168. B.

XCVI. Quocircà illi, qui ante definitionem Concilii Nicæni tenebant baptiſmum, apud hæreticos collatum, eſſe validum, & qui, ſalvâ unitate, contra veram ſententiam diſputabant, ſemper illud tenuerunt; *A Verbo Dei, ab Eccleſia propoſito, non eſſe recedendum.* Quo poſito, licèt aliqui veritatem non tuerentur, non tamen credebant invaliditatem baptiſmi, ut articulum fidei Catholicæ: credebant

autem veritati in iſto generali fidei principio, & animus erat præparatione Catholicus.

XCVII. Hinc S. Auguſtinus, ad Vincentium Victorem ſcribens, cùm dixiſſet, eum nonnulla poſuiſſe & affirmaſſe, quæ cum vera doctrina conciliari non poſſent, ſubjicit: *Abſit, ut te arbitreris hæc opinando à fide Catholica receſſiſſe, quàmvis ea fidei adverſa ſint Catholicæ. Si coram Deo, cujus in nullius corde oculus fallitur, veraciter te dixiſſe reſipiſcis* (fortè, reminiſceris) *non te tibi ipſi eſſe credulum probari ea quæ dixeris poſſe. Ac ſtudere te ſemper etiam propriam ſententiam non tueri, ſi improbabilis detegatur, eò quòd ſit tibi cordi proprio damnato judicio meliora magis, & quæ ſint veriora ſectari. Iſte quippe animus etiam in dictis per ignorantiam non Catholicis, ipſâ eſt correctionis præmeditatione ac præparatione Catholicus.*

De orig. Anim. lib. 3. cap. 15. Tom. 7. pag. 498. D.

XCVIII. Eodem modo ſe res habet cum illis, qui ante definitionem Concilii Tridentini, de nonnullis quæſtionibus, ſalvâ unitate, diſputabant. Licèt enim circa materiale alicujus revelati non una eſſet omnium ſententia; erat tamen una circa formale omnium revelatorum, unaque fides. *Nam in ipſa item Catholica Eccleſia magnoperè curandum eſt, ut id teneamus, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt: hoc eſt enim verè propriéque Catholicum.* Horum autem hæc baſis eſt: *Verbo Dei ab Eccleſia propoſito eſſe credendum.* Propoſitione Eccleſiæ nondum factâ; aut factâ quidem, ſed oblivione multorum oblitteratâ, etiam diverſâ ſentientium eadem fides eſt: quia nec verum tenentes, nec à veritate aberrantes, defendunt ſuam ſententiam, ut Catholicam, & ab omnibus neceſſariò amplectendam; & errantium animus eſt correctionis præmeditatione Catholicus. Atque ita: *Ecce unus eſt populus, & unum eſt labium omnibus.* Gen. 11. 8.

Vinc. Livin. *cap. 3.* Vide Stapl. *de princip. fid. contr. 6. q. 3. art. 4. pag. 611.*

XCIX. Nullus hæreat in varietate ſententiarum, quæ ante Concilium Tridentinum inter Catholicos reperiebantur. Si enim maximi viri nihilominus fuerunt Catholici; dicamus adverſariis noſtris cum S. Auguſtino: *Venite ad Cathedram concordantem, quam Cyprianus non deſeruit fluctuantem.* Conſentit in hanc rem Haberkornius, *Diſp. Theol. contr. Epiſt. P. Roſenthal, Theſ.* 44. *pag.* 95. Coccejus, ad hunc paragraphum, nihil, quod ad rem faciat, profert, *Diſp.* 35. *n.* 3. 4.

Lib. 2. de bapt. cap. 15. Tom. 7. pag. 44. A.

§. 9. De

§. 9.
De Propoſitione Eccleſiæ.

C. Propoſitio 1. *Eccleſia proponit Verbum Dei, per Concilia generalia, confirmata à Summo Eccleſiæ totius Paſtore, vel per Summum Paſtorem cum Concilio generali.* Itaque in genere aſſerimus, Verbum Dei proponi per Eccleſiam, id eſt, per Pontificem cum Concilio, vel per Concilium cum Pontifice; in quo omnes Catholici conveniunt. Vide Bellarminum hoc modo loquentem, de Judice Controverſiarum, *lib.* 3. *de Verb. Dei. cap.* 3. §. *Tota igitur.* Tannerum, *Tom.* 3. *diſp.* 1. *q.* 4. *dub.* 6. *aſſer.* 5. *n.* 242. *col.* 268.

CI. Neceſſitatem propoſitionis docet Chriſtus: *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent.* Requiritur enim, vel ut Chriſtus immediatè per ſe loquatur; vel ut mediatè per Eccleſiam loquatur. Vid. S. Auguſt. *Tract.* 89. *in Ioan. Tom.* 9. *pag.* 189. *B.* *Ioan.* 20. 22.

CII. Ad hoc pertinet textus Matth. 10. 40. *Qui recipit vos, me recipit.* Luc. 10. 16. *Qui vos ſpernit, me ſpernit.* 2 Cor. 13. 3. *An experimentum quaritis ejus, qui in me loquitur Chriſtus?* Ubi obſervandum, Apoſtolos fuiſſe locutos ex immediata revelatione; Eccleſiam verò loqui citra novam revelationem.

CIII. Propoſitio 2. *Longè veriùs eſt, infallibilitatem Pontificia definitionis & propoſitionis non pendere à Concilio generali; adeoque Pontificem etiam extra Concilium generale, circa dubiam aliquam fidei quaſtionem, infallibiliter definire.* Hæc eſt longè communior, & verior Theologorum ſententia. Si lector hujus propoſitionis qualificationem deſideret, rogamus ut ea deſumatur ex Theol. Mogunt. *Iren. Anti-Calixt. part.* 2. *cap.* 5. Tannero *Tom.* 3. *diſp.* 1. *q.* 4. *dub.* 6. *aſſert.* 6. *n.* 245. 248.

CIV. Probationem hujus aſſertionis licet videre apud Tannerum, & illos, quos magno numero allegat: Canum, *toto lib.* 6. & in Epiſtola quadraginta quatuor Epiſcoporum Galliæ, ad S. Leonem Pontificem, in qua ſic aiunt: *Apoſtolatus veſtri ſcripta, ita ut Symbolum fidei, quiſquis redemptionis Sacramenta non negligit, tabulis cordis aſſcripſit, & tenaci, quò ad confundendos hæreticorum errores paratior ſit, memoria commendavit.* Et mox: *Doctrina poſt Deum veſtra debet quiſque fidelis, ut conſtanter teneat quod credebat; debet etiam infidelis ut à perfidia ſua, agnitâ veritate diſcedat: & Apoſtolica inſtitutionis luce perfuſus, erroris ſui* *Inter Epiſtol. S. Leonis. poſt.* 8 *R pag.* 127. *G.*

tenebras derelinquat, magiſque ſequatur & credat, quod per os veſtrum Dominus noſter Ieſus Chriſtus de Sacramento Incarnationis ſuæ docet, quàm id teneat, quod diabolus humanæ ſalutis & veritatis inimicus inſtillat.

Libr. 4. de Rom. Pontif. cap. 2. §. Deinde,

CV. Cæterùm, ut ait Bellarminus; *Catholici omnes conveniunt, Pontificem ſolum, vel cum ſuo particulari Concilio aliquid in re dubia ſtatuentem, ſive errare poßit, ſive non, eſſe ab omnibus fidelibus obedienter audiendum.* Vid. Valer. Magn. *Iud. de Cath. Reg. creden. lib. 4. cap. 16.*

CVI. Propoſitio 3. *In diſputatione contra Adverſarios fidei Catholicæ, ſatis eſt, id quod apud omnes Catholicos in confeſſo, & de fide certum, atque adeò propriè contra ipſos controverſum eſt, defendendum ſuſcipere, Pontificem nimirùm, ſi cum generali Concilio aliquid circà fidem definiat, errare in definiendo non poſſe.* Ratio eſt, quia propoſitio ſecunda non eſt tam certa, atque prima; nec apud Catholicos undequaque extra controverſiam; imò inter ipſoſmet Catholicos etiamnum controverſa. Ita expreſſè Tannerus. *Tom. 3. diſp. 1. q. 4. dub. 6. aſſert. 6. n. 248. & 250. col. 270. & 271.* Alphonſus à Caſtro, *de Iuſta hæret. punit. lib. cap. 5. fol. 28.*

CVII. In præcedenti, ſicut & in prima propoſitione, conveniunt omnes Catholici. Contra ſecundam non habent Adverſarii fidei Catholicæ quod opponant: cùm enim etiamnùm inter ipſoſmet Catholicos ſit controverſa, non eſt propriè contrà Lutheranos, alioſque ſimiles controverſa: quia niſi aliquid inter omnes Catholicos in confeſſo, & fide Catholicâ certum ſit, non poteſt ab ipſis oppugnari, ut dogma fidei Catholicæ, ſive quod ab omnibus defendi neceſſariò debet, qui Eccleſiæ Catholicæ filii ſunt.

Ireni. Anti-Calixt. part. 2. cap. 1. n. 3. & cap. 4. pag. 35.

CVIII. Unde Theologi Moguntini: *Cauſæ ſtatum tenebris involvit Calixtus. Si enim id, quod* SOLUM *apud nos eſt dogma Catholicum (ſcilicet, Papam unà cum Concilio generali eſſe infallibilem in definitionibus fidei) in controverſiam vocaſſet, non adeò latum declamandi campum nacta eſſet ejus infrunita loquacitas.* Vide Varer. Magn. *Iudic. de Cath. Reg. creden. lib. 4. cap. 16. & lib. 5. cap. 5.*

CIX. Et hinc, licèt multi defendant ſecundam propoſitionem contra Adverſarios fidei noſtræ; idque ſolemniter factum ſit in Colloquio Ratiſponenſi: alii tamen, compendioſiorem viam eligentes, hoc defendunt, quod ſatis eſt, primam videlicet propoſitionem.

CX. Hic poſterior modus magis placet; vel quia ſic liquidiùs patet, quid apud omnes Catholicos in confeſſo, & fide certum ſit; vel quia ſic multæ præſcinduntur controverſiæ, quæ Adverſarios fidei Catho-

Digitized by Google

Catholicæ non concernunt. Errantes etiam citiùs reducuntur ad veritatem; malignantium ora potentiùs obſtruuntur, qui alioquin aſſumentes, quod inter ipſoſmet Catholicos etiamnùm controverſum eſt, argumentis Catholicorum inſtructi, ad plauſum populi digladiantur, de rebus maximè certis minimè ſolliciti. Atque hunc modum ſecutus eſt D. Veronius (*Tom.* 3. *latin. part.* 5.) in Gallia R. D. Nihuſius (*Wecber. n.* 16. *pag.* 53. *&c.*) in Germania. Valer. Magn. (*Iudic. de Cath. Regul. creden. lib.* 5. *cap.* 3.) ex Italia; & alii non pauci invenerunt utilem.

CXI. Propoſitio 4. *Concilia particularia, à Summo Pontifice confirmata, in fide & moribus errare non poſſunt.* Hæc propoſitio confirmatur uti ſecunda, & non eſt æquè certa, ac prima, quæ *fide Catholicâ* tenenda eſt; ideoque illam nemo Catholicorum negat; hanc verò non deſunt, qui negent. Itaque ea ſolùm de cauſa *non affirmamus hanc propoſitionem ſide Catholicâ eſſe tenendam*, quòd Auctores, qui contrarium ſentiunt, nondum videamus ab Eccleſia damnatos pro hæreticis. Conſtat enim ex Euſebio, Cornelium Papam, cum Nationali Concilio omnium Epiſcoporum Italiæ, ſtatuiſſe, non debere hæreticos rebaptizari, & eandem ſententiam poſteà approbaſſe etiam Stephanum Papam, & juſſiſſe, ut hæretici non rebaptizarentur: & ſimul ex eodem Euſebio ibidem, Cyprianum contrarium ſenſiſſe, & mordicùs defendiſſe, id quod etiam ipſe fatetur in Epiſtola ad Pompejum, ubi arguit Stephanum Papam erroris, & tamen Cyprianus ſemper eſt habitus in numero Catholicorum. Ita expreſſè Bellarminus, *lib.* 2. *de Conc. cap.* 5. *in princ.*

Lib. 7. *Hiſt. cap.* 2. 3. & 4.

CXII. Itaque prima propoſitio fide Catholicâ tenenda eſt; de ſecunda autem & quarta, juxta omnes Doctores Catholicos, non eſt idem affirmandum. Nullius enim privati eſt, judicium hæreſeos pronunciare, contra eos, quos nondum videmus ab Eccleſia damnatos. Nam ſicut Pontifex illos excommunicat, qui tenent hæreticum eſſe, ſi quis aſſerat Beatam Virginem in peccato originali conceptam, quod *necdum ſit à Romana Eccleſia & Apoſtolica ſede deciſum*: ita valdè temerarium foret, ſi quis privatus, ante damnationem Eccleſiæ, ad damnationem prorumperet; atque adeò illorum communionem ſtatueret eſſe vitandam, cum quibus videmus totam Eccleſiam communicare. Vid. P. vander Veken *Tract. de Simpl. Dei diſp.* 3. *cap.* 2. *n.* 8. *pag.* 37.

Lib. 3. *Extrav. comm. tit. de reliq. & venerat. Sanct. cap.* 2.

CXIII. Propoſitio 5. *Nullus articulus eſt fide Catholicâ credendus,*

niſi

niſi proponatur univerſa Eccleſia. Ratio eſt: quia hoc ſolum eſt verè Catholicum, quod ab omnibus eſt credendum. Vide Bellarminum ſimilia aſſerentem, *lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 5. §. Dicimus.*

CXIV. Propoſitio 6. *Articulus fidei Catholicæ innoteſcit per praxin univerſalis Eccleſiæ.* Ratio eſt; quia univerſalis Eccleſia habet promiſſionem non errandi; uti oſtendemus in Controverſiis particularibus. Vide Theol. Mogunt. *Iren. Anti-Calixt. part. 2. cap. 5. n. 6. pag. 73.*

CXV. Propoſitio 7. *Nulla praxis univerſalis Eccleſiæ eſt definitivè, niſi ſufficienter conſtet de illa praxi.* Ratio eſt; quia alioquin non habetur ut ſufficienter proponens. Ubi ergò non planè conſtat de ea praxi, pacis ſtudium obſervandum eſt, expectandaque vel generalis Concilii definitio, vel decretum Summi Pontificis, uti dictum propoſitione primâ, & ſecundâ. Quouſque autem valeat praxis Eccleſiæ, vide Canum, *de loc. Theol. lib. 2. cap. 7. pag. 39. & lib. 4. cap. ult. pag. 233.*

§. 10.

Quo modo Miniſterium Eccleſiæ concurrat ad converſionem hominis.

CXVI. Dupliciter poteſt intelligi, vocationem internam, ex qua converſio, pendere à Miniſtris, & conatu Eccleſiæ. Primò, ut ipſe conatus Miniſtrorum Eccleſiæ, qualis eſt prædicatio, miraculorum operatio, & ſimilia, quibus infideles ad fidem, & fideles ad opera pietatis ſuaderi ſolent, ſub nomine gratiæ prævenientis, vel excitantis comprehendantur: neque enim Deus tantùm interiùs, ſed etiam exteriùs movet, & excitat infideles ad fidem, & peccatores ad pœnitentiam. Secundò, poteſt vocatio Dei interior pendere à Miniſtris, & conatu Eccleſiæ, ut à conditione, ſine qua non; ita ut ipſe conatus & induſtria Miniſtrorum Eccleſiæ non comprehendatur nomine prævenientis gratiæ; ſed ad illam ut conditio, ſine qua non, ex parte naturæ ſupponantur, Deo regulariter non vocante, niſi mediante Eccleſiæ miniſterio.

CXVII. Propoſitio 1. *Si nomine gratiæ prævenientis, & excitantis comprehendantur conatus Eccleſiæ, & Miniſtrorum ejus, quibus Deus ad fidem homines vocare ſolet, concedi debet, internam vocationem, ſeu gratiam excitantem, regulariter loquendo, pendere à Miniſtris & conatu Eccleſiæ,*

Digitized by Google

cleſia, ut à conditione, ſine qua Deus regulariter homines interiùs non vocat.

CXVIII. Probatur: *Et viſio per noctem Paulo oſtenſa eſt: Vir Macedo quidam erat ſtans, & deprecans eum, & dicens: Tranſiens in Macedoniam, adjuva nos. Vt autem viſum vidit, ſtatim quæſivimus proficiſci in Macedoniam, certi facti quod vocaſſet nos Deus evangelizare eis.* Quibus verbis ſignificatur, ſalutarem converſionem Macedonienſium ab Evangelizatione Pauli adjuvantis dependere. Act. 16. 9.

CXIX. Item: *Deſignavit Dominus & alios ſeptuaginta duos, & miſit illos binos ante faciem ſuam, in omnem civitatem & locum, quò erat ipſe venturus. Et dicebat illis: Meſſis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergò Dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam.* clarè indicat Dominus, fidem, & ſalutem hominum, quam per meſſem ſignificavit, ex operariis Eccleſiæ multùm pendere. Luc. 10. 1.

CXX. Deus non conſuevit vocare ad fidem, immittendo ſingulis per ſeipſum ſpecies intelligibiles, vel notitias eorum, quæ ad fidem ſpectant; ſed id præſtat per prædicationem externam. Dicit enim Apoſtolus: *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur? Ergò fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti.* Ita gratia præveniens, ſeu vocatio interior ad fidem, pendet à Miniſtris Eccleſiæ, & eorum conatu, ſaltem ut à conditione, ſine qua homines ad fidem regulariter non vocarentur. Rom. 10. 14. v. 17.

CXXI. Confirmatur: quia juſtificatio, regulariter loquendo, pendet ex diſpoſitionibus, tempore antecedentibus infuſionem gratiæ juſtificantis; eò quòd, ſecundùm communem curſum, Deus non juſtificat peccatorem, abſque prædictis diſpoſitionibus; quamvis aliquando abſque illis, in unico inſtanti, in progreſſu peccati exiſtentem, ad ſe perfectè convertat, ſicut convertit S. Paulum. Ergò etiam vocatio interna hominis pendet ex conatu, & inſtructione Eccleſiæ, ſeu Miniſtrorum ejus.

CXXII. Propoſitio 2. *Hæc dependentia vocationis hominis internæ à conatu & inſtructione Eccleſiæ, & Miniſtrorum ejus, non eſt ſolùm dependentia, ut à conditione, ſine qua non, concomitanter, vel per accidens ſe habente, ſed ut à cauſa exteriùs proponente, & ſuadente, quæ moraliter movet, exteriùs invitando, & alliciendo voluntatem, ut bonum propoſitum aſſumat.*

CXXIII. Ad cujus rei evidentiam conſiderandum eſt, cauſam, ſine qua non, eſſe in duplici differentia. Alia eſt, quæ nihil omninò

facit, ad inducendum effectum, vel diſponendo, vel meliorando, quantùm ad rationem cauſandi. Et hæc nihil habet, comparatione effectus, ſupra cauſas per accidens, ſicut album eſt cauſa domus, ſi ædificator ſit albus. Alia dicitur conditio ſine qua non, id, quod, licèt non ſit principalis cauſa rei, eſt tamen concauſa, & coöperatur aliquo modo ad productionem effectus, ſicut reſpirare eſt cauſa, ſine qua non, vitæ animalis reſpirantis, quia ſine reſpiratione vivere non poteſt; ipſa enim reſpiratio, etſi non ſit cauſa vitæ, eſt tamen concauſa, in quantum coöperatur ad contemperamentum caloris, ſine quo non eſt vita: & ſimiliter eſt de cibo, ſine quo animal vivere non poteſt, in quantum coöperatur ad reſtaurationem deperditi, & impedit totalem conſumptionem humidi radicalis, quod eſt cauſa vitæ.

CXXIV. Hoc ergò ſecundo modo poteſt conatus & inſtructio Eccleſiæ Miniſtrorum dici cauſa, ſine qua, regulariter loquendo, homines non vocarentur interiùs à Deo: non autem priore modo. Probatur: nam cauſa, ſine qua non, in priore acceptione ſumpta, eſt cauſa per accidens, & nihil omninò coöperatur ad effectum principalis agentis. Sed conatus, & inſtructio Miniſtrorum Eccleſiæ aliquid coöperantur ad vocationem internam, diſponendo ſubjectum, aut ſuadendo, vel removendo impedimenta. Ergò non eſt cauſa, ſine qua non, in priore acceptione, ſed in poſteriore.

CXXV. Probatur minor: Nam unus Miniſtrorum Eccleſiæ di-
2 Cor. 6. 1. cit: *Adjuvantes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim: Tempore accepto exaudivi te, & in die ſalutis adjuvi te.* Ubi illud verbum, *adjuvantes*, ſignificat, Miniſtros Eccleſiæ ſuâ prædicatione, & inſtructione, ad finem intentum, quodammodo Deum adjuvare, non quidem vires illi miniſtrando ad aliquid agendum, ſed
1 Cor. 3. 9. mandata ejus exequendo: & hoc ſenſu explicandus eſt textus; *Dei adjutores ſumus.*

Pſal. 67. 12. CXXVI. Confirmatur ex illo: *Dominus dabit verbum Evangeli-*
Ibid. v. 34. *zantibus virtute multâ.* & iterùm: *dabit voci ſuæ vocem virtutis.* ubi non obſcurè ſignificatur, Deum tribuere quandam virtutem prædicatorum verbis, ut cor auditorum emolliant, & ad bonum exequen-
Rom. 1. 16. dum inclinent. Cui conſonat illud Apoſtoli: *Non erubeſco Evange-*
De Auxil. lib. 8. diſp. 77. *lium: virtus enim Dei eſt, in ſalutem omni credenti.* Hæc in præſenti ex Alvarez ſufficiunt, qui latiùs eandem materiam pertractat.

§. II. De

§. II.

De Articulis morum ab Eccleſia Catholica propoſitis.

CXXVII. Propoſitio 1. *Dantur articuli morum, qui ab Eccleſia Catholica proponuntur, ſive in generali Concilio, ſive per praxin univerſalis Eccleſiæ, ut à Deo revelati.* Tales dari nullus dubitat, qui Eccleſiam novit, vel S. Scripturam legit.

CXXVIII. Dicunt Adverſarii noſtri; *Nihil eſſe faciendum in materia Religionis, cujus in Scriptura non habeatur mandatum, vel exemplum;* & hoc ubique ingeminant, nullibi probant. Hîc non inquiremus, quinam articuli morum habeant rationem cultus divini; de eo enim tractabimus in ſequentibus; cætera autem huc facientia nunc expediemus.

CXXIX. Propoſitio 2. *Omnes articuli morum, ab Eccleſia Catholica propoſiti, ſunt liciti.* Probatur 1. Quidlibet cenſetur licitum, donec probetur illicitum. Hoc natura docet, & habet textus in *l. pergit. 5. C. de ſepulch. violat.* Probatur 2. ex Conf. Baſil. (*art. 10. pag. 96.*)
dicente, quòd *nemo prohibere poſſit, quæ ipſe* (Chriſtus) *non prohibuit.* *Cap. 8. & 9.*
Et ſimilia habet Conf. Argent. Vedelius probat, uti *licere* conſequen- *Ration.*
tiis; quia non eſt in Scriptura prohibitum. & addit: *In Scriptura pro-* *Theol. lib. 2.*
hibentur omnia, quæ ſaluti hominum noxia, aut veræ fidei contraria ſunt. *cap. 2. pag. 170. &*
Atque hoc eſt conforme iſti ſententiæ S. Optati (*lib. 7. Bibl. SS. Patr.* *lib. 3. cap. 2.*
Tom. 4. pag. 291. H.) *Quicquid Deus fieri noluit, ore ſuo prohibuit.* Non *pag. 365.*
tamen determinat S. Optatus, illam prohibitionem debere fieri in
Scripturis, ut Adverſarii volunt. Accedit Petr. Martyr: *Nullum* *Loc. comm.*
juſtum aut honeſtum officium poteſt inveniri, quod divinâ lege non commen- *claſſ. 2.*
detur: nihil turpe aut inhoneſtum, quod non eâ interdicatur. Et Crocius: *cap. 3. n. 2.*
Quod per ſe malum, id alicubi prohibitum, ſaltem implicitè. Anti-Weigel. part. ult. cap. 4. q. 1. pag. 87. Quæ hîc habet Coccejus *diſp.* 49. *n. 15. 16.* conſueta ſunt.

CXXX. Propoſitio 3. *Credendum eſt, omnes articulos morum, ab Eccleſia Catholica propoſitos, eſſe licitos.* Probatur: *Ubi non eſt lex, nec prævaricatio.* *Rom. 4. 15.* Hoc, generaliter revelatum, eſt poſitivè credendum. Sub hac univerſali continentur omnes particulares. Hinc ſi non eſt lex prohibens invocationem Sanctorum, venerationem Reliquiarum, &c. credendum eſt, invocationem Sanctorum, venerationemque Reliquiarum eſſe licitam; atque idem eſt de cæteris. Con-

tra articulos morum, quos Eccleſia Catholica proponit, non affertur lex naturalis, non lex divina, non lex Eccleſiæ: deficiente lege prohibitivâ, deficit prævaricatio; & hoc credendum eſt. Eodem facit: *Qui non eſt contra vos, pro vobis eſt.* Luc. 9. 50.

Gen. 14. 20. CXXXI. Vidimus inſtitutionem divinam, videamus exempla.
1. Abraham dedit decimas Melchiſedech ſacerdoti: quà præeunte
Iob. 1. 5. inſtitutione divinâ, quo exemplo? 2. Job obtulit holocauſta pro
Ierem. 35. ſingulis filiis ſuis: ubi mandatum, vel exemplum? 3. Rechabitæ non
6. 7. biberunt vinum, nec vineam plantaverunt, idque ex ſolo præcepto
Ibid. n. 14. Patris ſui: ubi inſtitutio divina, vel exemplum? & tamen in Scri-
Act. 4. 32. ptura laudantur. Primi Chriſtiani habebant omnia communia inter
ſe, & non cum aliis; ut intelligamus communionem initam intuitu
1*Cor.* 7. 25. Religionis: ubi inſtitutio divina, vel exemplum? S. Paulus Virginibus continentiam ſuadet; & tamen fatetur ſe non habere præceptum Domini: ubi exemplum? Diva Virgo ſervavit virginitatem: ubi mandatum, vel exemplum? Hæc, & ſimilia, quæ in ſacris Scripturis ſunt obvia, oſtendunt eſſe licitas actiones morum in materia Religionis, licèt nulla inſtitutio divina, vel mandatum præceſſerit: atque his, aliiſque exemplis Scripturarum edocti, auctoritatem divinam ſequimur.

Defenſio propoſitionis tertia.

Diſp. 49. *n.* 17. CXXXII. Coccejus 1. *Dicimus, ineptè fratres citare locum Rom. 4. 15. Ibi enim Apoſtolus agit de legis promulgatione facta per Moſen, quatenus illa iram operatur, hoc eſt, accuſat peccatum & commemorat tanquam nondum expiatum & condonatum. Eâ planè ratione, quâ & Gal. 3. 19. dicit:* Quid igitur lex? Propter tranſgreſſiones addita eſt. *Ex quo non ſequitur, tranſgreſſiones demum incepiſſe tum, quando lex per Moſen addita eſt: ſed tranſgreſſiones per eam accuſatas & demonſtratas fuiſſe, ut obligantes ad pœnam aut ſatisfactionem. Ideoque Rom. 5. 13. dicit:* Uſque ad legem peccatum erat in mundo. *Exſtabat, & expiationem flagitabat.* Peccatum autem non imputatur, quando non eſt lex, *hoc eſt, diſſimulatur, toleratur, non vindicatur. Quod aliquo modo factum eſt, quum lex ſubintravit. Ergò ubi lex non eſt, ubi ceſſat illud dictum.* Qui faciet illa vivet in eis, *&* Maledictus omnis, *&c. (cui ſententia Chriſto mortui ſumus per legem) tum demum* non eſt transgreſſio, *hoc eſt, condonata, amota, in fundum maris projecta eſt. Hæc ſi intelligere curarent Walenburgii, & alibi minus errarent, & hîc non ineptis ſophiſmatibus ſe jactarent.*

CXXXIII. *Reſp.*

CXXXIII. *Reſp.* Aſſerit, nos *ineptè* citaſſe textum Rom. 4. 15. *Vbi non eſt lex, nec prævaricatio.* Quo fundamento? *Apoſtolus agit de legis promulgatione facta per Moyſen.* Agit de legis promulgatione facta per Moyſen, in verbis antecedentibus; concedimus. Sed inde non ſequitur, textum: *Vbi non eſt lex, nec prævaricatio*; non eſſe generaliter accipiendum; Quod generaliter dicitur, quod nullum incommodum involvit, fruſtrà limitatur. Addit ex Gal. 3. 19. *Quid igitur lex? Propter tranſgreſſiones addita eſt. Ex quo non ſequitur, tranſgreſſiones demum incepiſſe tum, quando lex per manum Moyſis addita eſt.* Sed quis dixit; tranſgreſſiones demùm incepiſſe tùm, quando lex per Moyſen promulgata eſt? Si hoc nullus dixit; ut quid dicitur non ſequi? Ante legem per Moyſen promulgatam, & ipſæ Gentes, *cùm* Rom. 1. 32. *juſtitiam Dei cognoviſſent* ſpeculativè, eam practicè non obſervantes, tranſgreſſæ ſunt contra legem Dei, contra juſtitiam Dei ſibi cognitam. Et ideò, *Quicunque ſine lege* (Moyſis ſcilicet) *peccaverunt, ſine* Rom. 2. 12. *lege peribunt.* Quomodo autem faciant Gentes, quæ legis ſunt, tradit Apoſtolus: *Cùm enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea,* Ibid. 14. *quæ legis ſunt, faciunt, ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex: qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientiâ ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus.* An Gentes, quæ *ipſis ſibi ſunt lex*, nullam legem habent? An *ea, quæ legis ſunt faciunt*; neſcientes legem, ſecundùm quam ea faciunt? An habent *opus legis ſcriptum in cordibus ſuis*, neſcientes quæ opera lex naturalis exigat? An *teſtimonium reddit illis conſcientia ipſorum*, non dictans, quid ſit faciendum, quid omittendum? An *inter ſe invicem cogitationes accuſant, aut etiam defendunt*, ſine lege naturaliter conſcientiæ impreſſa? Habuerunt igitur Gentes legem naturalem, adverſus quam tranſgredientes, prævaricabantur: ita ut generaliter verum ſit Apoſtoli dictum: *Vbi non eſt lex, nec prævaricatio.* Cùm autem propter multiplicia Gentium peccata, *Obſcuratum* Rom. 1. 21. *eſſet inſipiens cor eorum*, miſerante Domino, lex per manum Moyſis addita eſt, quæ tranſgreſſiones demonſtraret, & accuſaret apertiùs, nec non obligationem ad pœnam, aut ſatisfactionem exponeret.

CXXXIV. Rom. 5. 13. *Vſque ad legem peccatum erat in mundo*; peccatum nimirùm originale, & actuale extabat; imò, ſi vis, expiationem flagitabat, vel potiùs, expiatione indigebat. *Peccatum autem non imputabatur, cùm lex non eſſet:* hoc eſt, non tam grave cenſebatur, quòd ejus gravitas per legem apertiùs demonſtraretur. Non eſt

autem Cenſus, quem Coccejus ponit: *diſſimulatur, toleratur, non vindicatur*: (quæ ferè ſufficerent ad juſtificandos omnes, qui vixerunt antè legem, juſtificatione reformatâ) cùm vel ex ſolo diluvio pateat, peccata ante legem commiſſa, ſine diſſimulatione, ſine toleratione fuiſſe vindicata: quàmvis libenter fateamur, frequentiorem fuiſſe poſt legem vindictam.

CXXXV. Admiranda eſt propoſitio, *ubi lex non eſt, ubi ceſſat illud dictum*, Qui faciet illa, vivet in eis, *&*, Maledictus omnis, *&c. tum demùm* non eſt tranſgreſſio, *hoc eſt, condonata, amota, in fundum maris projecta eſt.* Ponamus, ceſſare illud dictum, *Qui faciet*, &c. *Maledictus*, &c. an propterea nulla lex eſt naturalis, contra quam fiat tranſgreſſio? Si non eſt tranſgreſſio, quomodo condonata eſt tranſgreſſio, quomodo amota, quomodo in fundum maris projecta? Ubi nulla lex eſt, ubi ceſſat illud, *Maledictus omnis*, &c. tum demùm non eſt tranſgreſſio: Ergò nec eſt quod condonetur, quod amoveatur, quod in fundum maris projiciatur. Si eſt tranſgreſſio, & ideò dicatur non eſſe, quòd amoveatur: ergò, amotâ tranſgreſſione, non hæret in juſtificatis & ſanctificatis formale peccati; quod tamen Reformati volunt. Si eſt tranſgreſſio, & ideò dicatur non eſſe, quòd in fundum maris ſit projecta: ergò, projectâ tranſgreſſione in fundum maris, non hæret in juſtificatis & ſanctificatis formale peccati; quod tamen volunt Reformati.

CXXXVI. Admiranda etiam eſt parentheſis: Ubi ceſſat illud dictum, Qui faciet, &c. Maledictus, &c. (*Cui ſententiæ in Chriſto mortui ſumus per legem*) tum demùm non eſt tranſgreſſio. An mortui ſumus illi ſententiæ *per legem?* quâ Scripturâ dictante? An illi ſententiæ *in Chriſto* mortui ſumus *per legem?* quâ auctoritate teſtante? Abſurda hæc ſunt, & inter Chriſtianos inaudita. Et tamen ab iſto inſtructore audimus: *Hæc ſi intelligere curarent Walenburgii, & alibi minus errarent, & hîc non ineptis ſophiſmatibus ſe jactarent.*

Ibid. n. 18. CXXXVII. Coccejus 2. *Quid enim? an non fuit peccatum, antequam lex per Moſen traderetur? An non gentes, quæ legem non habent, ſibi ipſis ſunt lex? An non cujuſque peccata pleraque in tabulis cordis ſui ſunt ſcripta. Reſp.* Ergò legem aliquam tranſgrediuntur, qui ſine lege Moyſis peccant: Ergò dictum Apoſtoli eſt generale: *Ubi non eſt lex, nec prævaricatio.*

Ibid. n. 19. CXXXVIII. Coccejus 3. *Fatemur, quod cum dictamine conſcientiæ & revelata Dei voluntate non pugnat, id licitè in nomine Dei, cum charitate,*

ritate, ad finem utilem & Deo glorioſum fieri poſſe. Fatemur, hoc credendum eſſe. Nam quid credit, qui non credit, Deo obediendum, & omnia, quæ noſtræ electionis ſunt, in nomine ipſius ita, ut diximus, agenda eſſe. *Reſp.* Vera doctrina: noſtræque conformis.

CXXXIX. Coccejus 4. *Fatemur, quæ generali præcepto vel inſtitutione nituntur, generoſæ voluntatis lubentia & εὐδοκίᾳ rectè exerceri modo quam decentiſſimo & ſtudioſiſſimo.* *Reſp.* Iterùm vera doctrina. *Ibid. n. 20.*

CXL. Coccejus 5. *Ita Abrahamus (nam intueamur exempla) decimis honoravit Melchiſedeci ſacerdotium, & Deum altiſſimum, & in typo filium Dei: Iob obtulit holocauſta pro filiis. (Dederat enim Deus patribus ſacrificia, ut ſignacula futuræ reconciliationis; & charitas poſtulabat, ut pro filiis & cum filiis Deum deprecaretur) Rechabitæ ob fidem comminationum divinarum de populi migratione futura, & ut eam levius ferrent, paternæ voluntati & conſilio, ne domos haberent, vineas, agros colerent, liberè paruerunt. Laudati, quod utiliſſimum patris conſilium & verbum Dei non contemnerent. Primi Chriſtiani omnia ſine lege & neceſſitate habuerunt communia, hoc eſt, ſua liberaliter ad neceſſitatem fidelium ſive viduarum, pauperum, propter Dei nomen perſecutionem patientium, in verbo laborantium, conferebant, ne Eccleſiæ plantatio adminiculis deſtitueretur. Idque charitatis ἱλαρότητι fecerunt. Et nemo putarit ſe plus debito facere. Paulus virginibus conſilium dat, ut manerent, ſi poſſent, virgines, ut ἀμέριμνοι eſſent propter neceſſitatem inſtantem: ut levius ferrent crucem propter nomen Chriſti ſubeundam, & Eccleſias tenuiores non gravarent. Charitatis & prudentiæ eſt ſe quam expeditiſſimum ad regnum cœlorum promovendum exhibere, & proximis, quantùm poteſt, miniſtrare.* *Reſp.* Non inutilis narratio, noſtra confirmans. *Ibid. n. 21.*

CXLI. Coccejus 6. *Hæ omnes actiones licitæ fuerunt fructus fidei & charitatis, & gratæ Deo θυσίαι. Sed nihil in his, ad quod non conſcientia & animus in Deum rectus & præceptum de amando Deo & proximo ducat. Nihil in his, quod ſanctorum invocationi & venerationi reliquiarum ſimile ſit. Nihil quod defendat legiſlationem Eccleſiæ Romanæ, ut faciat peccatum ex non peccato, neceſſarium ex libero, cultum ex non cultu: & talia præcepta pro libitu imponat & relaxet: & conſcientias oneret atque intricet, &* poſitivè credi *velit hoc ſibi licere: atque adeò non credentes, multo magis negantes, anathemate feriat.*

CXLII. *Reſp.* Si omnes iſtæ actiones ſuprà memoratæ, Coccejo laudatæ, ſunt licitæ, imò fructus fidei & charitatis; etiamſi non inveniatur inſtitutio divina, mandatum, vel exemplum: unde invoca-

vocatio Sanctorum, aut veneratio reliquiarum erit illicita? Non agimus de legiſlatione, non de cultu; & ideò fruſtrà illa dicuntur, & quæ apud Coccejum ſequuntur *Ibid. n.* 23. 24.

Proſecutio.

CXLIII. Propoſitio 4. *Credendum eſt, omnes articulos morum, ab*
Rom. 8. 28. *Eccleſia Catholica propoſitos, eſſe utiles.* Probatur 1. *Diligentibus Deum omnia coöperantur in bonum.* & ſub iſta univerſalitate omnes paſſiones
1*Cor.* 10. 31. continentur, & utilitas deſignatur. 2. *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis: omnia ad gloriam Dei facite.* Hinc S. Maximus dicit: (Hom. de diverſ. Hom. 2. de non tim. hoſt. pag. 241. A.) *Qui eſt igitur utilis Chriſtianus, ſemper debet Patri ac Domino ſuo laudes dicere, & in ejus gloriam omnia procurare. Sicut ait B. Apoſtolus dicens: Sive mandu-*
1*Petr.* 4. 11. *catis, &c.* Item: *In omnibus honorificetur Deus per Ieſum Chriſtum.*
1*Reg.* 2. 30. Utile autem eſſe honorare Deum, teſtatur ipſe Deus: *Quicunque honorificaverit me, glorificabo eum.* Item: (Proverb. 7. 1.) *Honora Do-*
Pſal. 1. 3. *minum, & valebis.* 3. De juſto legitur: *Omnia quacunque faciet, proſperabuntur:* ubi utilitas oſtenditur in omnibus actionibus à juſto pro-
1*Cor.* 16. 14. cedentibus. 4. Ecce mandatum: *Omnia veſtra in charitate fiant.* Quæ eſt utilitas charitatis? *Ego diligentes me diligo,* inquit divina ſapientia, *ut ditem diligentes me, & theſauros eorum repleam.* Prov. 8. 17. 21.

CXLIV. Itaque ex inſtitutione divina actiones morum licitæ
Luc. 7. 3. ſunt fidelibus utiles. Videamus exempla. 1. Centurio mittit Judæos ad Chriſtum, & beneficium poſtulat. Ubi ſpeciale mandatum, in-
Ibid. v. 10. ſtitutio divina, vel exemplum? Et tamen beneficium ſanitatis im-
Matt. 9. 20. petravit ſervo ſuo. Hæc utilitas eſt. 2. Mulier, quæ ſanguinis flu-
21. xum patiebatur, quærens ſanitatem, tetigit fimbriam veſtimenti Chriſti. Ubi ſpeciale mandatum, inſtitutio divina, vel exemplum?
Act. 19. 12. Et tamen beneficium ſanitatis impetravit. Hæc utilitas eſt. 3. Sudaria & ſemicinctia S. Pauli deferebantur ad ægrotos, ut ſanitatem obtinerent. Ubi ſpeciale mandatum, inſtitutio divina, vel exemplum? Et tamen beneficium ſanitatis impetrabant. Hæc utilitas eſt.
Act. 5. 25. 4. Infirmi quærebant obumbrari ſaltem umbrâ Petri, ut ſanarentur. Ubi ſpeciale mandatum, inſtitutio divina, vel exemplum? Et ta-
Matth. 14. men ſanati ſunt. Hæc utilitas eſt. 5. Omnes malè habentes in terra
36. Geneſar, rogabant Chriſtum, ut vel fimbriam veſtimenti ejus tangerent. Ubi ſpeciale mandatum, inſtitutio divina, vel exemplum,
quod

quod habebant in Scriptura? Et tamen quicunque tetigerunt, ſalvi facti ſunt. Hæc utilitas eſt. Similia, quæ in Scripturis ſunt obvia, oſtendunt utilitatem in actionibus morum licitis, quæ fiunt intuitu religionis; licèt nec ſpeciale mandatum, nec inſtitutio divina, nec exemplum præceſſerit.

CXLV. Nonnulla ad hanc propoſitionem ſcribit Coccejus; ſed quæ ad rem non facere, videbit lector ex reſponſis ad objecta contra præcedentem propoſitionem. *Diſp.* 49. *n.* 25. 26.

CXLVI. Propoſitio 5. *Credendum eſt, ordinationes morum ab Eccleſia Catholica conſtitutas, eſſe etiam præceptas ex inſtitutione divina.* Probatur 1. *Omnia autem honeſtè & ſecundùm ordinem fiant in vobis.* Quod cùm generaliter præceptum ſit (ſunt enim verba imperativa & directa) etiam concernit omnes particulares ordinationes morum, vel pro honeſtate, vel pro debito ordine ſervitii divini. 2. *Omnia ad ædificationem fiant.* Ubi comprehendi particulares morum ordinationes, per ſe patet. 3. Bucanus docet de conſtitutionibus Eccleſiaſticis, v.g. Cœnam Domini à jejunis percipiendam; in genibus nudoque capite orare; Sacramenta non ſordidè, ſed cum aliqua dignitate adminiſtrare; in ſepeliendis mortuis, nuptiiſque benedicendis ſervare honeſtatem; dies, horas, loca certa ad hymnos, precationes, conciones, &c. habere; quòd *quoad Genus, id eſt, decorum illud nobis præceptum, divina ſint.* & illud probat ex textu Scripturæ, quem priore loco adduximus. Meiſnerus autem idem probat ex textu Scripturæ, quem poſteriore loco allegavimus. 2. *Part. Philoſ. ſobr. pag.* 15. Calvinus priore textu utitur, & idem probat, *lib.* 4. *Inſtit. cap.* 10. §. 27. *&* 30. *& in* 1 *Cor.* 14. 40. Zanchius, *Tom.* 4. *de leg. Dei. tit. de tradit. th.* 3. *col.* 202. Crocius, *Tom.* 1. *comr.* 5. *ſect.* 3. *n.* 18. *pag.* 615. Calixtus, *Epit. Theol. in Proleg. pag.* 42. Conf. Helv. poſt. *art.* 18. *pag.* 63. 1 *Cor.* 14. 40. *L. quoniam. C. de teſtam.* 1 *Cor.* 14. 26. *Loc.* 43. §. 19.

CXLVII. Hinc dicimus, divinam eſſe honeſtatem, quam Eccleſia Catholica ſervat in Sacramentorum adminiſtratione, in templorum ornatu, in officio divino, in ſanctiſſimo Miſſæ ſacrificio, aliiſque ad honeſtatem facientibus. Dicimus, ordinem Eccleſiæ eſſe divinum, de annua confeſſione & communione, de feſtis, jejuniis, &c.

CXLVIII. Quæ ad præmiſſam propoſitionem ſcribit Coccejus, cùm vel ad declamationem pertineant, vel ad rem non faciant, prætermus. *Diſp.* 50. *n.* 1. 2. 3. 4.

Digitized by Google

CXLIX. Propoſitio 6. *Vt operatio moralis dicatur ex fide Catholica licita, non eſt neceſſe, ut judicium ſpeculativum, talem operationem præcedens, ſit abſolutè, vel ex fide Catholica certum & indubitatum, ſed ſufficit certitudo moralis & probabilis.* Explicamus: Omnem actum voluntatis honeſtum præcedere debet duplex judicium; unum ſpeculativum, quo res judicatur vera, v. g. ſi agitur de contractu ineundo, debeo judicare, eum contractum eſſe juſtum: & hoc judicium remotè ſolùm dirigit operationem. Alterum judicium immediatè practicum, quo judico, me in his circumſtantiis poſſe honeſtè inire talem contractum. Sufficit prius judicium eſſe probabile, etſi adſit probabilitas in contrarium. Secundum autem debet eſſe moraliter certum ſeu evidens: ſi enim dubito, pecco. Sed dubitatio nulla eſt, quin liceat inire contractum probabiliter certum: nec enim, an ſit juſtus à parte rei, ſemper ſciri poteſt.

P. Coninck. *de fid. diſp.* 23. *dub.* 1. *n.* 6.

CL. Nota tamen, in rebus fidei non ſufficere motivum, vel judicium præcedens probabile tantùm, ut voluntas ſubjiciat intellectum in obſequium fidei: quia nihil eſt fide divinâ credendum, de quo non abſolutè conſtet, eſſe revelatum à Deo. Nec prudenter, & ſine dubitatione præbetur aſſenſus, ſi probabiliter dubitetur.

Epiſt. 118. CLI. Nunc applicemus. Rectè S. Auguſtinus: *Si quid tota per orbem frequentet Eccleſia, hinc quin ita faciendum ſit diſputare, inſolentiſſima inſania eſt.* Et quare tam acriter perſtringit eos, qui actiones morales, per totam Eccleſiam approbatas, in dubium revocant? Nonne quia ſufficit ad licitam operationem moralem judicium ſpeculativum præcedens eſſe probabile? Profectò turpiſſimæ inſaniæ eſt, actiones totius Eccleſiæ in dubium revocare, quæ motivo probabili defendi poſſunt. An omnes Catholicos tam ſtultos habent, ut aliquid ubique obſervent, quod non nitatur motivo probabili? Itaque
Dan. 13. 48. de Adverſariis noſtris licet dicere: *Sic fatui filii Iſraël, non judicantes, neque quod verum eſt cognoſcentes, condemnaſtis filiam Iſraël?* imò totam Eccleſiam Catholicam?

De propoſitione ſexta.

Diſp. 50. *n.* 6. CLII. Totus Catholicus eſt Coccejus, quando ſcribit ad n. 48. *Proprium objectum fidei eſt teſtimonium Dei (hoc enim credimus) & Deus & Chriſtus, huic enim credimus, & in hunc atque in ipſius nomen credimus. Evidentia revelationis teſtimonii divini & manifeſtationis Chriſti requiritur*

non

non talis, qualis & hoſtes & ignaros nihilque curantes extra dubium collocet, & quæ non ſit conjuncta cum occaſione ſcandalizationis multorum ſapientum & prudentum; ſed quæ per fortiſſima argumenta dociles Dei & attendentes verbo ejus ita confirmet, ut, etiamſi multis multorum oblocutionibus ſatisfacere non poſſint, ita tamen inhæreant veritati, ut non dubitent, nihil ei ſolidè opponi poſſe: atque ita ſuas ratiocinationes compeſcant, aliorum contemnant. Pergit: *Ita Nathanaël, ita reliqui pii Chriſti diſcipuli in Chriſtum crediderunt promptè & prudenter, quum pauca ſecundùm prophetiam argumenta & indicia veri Chriſti in eo animadvertiſſent: etiamſi non per omnia ipſorum cogitationibus & ſcrupulis eſſet ſatisfactum.* In cæteris, à Coccejo, ad iſtam propoſitionem dictis, mera eſt confuſio: pergimus. *Ibid. n. 7.*

Proſecutio.

CLIII. Propoſitio 7. ex dictis ſequitur, quòd *Praxis moralis Eccleſiæ Catholicæ, de fide licita & utilis, non deſinit judicium ſpeculativum, quod ea praxis ſupponit, eſſe abſolutè, vel ex fide Catholica, certum & indubitatum.* v. g. pro invocatione Sanctorum affert S. Auguſtinus hoc judicium ſpeculativum: *Quemadmodum opitulentur Martyres iis, quos certum eſt per eos adjuvari?* & poſt alia dicit: Poſſe fieri iis *generaliter orantibus pro indigentia ſupplicantium, ſicut nos oramus pro mortuis: quibus utique non præſentamur, nec ubi ſint, vel quid agant ſcimus.* 2. Alii volunt ſufficere, quod Deus ſciat nos implorare interceſſionem Sanctorum: quia finalis intentio ſupplicantium eſt, opem à Deo obtinere. 3. Alii dicunt, Sanctos cognoſcere preces ſupplicantium ex divina revelatione; nec fundamento carent: quia perfectiora dona largitur Deus Sanctis in cœlo, quam in terra: quod & ponderat S. Auguſtinus. (*lib. 22. de Civit. Dei. cap. 29. col. 1528.*) Scimus autem Sanctis, in terra exiſtentibus, multa abſentia eſſe revelata. *Lib. de cura pro mort. cap. 16. Tom. 4. pag. 293. D. S. Gregorius. lib. 4. Dialog. cap. 33. Tom. 3. pag. 332.*

CLIV. Alii 4. putant, Deum ſibi non reſervaſſe omnem cognitionem cordium: patet enim, quòd per verba, uti & per Scripturam poſſimus cogitationes noſtras aliis aperire. Angelos etiam poſſe aperire ſuas cogitationes aliis Angelis, non eſt dubium. Et cur Angeli, Sanctique æquales Angelis, etiam remoti ab invicem, non poſſent ſibi mutuo aperire cogitationes ſuas? Oculus noſter videt ſtellas altiſſimas: & cur Angeli, Sanctique non cognoſcerent preces noſtras, quas ad ipſos dirigimus? Non propterea erunt omniſcii: quia

 non

Digitized by Google

non cognoſcent cogitationes, quæ ad ipſos non diriguntur; Deus autem, ex natura ſua, & neceſſariò omnes omninò cognoſcit. Hanc cognitionem Deo propriam, Angelis Sanctiſque tribuere, impium foret: illam non eſſe negandam, valdè probabile eſt: ſunt enim operationes Sanctorum Angelorum independentes à phantaſia: & ſi nos habemus modum per literas aperiendi cogitationes noſtras abſentibus, longeque diſtantibus; quæ ratio ſuadet, omnem communicationem à diſtantibus ſanctis removere? Si verò diſtantes cogitationes cognoſcunt, nihil impedit, quò minùs cognoſcant preces ad ſe directas.

CLV. Quibus poſitis, nonne illi temerarii ſunt, ſibique ſuprà modum fidentes, qui in adductis judiciis ſpeculativis, pro invocatione Sanctorum facientibus, nullam agnoſcunt probabilitatem, ut ipſam Sanctorum invocationem condemnent? Diximus, ſufficere judicium ſpeculativum probabile, ut actio moralis ſit licita: nunc autem addidimus, praxin non eſſe definitivam judicii ſpeculativi, tanquam abſolutè certi. Atque ideò non licet arguere ex praxi univerſalis Eccleſiæ de invocatione Sanctorum, eſſe articulum fidei Catholicæ; *quod Sancti ſciant preces noſtras*. De hac ſcientia Sanctorum non conſtat nobis ex decreto alicujus Concilii generalis: conſtat tamen certò, ex ſenſu communi fidelium; licèt non ita certò, ut ſufficiat ad articulum fidei Catholicæ. In Controverſiis de Sanctis dabitur locus probandi eam certitudinem.

CLVI. Quantò graviùs errant aliqui ex Adverſariis noſtris, volentes praxin quorundam Catholicorum in recitando officio, & celebrando feſto de immaculata conceptione Divæ Virginis, eſſe definitivam immaculatæ conceptionis: nam illa praxis non eſt univerſalis Eccleſiæ, nec eſt definitiva immaculatæ conceptionis; licèt ſupponat judicium ſpeculativum probabile de immaculata conceptione, ut praxis ſit licita.

CLVII. Propoſitio 8. *Decreta morum, ab Eccleſia univerſali conſtituta, mutatis circumſtantiis, mutari poſſunt, uti etiam judicio ſpeculativo probabili magis diſcuſſo.* Mutatis circumſtantiis, mutari poſſe decreta morum, nullus dubitat. v. g. Eccleſia antiqua dedit communionem ſub utraque ſpecie: nunc datur ſub una. Eccleſia Apoſtolica prohibuit ſuffocatum; poſteà fuit ab Eccleſia permiſſum. Motivum prohibitionis Apoſtolicæ dependebat à circumſtantiis; quibus mutatis, tolli potuit prohibitio. Nunc Eccleſia prohibet communio-

Digitized by Google

munionem ſub utraque ſpecie, idque convenienter, ut oſtendat non eſſe præceptum Chriſti populo datum, de ſumenda Euchariſtia ſub utraque ſpecie: ceſſante hâc cauſa, aliiſque ad prohibitionem impellentibus, poteſt tolli prohibitio; ſicut olim nulla fuit prohibitio. Interim eſt fidei Catholicæ, talia decreta eſſe juſta & æqua: & hæc veritas eſt immutabilis, licèt ipſa decreta ſint mutabilia.

Vid. ſimile in S. Auguſt. *Epiſt.* 86. *ad Caſul. ultrà med. Tom.* 2. *pag.* 147. *D.* & 148. *D.*

CLVIII. Agnovit hanc veritatem Bucanus; dicens de conſtitutionibus Eccleſiaſticis, quod *quoad genus, id eſt decorum illud omnibus nobis præceptum, divina ſint, ſed quoad ſpecialem formam ſint humana ac mutabiles.* Meiſnerus etiam fatetur, ritus Eccleſiaſticos, ob variationem circumſtantiarum, mutari poſſe. 2. *Part. Phil. ſobr. pag.* 15. Vid. Diſcipl. Gall. *cap.* 4. *art.* 33. Middelb. *art.* 69. *& in concl. ad interrog. ibid.* & *in Synod. Nation. Haga. art.* 79. Conf. Angl. poſter. *art.* 34. *pag.* 134. Scotic. *art.* 20. *pag.* 152.

Loc. 43. §. 19.

CLIX. Eodem modo, quando decretum Eccleſiæ ſupponit judicium ſpeculativum probabile tantùm; poteſt Eccleſia, re magis diſcuſſâ, diverſam à priore probabilitatem amplecti, & decretum mutare. Ita Vaſquer, cùm docuiſſet, & probaſſet, *Sacrificium Miſſæ ſuapte naturâ & inſtitutione divinâ ſeu Chriſti pro non baptizatis offerri non poſſe, nec unquam potuiſſe, ſive illi catechumeni ſint, ſive omninò infideles, pagani, aut Iudæi, tametſi publicæ orationes pro iis fieri poſſint, prout Eccleſia permiſerit*, objeciſſetque ſibi, *aliquando id factum in Eccleſia, ſeu Sacrificium pro ipſis catechumenis offerri conſueviſſe*, probaſſetque ex libro, qui dicitur ordo Romanus cap. 2. poſt primam ad objectionem reſponſionem, addit: *Cæterùm reſpondere quis poteſt, quod attinet ad eſſentiam & ſubſtantiam Sacramentorum, Eccleſiam ſemper eam doctrinam dictis & factis probaſſe, quæ certa & indubitata eſt; at verò quod attinet alia accidentaria, non omninò indubitatam, ſed* PROBABILEM *opinionem aliquando in praxi ſecutam, aliquid feciſſe, tametſi non tanquam certum dogma fidei declaraverit; & hac de cauſa tunc ex præſcripto Romani Pontificis miſſam pro catechumenis obtuliſſe, nunc eam non offerre, cùm neque publica oratio pro illis permanſerit, niſi in die Paraſceves, quando nullum in Eccleſia ſacrificium offertur.* & paulò poſt: *Quid igitùr mirùm, ſi antiquitus Eccleſia ſecuta probabilem opinionem de oblatione hujus ſacrificii pro catechumenis, pro illis miſſam celebraverit, nunc autem nullam offerat.* Quod dicit Vaſquer factum ex decreto Pontificis, fundato in opinione probabili, ſimiliter fieri poteſt in decretis morum univerſalis Eccleſiæ, & praxi univerſalis Eccleſiæ. Sequitur Bellarminus: *Decreta Conciliorum non*

3 *Part. diſp.* 227. *cap.* 3.

Lib. 2. *de Conc. cap.* 17.

Digitized by Google

indigent approbatione populi, cùm ab eo non accipiant auctoritatem. Decreta verò de moribus, ſi non recipiantur, & Pontifex conniveat, tandem conſuetudine abrogantur, quia decreta morum mutabilia ſunt, & cum Pontifex videt ea longo tempore non ſervari, & tacet, cenſetur ipſe abrogare. At decreta de fide immutabilia ſunt, nec poſſunt ullo modo abrogari, poſtquam ſemel ſtatuta ſunt. Vid. Petr. Cluniac. *epiſt.* 8. *lib.* 3. *apud. Hol.* Tom. 1. *cap.* 29. *pag.* 388.

§. 12.

Declaratio doctrinæ Catholicæ de articulis morum ex ſententiis Adverſariorum.

CLX. Dicunt 1. *In ritibus, precibus publicis, & jejuniis particularium Eccleſiarum poſſe eſſe diverſitatem.* Vide Conf. Helv. poſter. *in Præfat. & art.* 23. 24. *&* 27. Helv. pr. *art.* 25. Czengr. *art. de lege.* Angl. poſter. *art.* 24. Scot. *art.* 20. Belg. *art.* 32. Conſen. Polon. *anni* 1570. Auguſt. *de diſcrim. cibor.* Saxon. *art* 20. Wirtemberg. *de jejunio: & de Carem. Eccl.* Bohem. *in fine Præfat.* Remonſtr. *cap.* 23. §. 7. *&* 8.

CLXI. Dicunt 2. *Ritus & conſuetudines ad alendam concordiam & obedientiam ſubditorum inſtitutos, eſſe ſervandos, & eos qui publicè tranſgrediuntur, peccare ob ſcandalum.* Atque hinc dicunt, eos eſſe corrigendos, qui inter orandum non aperiunt caput, aut non flectunt genua. Diſcipl. Gall. *cap.* 10. *art.* 1. Conf. Helv. poſter. *art.* 24. *pag.* 77. Angl. pr. *art.* 34. Gall. *art.* 33. Auguſt. *art.* 35. Bucan. *de libertat. Chriſtian. loc.* 33. §. 15.

Art. 24. CLXII. Dicunt 3. in Confeſſ. Angl. poſter. *Traditiones & cæremonias Eccleſiaſticas, quæ cum verbo Dei non pugnant, & ſunt auctoritate publica inſtituta atque probatæ, quiſquis privato conſilio volens & datâ operâ*

Cap. 14. *publicè violaverit*, &c. Conf. Argent. dicit, ſe nullas traditiones humanas damnare, niſi *quæ cum lege Dei pugnant.* Deinde addit; ſi quid inſtituitur ob bonum Eccleſiæ, id potiùs divinum eſſe, cùm ex præcepto dilectionis dimanet; hoc qui rejicit, non hominum, ſed Dei, cujus traditio eſt, quæcunque utilis eſt, contemnit, &c. Conf. Auguſtana vult ritus ſervari, qui ſine peccato ſervari poſſunt. *Art.* 15.

CLXIII. In his tribus nulla eſt difficultas, cùm ea ſemper admiſerit Eccleſia Catholica: illud etiam eſt emolumenti, quòd Adverſarii audiendi non ſint, clamantes contra cæremonias & conſuetudi-

tudines Romanæ Eccleſiæ, niſi velint oſtendere, eas cum verbo Dei pugnare, & ſine peccato ſervari non poſſe.

CLXIV. Dicunt 4. *Impetrationem juſtitiæ removendam eſſe à legibus humanis, nec putandum, gratiam aut meritum ex obſervatione provenire.* Conf. Helv. poſter. *art.* 24. Argent. *cap.* 21. Auguſt. *de tradit.* Wirtemb. *de jejunio.* Saxon. *art.* 20. Remonſtr. *cap.* 23. §. 7.

CLXV. Quid de hac re ſtatuendum ſit, examinabimus, Deo dante, in materia de Meritis bonorum operum: nam in hoc Tractatu non eſt proprius ejus locus. Interim videatur Thom. Henr. *in Anatom. Conf. Auguſt. ad art.* 18. *de ritib. Eccl. concl.* 2.

CLXVI. Dicunt 5. *Obligationem conſcientiæ removendam eſſe à legibus humanis Eccleſiaſticis.* Conf. Gall. *art.* 33. Belg. *art.* 32. Auguſt. *art.* 15. *& de tradit.* Saxon. *art.* 20. Melanchton, *in loc. comm. de cærem. huma. pag.* 624. & *Exam. ordinand. de Chriſtian. libert.* De hac materia agemus in controverſiis particularibus.

CLXVII. Dicunt 6. *Cultum Dei removendum eſſe à legibus humanis, nec putandum, quod Deus colatur earum obſervatione.* Conf. Gall. *art.* 33. *pag.* 109. Baſil. *art.* 10. Belg. *art.* 32. Argent. *art.* 8. *&* 14. Auguſt. *art.* 15. *& de tradit.* Saxon. *art.* 20. Helv. poſter. *art.* 2. *&* 5. Melancht. *Exam. ordinand. de Chriſtian. libert.*

CLXVIII. Quia hæc materia exiguam difficultatem habet, eam hoc loco expediemus. Agimus de articulis morum, quos Eccleſia ſtatuit obſervandos; v.g. quoad celebrationem feſtorum, cæremonias Miſſæ, & ſimilia. Quæritur; An iis colatur Deus? Negant Adverſarii communiter; ſed texunt inutilem de ſolo nomine quæſtionem: cùm fateantur dari *cæremonias in cultu divino*, ab Eccleſia inſtitutas. Zanchius, *Tom.* 4. *lib.* 1. *de leg. tit. de tradit. th.* 1. *col.* 201.

CLXIX. Quid enim eſt cultus Dei? 1. alias quidem ex natura ſua eſt talis; v.g. exercitium virtutum Theologicarum, oratio ad honorem Dei. 2. Alius ex inſtituto Dei; v.g. prædicatio verbi Dei, adminiſtratio & ſuſceptio Sacramentorum. 3. Alius ex inſtituto Eccleſiæ; v.g. celebratio feſtorum, cæremoniæ Miſſæ. Et de hoc poſteriori eſt tota difficultas. Doceant Adverſarii, talia non eſſe dicenda cultus Dei: nos enim prohibitionem non invenimus. Meminerint tamen, dici in Conf. Bohem. feſta celebrant, *cultus divini gratiâ: & feſtos dies Beatæ virginis, ad Dei laudem & gloriam honorificè celebrant.* Meminerint Lutherani, hanc Confeſſionem eſſe approbatam à Luthero, Melanchtone & aliis; ac videant, quo fundamento

Conf. Saxon. *art.* 20. *pag.* 119.

Art. 15.

ratio-

Digitized by Google

rationem cultus à legibus humanis removeant: & nos idololatriæ ex hoc capite accuſent. *Ordin. Eccl. Neoburg. part.* 1. *fol.* 38.

Art. 24. *pag.* 77. CLXX. Recogitent Reformati, dicere Conf. Helv. poſter. *Videmus in Eccleſiis vetuſtis, non tantùm certas fuiſſe horas in ſeptimana conſtitutas cœtibus, ſed ipſam diem Dominicam ab ipſis Apoſtolorum temporibus, iiſdem ſacroque ocio fuiſſe conſecratam: quod etiam nunc rectè propter cultum & charitatem, ab Eccleſiis noſtris cuſtoditur.* Si ergò dies Dominica ſervatur *propter cultum*; quòd tamen non eſt inſtitutionis divinæ; quid habent Adverſarii, quod nobis opponant? Nonne ibidem addit eadem Confeſſio: *Dominicam, non Sabbatum, liberâ obſervatione celebramus?* Si ſit libera obſervatio; quomodo eſt cultus; niſi & ipſe *Ibid. pag.* 78. cultus ſit liber? Dicit quidem iſta Confeſſio: *Pertinent feriæ ad tabulam legis primam, & ſunt ſolius Dei.* Sed undè inferent, certas ferias eſſe tenendas ad cultum Dei; determinationem autem feriarum eſſe in poteſtate Eccleſiæ. Si hoc rectè inferunt: & nos rectè inferemus, ab Eccleſia poſſe determinari feſta ad cultum Dei, ut Deus honoretur in memoria hujus, vel illius Sancti. Eadem Confeſſio fatetur, *Ibid.* *Non inutiliter Sanctorum memoriam, ſuo loco & tempore, in ſacris concionibus populo commendari, & omnibus ſancta exempla Sanctorum imitanda proponi.* Similiter cultum in cæremoniis Eccleſiæ videtur agnoſcere Conf. Angl. pr. *pag.* 122.

CLXXI. Advertant, an ipſum, quem agnoſcunt cultum, non *Apol. Conf. Ang. ad art.* 15. ſubvertant, dicentes: *Apud adverſarios canunt Pſalmos, non ut diſcant aut orent* (contrarium eſt verum) *ſed cultus cauſa: quaſi illud opus ſit cultus.* Verùm ſi relata ad Deum oratio non ſit cultus; quis ſupererit in Eccleſia cultus, niſi ſolus internus? Meminerint Reformati, ſe in Polonia iniviſſe communionem cum Bohemicis, ſalvâ eorum communione; atque adeò non poſſe ab iis damnari, quod ea Confeſſio probat. Hoc itaque illis incumbit docendum: *Eſſe liberum credere, cæremoniarum & feſtorum obſervationem eſſe, vel non eſſe cultum Dei.* & tamen (ſiquidem propterea à nobis receſſerint) Catholicos docentes in iis eſſe cultum Dei, errare in articulo ad ſalutem neceſſario. Qualia portenta! Cum Remonſtrantibus nulla hîc nobis lis eſt, uti patet ex Conf. Remonſtr. *cap.* 23. §. 7.

CLXXII. Adverſarii ad cultum requirunt mandatum Dei, ſeu inſtitutionem divinam. Dicunt, ea opera propriè dici cultum, quibus Deus pronunciat ſe honore affici. Melanth. *in loc. comm. de cærem. human. pag.* 624. *& in Exam. ordinand. de invocat.* Ordin. Eccl.

Neo-

Neoburg. *part.* 1. *fol.* 39. Urſinus *q.* 96. *pag.* 588. Conf. Helv. poſt. *art.* 16. *pag.* 48. Dicunt, etiam adiaphora poſſe fieri ex fide, ita ut ea opera Deo placeant; alio tamen modo, quam cultus propriè dictus. Urſinus, *Ibid. pag.* 505.

CLXXIII. Etenim quis non advertit, ſic totam quæſtionem eſſe de nomine; an ſcilicet obſervatio feſtorum, &c. ſit cultus propriè dictus? 1. Nonne legitur de Anna, quod erat *Serviens* die ac noćte in jejuniis & obſervationibus? ubi voce λατρεύουσα denotatur cultus Dei, fatente eo loco Beza. Et tamen jejunium, ſtrićtè loquendo, adhibetur, ut ad cultum Dei, in rebus gravioribus, ſimus promptiores. 2. Habemus mandatum, *coloſſ.* 3. 17. ut omnia in nomine Domini Jeſu Chriſti, & in gloriam Dei 2 *Cor.* 10. 13. faciamus; ut in omnibus 1 *Petr.* 4. 11. honorificetur Deus per Jeſum Chriſtum. 3. Abel *Gen.* 4. 4. obtulit munera Domino, & fuerunt grata: Noë *Gen.* 8. 20. 21. ſacrificavit Deo, & odoratus eſt Dominus odorem ſuavitatis; D. Virgo *Luc.* 2. 41. ibat per ſingulos annos in Jeruſalem in die ſolenni Paſchæ; & tamen præceptum erat ſolis viris datum. *Exod.* 23. 17. *Deuter.* 16. 16. Maria Magdalena lavit, terſit, unxit pedes Jeſu. Hæc fuerunt à Sanćtis facta ad honorem & cultum Dei: ubi legitur mandatum, vel inſtitutio divina? Et tamen laudantur in Scriptura.

Luc. 2. 37.

Card. Contaren. *Conf. art. Luth. art.* 9.

CLXXIV. Neque hîc obſtat: *Sine cauſa colunt me, docentes doćtrinas & mandata hominum.* Loquitur enim eo loco Chriſtus de mandatis verbo Dei contrariis. S. Chryſoſt. *Hom.* 52. *in Matth. Tom.* 7. *pag.* 559. S. Hieron. *in eum locum. Tom.* 6. *pag.* 30. F. S. Irenæ. *lib.* 4. *cap.* 25. *pag.* 342. Et malè Urſinus *Quæſt.* 96. *pag.* 570. vim quærit in eo, quod etiam agatur Matth. 15. 11. de rebus indifferentibus ex natura ſua; *Non quod intrat in os coinquinat hominem.* nam quid hoc facit contra cultum? Quid ſi Chriſtus iis verbis tollat neceſſitatem obſervandi abſtinentias in lege à Deo mandatas? S. Chryſoſt. *loc. cit. pag.* 561. Quid ſi Chriſtus comparativè procedat, velitque mandata Dei magis ſervari? S. Cyrill. Alexandr. *lib.* 3. *in cap.* 29. *Iſa. Tom.* 2. *pag.* 412. Reliquiſtis quæ graviora ſunt legis, judicium & miſericordiam, & fidem. hæc oportuit facere, & illa non omittere. *Mat.* 23. 23. Non intendentes Judaicis fabulis, & mandatis hominum averſantium ſe à veritate. *Tit.* 1. 14. Hanc intelligentiam ſi recuſent Adverſarii, quomodo defendent ſuas cæremonias? Nonne ſunt mandata hominum, & doćtrinæ hominum, quæ cum ſcandalo non ſunt negligendæ?

Matth. 15. 9.

rationem cultus à legibus humanis removeant: & nos idololatriæ ex hoc capite accuſent. *Ordin. Eccl. Neoburg. part.* 1. *fol.* 38.

Art. 24. *pag.* 77. CLXX. Recogitent Reformati, dicere Conf. Helv. poſter. *Videmus in Eccleſiis vetuſtis, non tantùm certas fuiſſe horas in ſeptimana conſtitutas cœtibus, ſed ipſam diem Dominicam ab ipſis Apoſtolorum temporibus, iiſdem ſacroque otio fuiſſe conſecratam: quod etiam nunc rectè propter cultum & charitatem, ab Eccleſiis noſtris cuſtoditur.* Si ergò dies Dominica ſervatur *propter cultum*; quòd tamen non eſt inſtitutionis divinæ; quid habent Adverſarii, quod nobis opponant? Nonne ibidem addit eadem Confeſſio: *Dominicam, non Sabbatum, liberâ obſervatione celebramus?* Si ſit libera obſervatio; quomodo eſt cultus; niſi & ipſe *Ibid. pag.* 78. cultus ſit liber? Dicit quidem iſta Confeſſio: *Pertinent feriæ ad tabulam legis primam, & ſunt ſolius Dei.* Sed undè inferent, certas ferias eſſe tenendas ad cultum Dei; determinationem autem feriarum eſſe in poteſtate Eccleſiæ. Si hoc rectè inferunt: & nos rectè inferemus, ab Eccleſia poſſe determinari feſta ad cultum Dei, ut Deus honoretur in memoria hujus, vel illius Sancti. Eadem Confeſſio fatetur, *Ibid.* *Non inutiliter Sanctorum memoriam, ſuo loco & tempore, in ſacris concionibus populo commendari, & omnibus ſancta exempla Sanctorum imitanda proponi.* Similiter cultum in cæremoniis Eccleſiæ videtur agnoſcere Conf. Angl. pr. *pag.* 122.

CLXXI. Advertant, an ipſum, quem agnoſcunt cultum, non *Apol. Conf. Ang. ad art.* 15. ſubvertant, dicentes: *Apud adverſarios canunt Pſalmos, non ut diſcant aut orent* (contrarium eſt verum) *ſed cultus cauſa: quaſi illud opus ſit cultus.* Verùm ſi relata ad Deum oratio non ſit cultus; quis ſupererit in Eccleſia cultus, niſi ſolus internus? Meminerint Reformati, ſe in Polonia iniviſſe communionem cum Bohemicis, ſalvâ eorum communione; atque adeò non poſſe ab iis damnari, quod ea Confeſſio probat. Hoc itaque illis incumbit docendum: *Eſſe liberum credere, cæremoniarum & feſtorum obſervationem eſſe, vel non eſſe cultum Dei.* & tamen (ſiquidem propterea à nobis receſſerint) Catholicos docentes in iis eſſe cultum Dei, errare in articulo ad ſalutem neceſſario. Qualia portenta! Cum Remonſtrantibus nulla hîc nobis lis eſt, uti patet ex Conf. Remonſtr. *cap.* 23. §. 7.

CLXXII. Adverſarii ad cultum requirunt mandatum Dei, ſeu inſtitutionem divinam. Dicunt, ea opera propriè dici cultum, quibus Deus pronunciat ſe honore affici. Melanth. *in loc. comm. de cærem. human. pag.* 624. *& in Exam. ordinand. de invocat.* Ordin. Eccl.
Neo-

Neoburg. *part.* 1. *fol.* 39. Urſinus *q.* 96. *pag.* 588. Conf. Helv. poſt. *art.* 16. *pag.* 48. Dicunt, etiam adiaphora poſſe fieri ex fide, ita ut ea opera Deo placeant; alio tamen modo, quam cultus propriè dictus. Urſinus, *Ibid. pag.* 505.

CLXXIII. Etenim quis non advertit, ſic totam quæſtionem eſſe de nomine; an ſcilicet obſervatio feſtorum, &c. ſit cultus propriè dictus? 1. Nonne legitur de Anna, quod erat *Serviens* die ac *Luc.* 2. 37. nocte in jejuniis & obſervationibus? ubi voce λατρεύουσα denotatur cultus Dei, fatente eo loco Beza. Et tamen jejunium, ſtrictè lo- Card. Con- quendo, adhibetur, ut ad cultum Dei, in rebus gravioribus, ſimus taren. *Conf. art. Luth.* promptiores. 2. Habemus mandatum, *coloſſ.* 3. 17. ut omnia in no- *art.* 9. mine Domini Jeſu Chriſti, & in gloriam Dei 2 *Cor.* 10. 13. faciamus; ut in omnibus 1 *Petr.* 4. 11. honorificetur Deus per Jeſum Chriſtum. 3. Abel *Gen.* 4. 4. obtulit munera Domino, & fuerunt grata: Noë *Gen.* 8. 20. 21. ſacrificavit Deo, & odoratus eſt Dominus odorem ſuavitatis; D. Virgo *Luc.* 2. 41. ibat per ſingulos annos in Jeruſalem in die ſolenni Paſchæ; & tamen præceptum erat ſolis viris datum. *Exod.* 23. 17. *Deuter.* 16. 16. Maria Magdalena lavit, terſit, unxit pedes Jeſu. Hæc fuerunt à Sanctis facta ad honorem & cultum Dei: ubi legitur mandatum, vel inſtitutio divina? Et tamen laudantur in Scriptura.

CLXXIV. Neque hîc obſtat: *Sine cauſa colunt me, docentes do-* *Matth.* 15. 9. *ctrinas & mandata hominum.* Loquitur enim eo loco Chriſtus de mandatis verbo Dei contrariis. S. Chryſoſt. *Hom.* 52. *in Matth. Tom.* 7. *pag.* 559. S. Hieron. *in eum locum. Tom.* 6. *pag.* 30. F. S. Irenæ. *lib.* 4. *cap.* 25. *pag.* 342. Et malè Urſinus *Quæſt.* 96. *pag.* 570. vim quærit in eo, quod etiam agatur Matth. 15. 11. de rebus indifferentibus ex natura ſua; *Non quod intrat in os coinquinat hominem.* nam quid hoc facit contra cultum? Quid ſi Chriſtus iis verbis tollat neceſſitatem obſervandi abſtinentias in lege à Deo mandatas? S. Chryſoſt. *loc. cit. pag.* 561. Quid ſi Chriſtus comparativè procedat, velitque mandata Dei magis ſervari? S. Cyrill. Alexandr. *lib.* 3. *in cap.* 29. *Iſa. Tom.* 2. *pag.* 412. Reliquiſtis quæ graviora ſunt legis, judicium & miſericordiam, & fidem. hæc oportuit facere, & illa non omittere. *Mat.* 23. 23. Non intendentes Judaicis fabulis, & mandatis hominum averſantium ſe à veritate. *Tit.* 1. 14. Hanc intelligentiam ſi recuſent Adverſarii, quomodo defendent ſuas cæremonias? Nonne ſunt mandata hominum, & doctrinæ hominum, quæ cum ſcandalo non ſunt negligen-

Digitized by Google

dæ? Vid. Peron. *Repl. au Roy lib. 3. cap. 6. pag. 695.* Zanchium. *Tom. 8. de S. Script. q. 8. col. 369.*

CLXXV. Non obſtat 2. quod cultus Voluntarius (ita enim legunt *Coloſſ. 2. 23.*) cenſeatur illicitus. Agitur enim de cultu, qui caput non tenet, & Angelorum religionem confingit. Talis voluntarius cultus eſt illicitus. Et quis dicat, voluntariam abſtinentiam ex ſe eſſe illicitam, aut ab Apoſtolo, eam alibi commendante, prohibitam? Quis dicat, voluntariam indictorum ab Eccleſia jejuniorum obſervationem eſſe damnandam; cum ipſi Adverſarii merè voluntariam urgeant obſervationem? An proptereà ipſorum jejunia ſunt improbanda? Et tamen agitur dicto loco de abſtinentia *ſecundum præcepta & doctrinas hominum*: ut ſciamus de iis præceptis agi, quibus à Deo abducuntur homines.

Coloſſ. 2. 18. 19. In Conf. Helv. poſter. *art. 16. pag. 48.* *Ibid. v. 22.*

CLXXVI. Non obſtat 3. *Omne autem quod non eſt ex fide peccatum eſt.* & Urſinus: *Qui autem aliquid Dei colendi cauſa facit neſciente vel dubitante conſcientia, an Deus hoc modo coli velit, is non agit ex fide: quia ignorat, an hoc ſuum opus placeat Deo, an verò diſpliceat, & Deum contemnit, eò quòd facere aliquid audet, etiamſi Deo diſpliceat.* Vid. Petr. Mart. *loc. com. claſſ. 2. c. 2. n. 22.*

Rom. 14. 23. *Quæſt. 96. pag. 590.*

CLXXVII. *Reſp.* 1. Nos eſſe certos ex fide, uti diximus. 2. Agit Apoſtolus de comeſtione, vultque credi (uti vobis placet) omnia eſſe munda; & hoc non credentem, peccare comedendo. Quid hoc contra nos? Si requiritur fides, ut non peccemus, quomodo vos docebitis omnes particulares actiones veſtras ex fide deſcendere, niſi nobiſcum idem ſtatuatis? Et hoc agnovit Petr. Mart. eidem loco reſpondens: *Non requiritur neceſſariò, ut in ſacris literis expreſſam mentionem exhibeamus ſingularum rerum quas uſurpamus, id ſatis eſt in univerſum fide cognoſcere, indifferentia non poſſe illos, qui purâ ſincerâque agunt mente atque conſcientiâ contaminare.* 3. Si quod ex fide eſt, peccatum non eſt: quomodo docetis, omnia opera juſti eſſe peccata?

Suprà. §. 11. *Epiſt. 3. pag. 1088.*

CLXXVIII. Inſtabitis: Quomodo invocatio Sanctorum poteſt eſſe licita, ſi de eorum ſanctitate non habemus certitudinem fidei? *Reſp.* Etiamſi non haberemus de Sanctorum ſanctitate certitudinem fidei; ipſa tamen invocatio poſſet eſſe ex fide licita; uti diximus in antecedentibus. Ex fide licita eſt invocatio Sanctorum viventium; de quorum ſanctitate non habemus certitudinem fidei. Ex fide præceptus eſt honor parentum; & tamen filii non habent certitudi-

Digitized by Google

tudinem fidei, quod parentes ipſorum ſint, quos honorant: ſequuntur enim moralem certitudinem, ab humana auctoritate deſumptam.

CLXXIX. Et hæc quidem præcipua ſunt, quæ ab Adverſariis adduci ſolent; magis ut contradicant, quam ut ſolidè aliquid probent. Totum enim hoc negotium tandem eo devolvitur: 1. Quod Eccleſia non poſſit mutare ſubſtantiam cultus à Deo inſtituti. 2. Quod leges Eccleſiæ non obligent conſcientiam; uti patet ex Zanchio. Priori acquieſcimus; de poſteriori agemus in quæſtionibus particularibus. Quid refert, an obſervatio, v. g. feſtorum, ſit cultus Dei propriè dictus, an impropriè? Vocent obſervationem ad honorem Dei inſtitutam: Si enim præceptum ſit, in omnibus honorare Deum; quis non planè litigioſus difficultatem moveat, quod honorare Deum, & colere Deum pro eodem ſumatur. Quis non *verborum appenſor & ſyllabarum examinator, veluti latinè loqui ſciens*, hic litem moveat? *Nimirum hoc jam hominis eſt legem nominibus præſcribentis, non verum dicere inſtituentis.* ut loquitur S. Gregorius Nazianzenus. Cæterùm ipſum Concilium Tridentinum Seſſ. 24. de pœnitent. can. 24. refert cultum Dei ad illud, quod non eſt inſtitutionis humanæ. Undè intelligimus, reliqua laxiore modo à quibuſdam vocari cultus Dei. Imò Eccleſia tradit Regulas, *quomodo in cultu Dei verſandum ſit*, inquit Zanchius, *Tom. 4. lib. 1. de leg. Dei. tit. de tradit. Eccl. th. 1. col. 201.*

Tom. 4. lib. 1. de cultu. cap. 16. q. 4. col. 487.

S. Auguſt. *Tract. 37. in Ioan. Tom. 9. pag. 116. D.*

Orat. 37. *quæ eſt 5. de Theol. Tom. 1. pag. 603. C.*

§. 13.

De diſtinctione articulorum neceſſariorum.

CLXXX. Articuli neceſſarii neceſſitate medii dicuntur, ſine quibus creditis nullus abſolutè, ſecundùm legem Dei ordinariam, ſalvari poteſt. Ratio eſt: quia Deus ea ſtatuit tanquam media, ſine quibus vita æterna obtineri nequeat. Et tales articuli ſunt ſimpliciter neceſſarii; magis quàm ii, qui ſunt tantùm neceſſarii ex neceſſitate præcepti. v. g. ſaltem virtualis pœnitentia eſt neceſſaria ad remiſſionem peccati.

CLXXXI. Articuli neceſſarii neceſſitate præcepti dicuntur, qui ex præcepto divino credi quidem debent; ſed ſine quibus aliqui abſolutè ſalvari poſſunt; habitis ſcilicet neceſſariis neceſſitate medii;

etſi reliqua invincibiliter ignorentur: & tales articuli ſunt, qui concernunt Sacramenta.

CLXXXII. Tandem omnes omninò articuli, ita ſunt omnibus & ſingulis neceſſarii, ut cognitâ propoſitione univerſalis Eccleſiæ, nullus ſine præjudicio ſalutis contradicat: imò poſitâ cognitione veritatis, & erroris, ſi quis alteri aſſenſum præbiturus eſt, neceſſarium eſt ad ſalutem, veritati aſſentiri, non errori.

CLXXXIII. In ſequenti paragrapho dicemus, quinam ſint articuli neceſſarii omnibus & ſingulis, vel neceſſitate medii, vel neceſſitate præcepti. Nec enim putamus neceſſe, ut hæc duo ſeparemus; cùm inter Chriſtianos (ubi ſufficienter & abundanter promulgatum eſt Evangelium Chriſti) nullus ſit, qui non teneatur credere omnes articulos neceſſarios, quos Deus præcepit credi: quicquid tandem ſtatuendum ſit de iſta quæſtione; an fortè inter Chriſtianos ſint aliqui, qui, ob invincibilem ignorantiam, ab aliquibus, ex præcepto divino credendis, poſſint excuſari, & iis non creditis ſalutem obtinere. Quicquid etiam ſit de iis quæſtionibus, quæ verſantur circa ſolos articulos neceſſarios neceſſitate medii, in quibus agitur plerumque ex pia ſententia de divina bonitate, ejuſque miſericordia.

§. 14.

Quinam articuli ſint omnibus & ſingulis neceſſarii.

CLXXXIV. Propoſitio 1. *Ex ſola Scriptura ſufficienter haberi nequit, quinam ſint articuli omnibus & ſingulis neceſſarii.* Probatur. 1. Quia Adverſarii noſtri legerunt Scripturam diligenter; & tamen hactenùs non invenerunt catalogum articulorum neceſſariorum, qui ſufficienter ex ſola Scriptura, ſub illa qualitate, probentur. 2. Quia in ſtatuendis articulis neceſſariis, nec Lutherani cum Lutheranis, nec Reformati cum Reformatis conveniunt. 3. Quia nullum Concilium, nullus Doctor Catholicus unquam dixit, ex ſola Scriptura ſufficienter probari, quinam ſint articuli neceſſarii.

CLXXXV. Dicant ergò nobis, quâ ratione certâ & infallibili inveniuntur articuli neceſſarii? Reſpondent Remonſtrantes: *Ea tantùm ad ſalutem eſſe ſcitu ac creditu neceſſaria, quæ vel ex claris apertiſque Scripturarum verbis, vel per apertam & ſole clariorem conſequentiam neceſſaria eſſe cuivis mentis tantùm ſuæ compoti conſtare poteſt.* Epiſcopius: (Vedel Rhaſp. *Lib.* 1. *cap.* 6. *pag.* 34.)
Cùm

Cùm Evangelium attentè à quoquam legitur vel auditur, poſſe tum abſque ullo ſupernaturali lumine percipi ſenſum omnium, quæ ſcitu, creditu, factu, ſperatu neceſſaria in Evangelio proponuntur. Et è Lutheranis Calixtus: *Quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, inveniuntur in Sacrarum literarum locis perſpicuis & apertis, de quorum ſenſu nemo, qui verba intelligat, ambigere poteſt.* *In Synod. Dordrecht. pag. 123. in fine. vid. pag. 236. Epit. Theol. Part. 1. pag. 39.*

CLXXXVI. At contrà 1. Undè probatur hæc regula? Nullus allegatur textus, in negotio tanti momenti. 2. An vultis ut in verbo veſtro hanc regulam admittamus, qui vos ipſos errori obnoxios eſſe, non diffitemini? Qui totam Eccleſiam Catholicam erraſſe, & etiamnùm errare judicatis? Non expedit. 3. Si tantùm requiratur judicium naturale, ut cognoſcamus in Scriptura articulos neceſſarios, eorumdemque neceſſitatem; quomodo non verum eſt, quod vobis objiciunt Reformati: ſic nihil fore neceſſarium, ex omnibus articulis, unquam in controverſiam vocatis, vel vocandis: qui enim eos in controverſiam vocant, videntur ſibi mentis ſuæ compotes. *Arcan. Arminian. Part. 4. cap. 6.* Neque dicere poteſtis, eos, qui errant in neceſſariis, eſſe paſſionibus præoccupatos; quia tantundem de vobis dicent. Et quis judicabit, voſne, an illi, ſitis mentis compotes, an impotes? 4. Si articuli neceſſarii ſint tam clarè in Scriptura; undè ne quidem inter vos ipſos quicquam certi de iis habetis? An etiam inter vos ſunt, qui oculos claudunt, ne Solem videant?

CLXXXVII. Reformati, ut hanc Scyllam libertiniſmi evadant, incidunt in Charibdin Spiritus privati, docentes, omnia neceſſaria eſſe quidem clarè, & evidenter in Scriptura; ſed eam evidentiam non omnibus quidem abſolutè, qui mentis ſuæ compotes ſunt, verùm omnibus *regenitis* eſſe conſpicuam.

CLXXXVIII. At contrà 1. Quibus id nititur Scripturæ teſtimoniis? Nam ſi inter vos ipſos, in ſtatuendis articulis fidei neceſſariis, non eſt eadem ſententia; quomodo credemus, eos articulos vobis (qui regeniti eſſe vultis) eſſe evidentes? manifeſta Scripturæ teſtimonia in hanc rem non habetis. 2. Quinam ſunt illi regeniti? Scitis, quid Remonſtrantes vobis objiciant. 3. Si requiritur ſtatus regenerationis, ut quis per S. Scripturam intelligat, quinam ſint articuli neceſſarii: ergò oportet eſſe fidelem, antequam quis per S. Scripturam intelligat, quinam ſint articuli neceſſarii. *De Art. Neceſſ. cap. 5. n. 13.* Ratio eſt: quia nullus regeneratur, niſi fidelis. Ergò dantur fideles & regeniti, qui necdum ſciunt per Scripturam, quinam ſint articuli neceſſarii. Ergò

dantur fideles & regeniti, qui non credunt articulos neceſſarios: quod quàm abſurdum ſit, ipſi perſpicitis.

CLXXXIX. Hactenùs ſpectavimus Cadmeam prolem, domeſtica digladiatione ſe invicem conficientem. Victoria manet apud Eccleſiam Catholicam; à qua Arminiani Reformatos, & hi illos immeritò receſſiſſe convincunt. Pars utraque oppugnat adverſam; ſed dum utraque cadit, Eccleſia Catholica à ſuis Adverſariis liberatur.

Lib. 7. de Trinit. col. 89. C.

CXC. Undè dicimus exemplo S. Hilarii: *Hæretici igitur omnes contra Eccleſiam veniunt: ſed dum hæretici omnes ſe invicem vincunt, nihil tamen ſibi vincunt. Victoria enim eorum, Eccleſiæ triumphus ex omnibus eſt: dum in eo hæreſis contra alteram pugnat, quod in hæreſi altera Eccleſiæ fides condemnat.*

CXCI. Propoſitio 2. *Citra traditionem Verbi Dei non ſcripti, & teſtimonium Eccleſiæ, ſciri nequit, quinam ſint articuli neceſſarii.* Probatur 1. Sine traditione, & teſtimonio Eccleſiæ, non poteſt ſufficienter ſciri, Scripturam eſſe divinam: & tamen hoc ipſum, juxtà Adverſarios, antè omnia ſciendum eſt, Scripturam eſſe divinam. 2. Sine traditione, & teſtimonio Eccleſiæ nullus probare poteſt, quinam articuli ſint neceſſarii. Ergò nec ſciri aliter poſſunt. 3. Sine traditione, & teſtimonio Eccleſiæ nullus cognoſcere poteſt verum ſenſum articulorum neceſſariorum. Ergò non poſſunt ſciri ſicut oportet. 4. Sine traditione, & teſtimonio Eccleſiæ, etſi articuli neceſſarii eſſent ſatis perſpicui in S. Scriptura, nullus conſervare poteſt verum ſenſum articulorum neceſſariorum, maximè ſi opponantur alia Scripturæ loca, quibus manifeſta teſtimonia impugnantur. Dicit Scriptura de Chriſto: *Hic eſt verus Deus.* Dicit Chriſtus: *Hoc eſt corpus meum.* utrumque perſpicuè ſatis: & tamen inveniuntur, qui perſpicuitatem ſenſus ordinarii impugnant, & veritatem oppoſitionibus obſcūrant.

1 Ioan. 5. 20. Matth. 26.

CXCII. Propoſitio 3. *Ex fide Catholica certum eſt, omnibus & ſingulis fidelibus proponi in Eccleſia Catholica, quicquid eſt neceſſarium ad ſalutem.* Patet ex praxi univerſalis Eccleſiæ; nec enim aliundè conſtare poteſt. Eccleſia proponit ſimplicibus Catechiſmos ordinarios, & ſemper tenuit, iis comprehendi omnem doctrinam ad ſalutem neceſſariam; licèt pro varietate locorum iſti Catechiſmi plus minuſve contineant. Eſt quidem ſolius Dei præcipere actus internos: ſed cùm Deus in genere præcipit actum fidei, non determinatâ totâ materiâ, circa quam actus fidei ex præcepto debet verſari, pendet ejus determina-

Mæratius. *Tract. de fide, &c. diſp. 26. ſect. 1. n. 4.*

minatio ab Eccleſia. Ita ſtante mandato Dei de credenda explicitè doctrina Evangelica, determinata eſt ab Apoſtolis materia credendorum ad Symbolum. Ita Eccleſia Catholica, præceptum de ſumenda SS. Euchariſtia, determinavit ad ſumptionem ſemel in anno faciendam. Vide Suarem, *de tripl. virt. theol. diſp.* 13. *ſect.* 4. *n.* 13. *&* 14. Meratium, *de fide, &c. diſp.* 26. *ſect.* 2. *num.* 5.

CXCIII. Et hæc quidem notitia articulorum neceſſariorum Catholicis ſufficit; qui tenent, non tantùm in iis, quæ omnibus & ſingulis neceſſaria ſunt; ſed in omnibus omninò articulis acquieſcendum eſſe Verbo Dei per Eccleſiam propoſito. Adverſarii autem noſtri, qui docent, Eccleſiæ unitatem non eſſe deſerendam, propter errorem in articulis, qui non ſunt omnibus & ſingulis neceſſarii; neceſſe habent determinare, quinam ſint articuli neceſſarii, propter quos deſciverint à communione Eccleſiæ Catholicæ; & probare debent, tùm neceſſitatem dictorum articulorum, tùm errorem Catholicorum. Iidem Adverſarii noſtri, qui docent, errorem in articulis non neceſſariis non præjudicare ſaluti; quomodo ſcient, quinam errores non præjudicent ſaluti; niſi determinatè cognoſcant, quinam ſint articuli neceſſarii? Manet igitur, Adverſarios noſtros teneri ad determinandos, probandoſque articulos omnibus & ſingulis neceſſarios: Catholicis autem ſufficere, quod diximus.

CXCIV. Propoſitio 4. *Communis ſententia Doctorum Catholicorum eſt, articulos omnibus & ſingulis neceſſarios ex præcepto divino, comprehendi Symbolo Apoſtolico, quoad fidem; & quoad mores ſpe divinâ roborandos, præcepto orationis; & eoſdem charitate divinâ illuſtrandos, præceptis Decalogi: demùm fide eorum Sacramentorum, quibus unuſquiſque juxtà conditionem ſuam debet uti.* Habet hæc ſententia non exiguum fundamentum in ordinariis Catechiſmis Eccleſiæ Catholicæ, in quibus nihil prædictorum omitti ſolet. Quantùm ad articulos fidei; etiam ſimplices debent credere verba cum vero ſenſu; non quoad ſubtiliores, & magis proprios conceptus; ſed quoad ſubſtantiam. v. g. Ruſticus credit, Patrem eſſe Deum, filium eſſe Deum, Spiritum ſanctum eſſe Deum; & tamen non credit tres Deos, ſed unum Deum: nec requiritur ut ruſticus intelligat diſtinctionem naturæ à perſonalitate. Quantùm ad articulos morum, quando praxis eſt neceſſaria, ipſa cognitio, quæ propter praxin eſt, eſt etiam neceſſaria: quia omnes debent benè vivere; & in neceſſitatibus pro auxilio, certis etiam temporibus pro gratiarum actione ad Deum ſe convertere. Ideò Decalo-

Digitized by Google

calogus & Oratio ſunt omnibus neceſſaria. Sacramentorum cognitio eſt magis, vel minùs neceſſaria; prout ipſa praxis eſt magis, vel minùs neceſſaria.

CXCV. In reliquis omnibus ignorantia non præjudicat ſaluti. Si tamen de reliquis ſit definitio Eccleſiæ; nullus poteſt Verbo Dei per Eccleſiam propoſito reluctari, ſine præjudicio ſalutis. Hoc autem negativum eſt, ideoque ſemper obligat, *non contradicere*. Cognitâ propoſitione Eccleſiæ, ſi aſſenſum præbiturus eſt aliquis, vel Verbo Dei per Eccleſiam propoſito, vel oppoſito errori; neceſſe eſt veritati adhærere. Si tamen vel ob præconceptam opinionem, ipſique naturæ à juventute inſitam difficultatem, durum videtur, hoc vel illud particulare (quod omnibus & ſingulis non eſt neceſſarium) explicito aſſenſu credere; ſufficit animum ab omni dubitatione removere; & judicium ſuum generaliter ſubmittere Verbo Dei per Eccleſiam propoſito. Nullum enim extat præceptum, quo omnibus & ſingulis fidelibus injungitur, ea omnia explicitè & ſpeciali actu credere, quæ norunt per Eccleſiam Catholicam eſſe definita ac propoſita. Atque hinc conſtat, Adverſarios noſtros errare, qui conqueruntur de Eccleſia Catholica, quod fideles multitudine credendorum oneraverit: quia non præcepit Eccleſia expreſſam fidem, niſi in paucis articulis; licet optimo fundamento non permiſerit cuilibet prurienti ingenio, pro libitu ſuo circa res divinas delirare, unitatem ſcindere, ac ſchiſma introducere.

CXCVI. Diximus, quæ ſint omnibus & ſingulis neceſſaria. Verùm Parochi, & qui curam animarum habent, etiam debent ſcire explicationem articulorum neceſſariorum: & ubi ſubditis imminet periculum ab hæreſi, inſuper debent ſcire, quomodo fides Catholica defendatur contra hæreticos, præter ea, quæ muneris ſui ſunt. Vide P. Coninck, *de act. ſupern. diſp.* 14. *dub.* 10. *n.* 196. *&* 197.

CXCVII. Propoſitio 5. *Lutherani, Reformati, Remonſtrantes, &c. non conveniunt cum Catholicis in fide Symboli Apoſtolici*. Probatur 1. Catholici credentes *Eccleſiam*, intelligunt unam illam Eccleſiam, quæ communiſſimè dicitur Catholica, quamque Adverſarii noſtri dicunt Pontificiam. An idem credunt Adverſarii? 2. Catholici credentes *Sanctam* Eccleſiam, intelligunt eam regi Spiritu ſancto, & ab eo duci in omnem veritatem, & nunquam errare in doctrina fidei. Quid ſimile credunt Adverſarii? 3. Catholici credentes Eccleſiam *Catholicam*, intelligunt eam, juxtà promiſſiones divinas, in præ-

dica-

Digitized by Google

dicatione Evangelii, in adminiſtratione Sacramentorum, in profeſ-
ſione fidei ſemper perſeveraturam. Nonne hîc vacillant adverſarii? *Catech. Luther.*
Nonne Lutherani omiſerunt ex Symbolo *Catholicam*, ſubſtituentes
Chriſtianam? Hinc S. Cyprianus: *Quòd ſi aliquis illud opponit, ut dicat,* *Epiſt. 76.*
eandem Novatianum legem tenere, quam Catholica Eccleſia teneat, eodem *ad Magnum.*
Symbolo quo & nos baptizare, &c. *ſciat quiſquis hoc opponendum putat,* *pag. 210.*
primùm non eſſe nobis unam & ſchiſmaticis Symboli legem, neque eandem in-
terrogationem. Nam cum dicunt: credis remiſſionem peccatorum & vitam
æternam per ſanctam Eccleſiam? mentiuntur in interrogatione, quando non
habeant Eccleſiam. Et S. Hieronymus: *Cùm ſolenne ſit in lavacro* (Ba- *Adverſ. Lu-*
ptiſmi) *poſt Trinitatis confeſſionem interrogare: credis ſanctam Eccleſiam?* *ciſ. cap. 5. Tom. 2.*
credis remiſſionem peccatorum? quam Eccleſiam credidiſſe eum dicis? Arria- *pag. 425. F.*
norum? ſed non habent noſtram: ſed extrà hanc baptizatus non potuit eam
credere, quam neſcivit. Probatur 4. Adverſarii noſtri in articulo *de*
remiſſione peccatorum, credunt ſub ratione articuli fidei, *ſibi remiſſa eſſe*
peccata: Catholici docent, citra ſpecialem Dei revelationem id credi
non poſſe. 5. Si idem articulus magis diſcutiatur, credunt Adverſa-
rii noſtri, propriè non remitti peccata; ſed tantùm non imputari &
tegi. Catholici contrarium tuentur. Ecce quanta diverſitas in duo-
bus articulis Symboli: quid futurum eſſet, ſi reliqui ſimiliter exa-
minarentur? Quid, ſi diſcuteremus verum ſenſum Decalogi & Sa-
cramentorum?

CXCVIII. Vanum igitùr eſt, quod poſt M. Ant. de Dominis pu- *Reſp. contra*
tavit Georgius Calixtus, poſſe concordiam inter Lutheranos & Ca- *Mogunt.*
tholicos ſtatui, per convenientiam in articulis neceſſariis. Si enim id *n. 22.*
intelligat de convenientia in ſolis vocibus; quid magis inſipidum?
Sin autem intelligat de articulis neceſſariis cum vero ſenſu; credant
Lutherani articulos, qui apud Catholicos ſunt neceſſarii, in ſenſu
Catholico, & nulla erit difficultas, ſed pax ſumma. Vid. *Eiphn.*
P. Erberm. *cap.* 1. §. 11. *cap.* 2. *n.* 4. *&c.* Eilbracht. *in Epanorth.*
cap. 11. *annot.* 5.

CXCIX. Rectè S. Auguſtinus: *fieri poteſt, ut aliquis perverſus, integra*
teneat verba Symboli, & tamen non rectè credat ſive de ipſa Trinitate, ſive
de Reſurrectione. Item: *Sub ipſis ergò paucis in Symbolo conſtitutis, plerum-*
que hæretici venena ſua occultare conati ſunt. De fid. & Symb. cap. 1.
Tom. 3. pag. 61. A.

CC. Tandem & illud peti poteſt; An explicitè credendum ſit,
1. Animam eſſe immortalem; ſine quo nihil crederemus de vita fu-

tura. 2. Peccatum originale, vel habenda cognitio peccati in genere, quod eſt fundamentum redemptionis. 3. Neceſſitas gratiæ, ad juſtitiam obtinendam.

CCI. *Reſp.* Sufficientem fidem eorum neceſſariam eſſe; non autem explicitam. Nam qui ſperat vitam æternam; ſatis ſibi credit animæ immortalitatem. Qui credit in Deum, ut juſtificatorem; ſatis ſibi credit, eſſe neceſſarium auxilium melius ad ſalutem, quàmvis de hoc ſpecialiter non cogitet. Et idem eſt de remiſſione peccatorum, etſi de peccato originali, ſub proprio conceptu non cogitet. Ita Suarez, *de tripl. virt. Theol. diſp.* 12. *ſect.* 3. *n.* 19. *pag.* 209.

§. 15.
Muſæi conſiderationes.

De Converſ. hom. diſp. 9. *cap.* 4. *n.* 81. *pag.* 641. CCII. Dicit 1. *Walenburgii, quando Proteſtantibus incumbere dicunt, ut quinam articuli creditu neceſſarii, & qui non neceſſarii ſint, determinent, quò de ipſorum ſeparatione ab Eccleſia Pontificia, jure, an injuria facta ſit, judicari poſſit? ut loquuntur de articulis* neceſſariis ſecundùm quid, *&* ex parte ſolius objecti formalis, *aut de* neceſſariis ſimpliciter, etiam ex parte objecti materialis? *Si illud? tùm qui ſibi creditu neceſſarii ſint articuli, Proteſtantes dudum conſenſu maximo docuerunt. Eſt enim conſtans & unanimis ſententia illorum, quòd omne dogma, in Scripturis contentum, poſtquam in iis, ſi non conceptis verbis, tamen per evidentem conſequentiam contineri, cognitum eſt, cognoſcenti neceſſarium ſit creditu, ut abſque ſalutis diſpendio abnegari, rejici, damnari non poſſit. Atque in hoc illorum conſenſus longè major eſt, quàm Pontificiorum.*

Suprà. §. 13. CCIII. *Reſp.* Cùm explicaremus noſtrorum ſententiam, diſtinximus inter articulos neceſſarios neceſſitate medii, & neceſſarios neceſſitate præcepti; atque addidimus, nos utroſque complecti, quod neceſſarium non eſſet inter Chriſtianos, poſt promulgatum abundanter Evangelium, eam diſtinctionem adhibere. Cæteros omnes articulos, diximus omnibus & ſingulis ita neceſſarios, ut cognitâ propoſitione univerſalis Eccleſiæ, nullus ſine præjudicio ſalutis contradicat. De his poſteris articulis, qui complectuntur univerſim omnes, ſive neceſſarios neceſſitate medii; ſive neceſſarios neceſſitate præcepti; ſive tantùm divinitùs revelatos, etiamſi nec medii, nec neceſſitate præcepti neceſſarios, dici poteſt, quod ponit Muſæus, eſſe neceſſarios ſecundùm quid, & ex parte ſolius objecti formalis.

Atque

Digitized by Google

Atque de iſtis non eſſe à nobis actum, patet ex toto contextu duorum Paragraphorum præcedentium. Muſæus etiam indubiè ſuperſediſſet interrogationi iſti; niſi hanc occaſionem captaſſet prætenſum Proteſtantium conſenſum manifeſtandi, noſt rorum diſſenſum vellicandi.

CCIV. Videamus ergò, qualis ſit in hac re Proteſtantium conſenſus. *Docent, omne dogma in Scripturis contentum, poſtquam in iis, ſi non conceptis verbis, tamen per evidentem conſequentiam contineri, cognitum eſt, cognoſcenti neceſſarium eſſe creditu, ut abſque ſalutis diſpendio negari non poſſit.* Fatemur, Proteſtantes, hoc tempore, id communiter docere: an autem ſemper id docuerint, diximus alio loco. Requiritur ad neceſſitatem talis dogmatis, ut ſit *cognitum.* Quomodo cognoſcitur tale dogma? An ſolis naturæ viribus? Abſurditatem *Suprà.*
affirmationis oſtendimus. An non cognoſcitur niſi à regenitis? Et *n. 184.*
hujus affirmationis abſurditatem declaravimus. A qua parte ſtet Mu- *Suprà.*
ſæus, fortè poſthac intelligemus. *n. 186.*

CCV. Audiamus prætenſum Catholicorum diſſenſum. *Hi*, inquit, *arceſcunt credendorum neceſſitatem*, ex parte objecti for- *Ibid.*
malis *ſpectatam, ex propoſitione Eccleſiæ, & creditu* neceſſarios *di- pag. 642.*
cunt articulos, quos Eccleſia credendos propoſuit, poſt ejus propoſitionem cognitam: de propoſitione Eccleſiæ autem immane quantùm diſſentiunt. Ad declarandum verò ſtupendum illum diſſenſum, refert varias Theologorum noſtrorum ſententias, de propoſitione per ſolum Papam, per Papam cum Concilio Paſtorum, per Papam cum Concilio particulari, per Papam & Concilium generale, per ſolum Concilium generale. Et tamen ſat noverat Muſæus, quod & in præcedentibus oſtendimus, nihil illorum eſſe apud nos ex fide Catholica credendum, niſi infallibilitatem propoſitionis à Pontifice & Concilio generali provenientis; in quo omnes Catholici conveniunt, nullo prorſus diſſentiente; & quod ſolum ſufficit. Ita in fumum abit confictus ille diſſenſus.

CCVI. Cæterùm, utrum convenientius eſt; neceſſitatem credendi, vel non contradicendi derivare à propoſitione univerſalis Eccleſiæ cognita, cui in Scripturis divinis factas eſſe ampliſſimas non errandi promiſſiones, liquidiſſimum eſt; an verò eam neceſſitatem deſumere à cognitione cujuſcunque particularis, exiſtimantis, vel ſibi perſuadentis, iſtos articulos, ſi non verbis conceptis, tamen per evidentem conſequentiam ex Scripturis haberi; licèt interim non con-

veniat inter Proteſtantes, num ſolum lumen naturale ad hoc ſufficiat, an verò requiratur antecedens regeneratio? Judica, lector, utra doctrina ſit ſecurior; utra magis conformis Sacris literis, & SS. Patribus.

Ibid. n. 82. pag. 643. CCVII. Dicit 2. *Quòd ſi fratres etiam in ſpecie ſibi deſignari poſtulent articulos, quos* ex parte objecti formalis creditu neceſſarios *ducamus, en catalogum illorum* in Confeſſione Auguſtana, &c. *De illis omnibus ſumus certiſſimi, quòd in Scripturis ſacris ſolide fundati ſint, quorum propterea nullum, illæſâ conſcientiâ, & citra ſalutis diſpendium, rejicere, abnegare, damnare poſſumus, quamdiu non ex Scripturis ſacris aliter informamur, & errorum ſolidè convincimur.*

CCVIII. *Reſp.* Miramur, Muſæum tot ambagibus uti, antequam ad rem veniat. Novit ille, nos non egiſſe de articulis neceſſariis ex parte ſolius objecti formalis. Novit ille, nos non poſtulaſſe deſignationem articulorum neceſſariorum, quos Proteſtantes exiſtimant neceſſarios ex parte ſolius objecti formalis. Ut quid ergò hîc nobis exhibet catalogum articulorum *ex parte objecti formalis*, apud Lutheranos creditu neceſſariorum? Non dicit hoc loco, articulos Confeſſionis Auguſtanæ eſſe Lutheranis neceſſarios, ex parte *ſolius* objecti formalis; ſed tantùm, *ex parte objecti formalis* · fortè ne videatur negare abſolutam neceſſitatem quorundam articulorum Confeſſionis Auguſtanæ: de quo tamen hîc non agitur, & quod ad rem non facit.

Ibid. n. 83. CCIX. Dicit 3. *Sin de* neceſſariis ſimpliciter, *etiam* ex parte objecti materialis, *loquantur, tum haud diffitemur, difficile eſſe, quæ* creditu ad ſalutem neceſſaria, *& quæ* non neceſſaria *ſint, determinare, & diſſentire inter ſe Doctores Proteſtantium.*

CCX. *Reſp.* Acceptatur bona, apertaque confeſſio veritatis. Cui illud connexum eſt; Lutheranos non poſſe unanimiter, & ex ſententia Eccleſiæ ſuæ, determinare articulos neceſſarios, per quos ſolos, ſi in iis erret Eccleſia (ut ipſi volunt) defendi poteſt ſeparatio; & removeri crimen ſchiſmatis, quantùm quidem eſt ex parte ipſorummet articulorum. Hucuſque clamarunt Lutherani, Eccleſiam Catholicam erraſſe in articulis neceſſariis, indeque voluerunt non haberi ſchiſmatici: nunc autem agnoſcit Muſæus, non convenire inter ſe Doctores Proteſtantium in determinandis articulis neceſſariis; adeoque clamores Confratrum ejus calumniis annumerandi ſunt. An etiam aliundè poſſit elui crimen ſchiſmatis Proteſtantium,

non

non eſt hujus loci inquirere: & quæ Muſæus ulteriùs profert, alibi refutata ſunt.

§. 16.

Quot ſint præcepta fidei?

CCXI. Propoſitio 1. *Datur præceptum interiùs credendi.* Probatur: *Hoc eſt mandatum ejus, ut credamus in nomine filii ejus Ieſu Chriſti.* 1 Joan. 3. 23.

CCXII. Propoſitio 2. *Datur præceptum interiùs non ſubtrahendi aſſenſum veritati revelatæ.* Probatur: *Iuſtus autem meus ex fide vivit. Quòd ſi ſubtraxerit ſe non placebit animæ meæ.* Hebr. 10. 38. Item: *Qui non crediderit condemnabitur.* Marc. 16. 16. Item: *Qui non credit, jam judicatus eſt: qui non credidit in nomine unigeniti filii Dei.* Joan. 3. 18. Item: *Qui incredulus eſt filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.* Ibid. v. 36. Dicit Chriſtus fore ut Spiritus ſanctus arguat mundum de peccato: *quia non credunt in me.* Joan. 16. 9. Item: *Quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem.* Hebr. 2. 3.

CCXIII. Propoſitio 3. *Datur præceptum non negandi exteriùs fidem.* Probatur: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt.* Matth. 10. 33. Item: *Si negaverimus, & ipſe negabit nos.* 2 Tim. 2. 12. Vid. Marc. 8. 38. Luc. 9. 26. & 12. 8.

CCXIV. Propoſitio 4. *Datur præceptum aliquando exteriùs confitendi fidem.* Probatur: *Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Rom. 10. 10. Item: *Sicut ſcriptum eſt: Credidi propter quòd locutus ſum, & nos credimus propter quòd & loquimur.* 2 Cor. 4. 13.

CCXV. Hinc S. Auguſtinus: *Fidei officium à nobis exigit & cordis & linguæ: Ait enim Apoſtolus, corde creditur ad juſtitiam: ore autem fit confeſſio ad ſalutem. Oportet nos eſſe & juſtitiæ memores & ſalutis: quandoquidem in ſempiterna juſtitia regnaturi, à præſenti ſæculo maligno ſalvi fieri non poſſumus, niſi & nos ad ſalutem proximorum nitentes, etiam profiteamur fidem, quam corde geſtamus.* Requiritur etiam, ut fideles inter ſe intelligant, quibus debeant communicare in Eccleſia; quod fieri nequit ſine externa fidei profeſſione. *De fid. & Symb. cap. 1. Tom. 3. pag. 6. C.*

CCXVI. Quantùm ad præcepta morum, ea in ſcripturis reperiri circa Decalogum, circa Orationem, circa Sacramenta omnibus neceſſaria, certum eſt: quæ tamen hîc non adducimus, tùm quia nullam difficultatem habent huic loco propriam, tùm ne prolixiores ſimus.

§. 17.
Cur Eccleſia Catholica multa definiverit.

CCXVII. Magnum Dei beneficium eſt, quòd Eccleſiæ ſuæ multa, ſalutem fidelium concernentia, revelaverit. Eſt enim ſignum amicitiæ divinæ, uti Chriſtus teſtatur: *Iam non dico vos ſervos: quia ſervus neſcit, quid faciat Dominus ejus. Vos autem dico amicos: quia omnia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Si Deus magni faciendus eſt, etiam magni facienda eſt ejus amicitia, magni faciendum amicitiæ ejus teſtimonium, conſiſtens in revelatione eorum, quæ ad ſalutem fidelium ſpectant. Nullum tantæ amicitiæ teſtimonium reputari debet exiguum: nullum temerè convellendum. Teſtimonium hoc amicitiæ divinæ, per modum depoſiti Eccleſiæ traditum eſt, ut tanquam columna veritate conſpicua ductrix eſſet fidelium. Quòd ſi inveniantur, qui divinum hoc depoſitum adulterant, vel minuunt, qui lucem veritatis obſcurant; vindicanda eſt veritas, depoſitum incorruptè ſervandum, removendæ ſunt errorum tenebræ, nec quicquam exiguum habendum, ubi tantum donum eſt.

Ioan. 15. 15.

CCXVIII. An Eccleſia, quæ cuſtos eſt veritatis revelatæ, permittere debet, ut quilibet, juxtà ſua deliria, liberè impuneque graſſetur in Dei oracula? ut quilibet amicitiæ divinæ teſtimonia convellat? quilibet errores ſuos fidelibus perſuadeat? Qui hoc putant; ignorant quâ diligentiâ conſervandum ſit Verbi divini depoſitum, quâ reverentiâ cuſtodiendum teſtimonium amicitiæ divinæ.

CCXIX. Sed, inquiunt nonnulli, ſileri poteſt de iis articulis, qui non ſunt omnibus & ſingulis neceſſarii. At 1. ſi Chriſtus moneat: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta.* quid facto opus? An ſilebit Eccleſia, cui divinitùs demandata eſt prædicatio? An illa, quæ dixit in lumine, revocabit ad tenebras? An illa, quæ prædicavit ſuper tecta, judicabit æterno ſilentio, contra mandatum Domini, ſepelienda? Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus. 2. Suaſores ſilentii non conſiderant, conſilium ſuum Adverſariis Eccleſiæ Catholicæ perſuaderi non poſſe. Evolvant omnia poſt Chriſtum ſecula: quando ſiluerunt hæretici? His ſi placuiſſet ſilere; nulla fuiſſet hæreſis, nullum ſchiſma.

Mat. 10. 27.

CCXX. Hinc non malè Calvinus: *Quid vetat, quò minùs quæ captui noſtro perplexa in Scripturis impeditaque ſunt, ea verbis planioribus explice-*

Lib. 1. *Inſtit. cap.* 13. §. 3.

plicemus, quæ tamen religioſe & fideliter Scripturæ ſerviant, & parcè modeſtéque nec citra occaſionem uſurpentur? cujus rei non deſunt ſatis multa exempla. Quid autem ubi Eccleſiam ſummâ neceſſitate urgeri ad uſurpandas Trinitatis & perſonarum voces comprobatum fuerit? Si quis verborum novitatem tum reprehendat, nonne meritò judicetur lucem veritatis indignè ferre? ut qui tantùm hoc reprehendat, veritatem planam ac dilucidam reddi. Hujuſmodi autem verborum novitas (ſi ita appellanda eſt) *tum potiſſimum uſu venit, dum adverſùs calumniatores aſſerenda eſt veritas, qui tergiverſo ipſam eludunt.* & mox: *Veteres variis pravorum dogmatum certaminibus exagitati, quid ſentirent coacti ſunt exquiſitâ perſpicuitate ediſſerere, ne obliqua ſubterfugia impiis relinquerent, quibus verborum involucra errorum erant latebræ*, &c.

§. 18.

De aſſenſu Catholico, & reſolutione fidei.

CCXXI. Ut aliquis fide divinâ aſſentiatur Verbo Dei; requiritur 1. ut ſit aliquod Verbum Dei, ſive ut objectum, quod creditur, ſit à Deo revelatum: *Cum accepiſſetis à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud non ut verbum hominum, ſed* (ſicut verè eſt) *verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidiſtis.* Requiritur 2. ut illud objectum ſufficienter nobis proponatur: *Timuitque populus Dominum, & crediderunt Domino & Moyſi ſervo ejus.* Crediderunt Domino revelanti, & Moyſi, hoc eſt, *per* Moyſen. Ita enim legitur de Joanne Baptiſta: *Vt omnes crederent per illum.* Et Chriſtus docet Joan. 17. 20. *Non pro eis autem rogo tantùm, ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me.* Item: *Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſæculo ſunt prophetarum ejus.* Item. Hebr. 1. 1. *Olim Deus loquens Patribus in Prophetis*: hoc eſt, *per* Prophetas. Neceſſitatem externi miniſterii deſignat Apoſtolus: *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante?* Et quare? *Placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes.* Videtur enim ſtultitia, illa credere, quæ humanam ſapientiam excedunt, & ſolâ auctoritate nituntur. Sed hoc placuit Deo: *Vt non glorietur omnis caro in conſpectu ejus.* Placuit Deo, ut per homines doceremur: *labia enim ſacerdotis cuſtodient ſapientiam, & legem requirent ex ore ejus.* Malach. 2. 7.

1 Theſſ. 2. 13. — Exod. 14. 31. — Joan. 1. 7. — Luc. 1. 70. — Rom. 10. 14. — 1 Cor. 1. 21. — Ibid. v. 29.

CCXXII. Ideò etiam in aliis remittebantur Iſraëlitæ ad Sacerdotes. Primi fideles, exortâ quæſtione de legalibus, non habuerunt *Deut. 17. 8.*

recur-

recurſum ad ſpiritum internum, licèt tunc primitiæ Spiritus ſancti, abundantiore curſu, ad multos pervenirent: non ad ſolam Scripturam, ſed ad miniſterium ordinarium, ad illos, qui à Deo conſtituti erant Rectores & Paſtores Eccleſiæ. Atque hinc Apoſtolicum concilium propoſitam quæſtionem definivit: *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis*, hoc eſt, viſum eſt Spiritui ſancto per nos docenti. Neque dicendum putaverunt; viſum eſt Spiritui ſancto & Scripturæ; aut, viſum eſt Spiritui ſancto, huic, aut illi revelanti: ſed viſum eſt Spiritui ſancto *& nobis*, in miniſterio publico conſtitutis.

Act. 15. 28.

CCXXIII. Requiritur 3. Ut veritas, quæ proponitur credenda, ſit evidenter credibilis. Nobis autem fit talis, ſi conſideremus notas veræ Eccleſiæ, promiſſioneſque Eccleſiæ divinitùs factas, divinitùs præſtitas: Prædicaverunt ubique: Domino coöperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Requiritur 4. gratia interna Spiritus ſancti, ſine qua nemo poteſt credere ſicut oportet. Conc. Trid. *ſeſſ.* 6. *cap.* 5. *&* 6. *& can.* 9. Probatur: *Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum.* Joan. 6. 29. *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut in eum credatis*, &c. Philip. 1. 29. *Sine me nihil poteſtis facere.* Joan. 15. 5. *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater qui miſit me, traxerit eum.* Joan. 6. 44. *Cujus Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur à Paulo.* Act. 16. 14. *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat: ſed qui incrementum dat Deus.* 1 Cor. 3. 7. *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam.* Pſal. 118. 34. *Beatus quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.* Pſal. 93. 12.

Marc. 16. 20. *Luc. 15. 24.*

CCXXIV. His poſitis, difficilè non eſt determinare, in quid ultimatè reſolvatur fides. Interrogatus, quomodo pervenerit ad fidem? reſpondebit, per docentem Eccleſiam. Iterùm interrogatus, quomodo ſciverit Eccleſiam Catholicam eſſe audiendam? reſpondebit ex ſignis, ſeu notis veræ Eccleſiæ. Poſteà interrogatus, quid crediderit? reſpondebit, Verbum Dei ab Eccleſia propoſitum. Tandem interrogatus, cui crediderit? reſpondebit, Deo revelanti. Itaque ex parte objecti, veritas Dei revelantis eſt ratio formalis, in quam ultimatè reſolvitur fides. Atque ita dicit Conf. Helv. poſter. *fides ſolo Dei verbo innititur.* Et malâ fide tribuit Catholicis Petrus Martyr; quòd velint inniti fidem Patribus & Conciliis. Teſtimonium enim Eccleſiæ proponit, & manifeſtâ credibilitate docet objectum formale fidei. Ratio rei creditæ, eſt revelatio divina; ratio cognitionis noſtræ,

Art. 19. pag. 65. *Loc. commun. Claſſ. 1. cap. 10. n. 2.*

noſtræ, proximè movens, propoſitio Eccleſiæ: illa prior eſt naturâ; hæc prior quoad nos; illa poſterior quoad nos; hæc poſterior naturâ.

CCXXV. Verùm ſi quæratur de cauſa quæ generat fidem in mentibus noſtris; nullum eſt dubium, quin interna Spiritus ſancti gratia ſit effectiva fidei. Atque ita neque Eccleſia, quæ plantat, eſt aliquid; neque rationes moventes, quibus animus irrigatur, ut aſſenſum præbeat docenti Eccleſiæ, ſunt aliquid: ſed qui incrementum dat Deus; cujus opus, & donum eſt, ut credamus. Nonnulli ex Adverſariis noſtris, non ſatis diſtinguentes rationem formalem objectivam, & effectivam fidei, in graves errores ſunt lapſi, ut mox patebit; & videre licet ex diſp. Calixti *de principio Theologico in Epit. Theol. pag.* 323. & Judicio Neufeld *cap.* 6. *n.* 10.

§. 19.

Cocceji variæ cogitationes ad paragraphum præcedentem.

CCXXVI. Coccejus ad paragraphum præcedentem quandoque conſiderat loca S. Scripturæ allegata, quandoque requiſita ad aſſenſum fidei, quandoque reſolutionem fidei. Ad textum 1Cor. 1. 21. *S. Script.*
ſcribit 1. *μωρία κηρύγματος, de qua eſt* 1 *Cor.* 21. *non eſt propoſitio* *potent.*
authentica Papæ (cujus fides, quia ſine fundamento eſt, eſt, teſte Apoſtolo, *cap. 6.*
non μωρία ſed ἄνοια) ſed eſt teſtimonium Evangelii talem viam juſtitiæ & *pag. 117.*
ſalutis aperiens, quæ homini animali nec venit in mentem, & cum ſapientia carnis, ac conſilio improbi, quod ei ſua cupiditas ſuggerit & commendat, è diametro pugnat: quod tamen conſilium Dei ſapientia vera teſtem habet conſcientiam in convictione, & expurgato per S.S. corde, in fide. Reſp. Nihil ad rem: videantur, quæ diximus.

CCXXVII. Scribit 2. ad allegatum Malach. 2. 7. locum: *Ma-* *Diſp. 9. n. 3.*
lachiæ locus cap. 2. (qui non ſine ſplendida inſania ab Adverſariis producitur)
id vociferatur (Sacerdotem & Collegas non fuiſſe teſtes mentiri neſcios (ſolius *Ibid. n. 1.*
hoc Chriſti eſt, Habac. 2. 3.) proponentes, &c.) Cui enim dicitur: At vos deceſſiſtis à via, feciſtis multos impingere in legem, corrupiſtis fœdus leviticæ gentis. *niſi Sacerdotibus? v.* 1. 8. *Nempe officium quidem ſacerdotis erat, ut eſſet Angelus Dei; futurumque erat, ut legem repeterent ex ore ejus: ſed ſi* labia ipſius cuſtodirent ſcientiam: *hoc eſt, in bona conſcientia id, quod ad legis myſteria intelligenda pertinebat, cum demonſtratione loquerentur. Quod quum ab ipſis neglectum eſſet, facti ſunt humiles & deſpicabiles toti populo.*

CCXXVIII. *Reſp.* Neſcit Coccejus quid dicat: miſereatur ejus Dominus, & ignoſcat maledicto. Diximus, placuiſſe Deo, ut per homines doceremur; idque ex *Malach.* 2. 7. probavimus. Placuiſſe Deo, ut per homines doceremur, nemo Proteſtantium hucuſque negavit: nec ſimpliciter negabit Coccejus, niſi ſe Enthuſiaſtam declaraverit. Rectè probari ex Malach. 2. 7. nos per homines eſſe docendos; neſcio an ipſa negaverit impudentia. Quid ergò? dicit, *Sacerdotem & Collegas non fuiſſe teſtes mentiri neſcios.* Quid ad rem? An ideò ſequitur; Non placuiſſe Deo, ut per homines doceremur? Dicit; eſſe teſtem mentiri neſcium, *ſolius Chriſti eſſe.* Itane? An Apoſtoli non fuerunt teſtes mentiri neſcii, in rebus fidei, de quibus hîc agitur? Reliqua huc non pertinent.

S. Script. potent. cap. 6. pag. 117. CCXXIX. Scribit 3. Placuit, *inquiunt*, Deo, ut per homines doceremur. *Imò placuit Deo, ut ſub N. T. poſt explicationem myſterii per Chriſtum & Spiritum ejus in Apoſtolos conſpicabiliter effuſum factam, frater non doceret fratrem, ut nemo appellaretur διδάσκαλος, ut non opus haberemus, ut quis nos doceat, niſi ut unctio nos docet. Modeſto vocabulo ſuperbiam dictandi, & quidem ſine convictione conſcientiæ ex Scriptura, præter fundamentum revelatum in eis, occultant; quam Verbum Dei planè excludit.*

CCXXX. *Reſp.* Num patronus Anabaptiſtarum factus eſt Coccejus? Vultne aſſerere; Non placuiſſe Deo, ut per homines doceremur? Non audet; ne Anabaptiſta proclametur. Si frater neutiquam docet fratrem, quales ſunt, quos Coccejus docet? Si nemo appellandus eſt διδάσκαλος, ut quid Doctoris & Profeſſoris titulum aſſumit Coccejus? Si non opus habemus, ut quis nos doceat, ſufficiatque docens unctio; ut quid aſcendunt ſuggeſtum Miniſtri Reformati? Iſta ad literam accepta Coccejum Anabaptizantem exhibent; non juvant. Sed modeſto vocabulo ſuperbiam dictandi occultamus. Undè conſtat? Abundet in ſuis ſuſpicionibus ſuſpicioſus: non ibi hoc actum eſt.

Ibid. pag. 118. CCXXXI. Scribit 4. Ideò (*aiunt*) etiam in aliis remittebantur Iſraëlitæ ad Sacerdotes. *Deuter.* 17. 9. *Quibus* aliis? *& ſi* aliis, *à quibus diſtincta ſunt illa alia? Quis Oedipus hæc intelligeret?*

CCXXXII. *Reſp.* Jam ſplendida inſania eſt in noſtris; jam Oedipo indigent. Undique traducimur; undique mordemur. Sed adverſus morſum viperæ ſaluberrimum remedium eſt in carne viperæ. Applicemus dicta Cocceji, adverſus morſus Coccejanos; &

quic-

Digitized by Google

quicquid virulenti eſt mox extrahetur. Dicit hæc: *Vtuntur hic decantatiſſimo loco Deuter.* 17. 9. *& obiter tangunt eum, qui eſt Malach.* 2. 7. *Maligno hoc ſeculo, quo multi nauſeant ad veritatem, mallent ſe nunquam veritatem cognoviſſe & quærunt mortem, hoc eſt, cæcitatem priſtinam & ſecuritatem; alii etiam ad nugas convertuntur: inculcanda ſunt etiam centies dicta.* (bella declamatio: proſequitur). *In pericopa Deut.* 17. *conſiderari poteſt.* 1. *officium privatorum.* 2. *officium Sacerdotis, aut judicis cum Synederio.* 3. *ſi qua ibi eſt promiſſio. Officium privatorum eſt in controverſiis de meo & tuo ſive jure privatorum, de impuro & polluto, ſive in* quæſtione de legalibus (*ut non malè Walenburgii*) *ſi in ſuis urbibus expediri non poſſent, tandem adire ſummum Sacerdotem, judicem & Synederium.* (Jam laudat noſtrum dictum Coccejus, quod ſimulabat ſe non intelligere: quodque alio non indigebat Oedipo, niſi ipſo Coccejo. Sequitur). *Extendo hoc etiam ad quæſtionem de fide & hæreſi, & de moribus, nullo genere quæſtionis excluſo.* (dictum laudabile: quale advocatum noſtrum docebat) *Vna ratio ſufficit, quia oportebat Summum illud Collegium operam dare, ut unitas fidei & cultus in populo Iſraëlitico conſervaretur.* (optima ſanè ratio) *Et nunc, quotquot ſunt à Deo donati ſapientiâ & intelligentiâ ſcripturarum, rectè conſuluntur; ut ad cognitionem veritatis ex Scripturis proficiamus.* (nemo impedit) *Vt verò unitas Eccleſiæ conſervetur, valet, quod Chriſtus præcipit Matth.* 28. *dic Eccleſiæ, nempe uniuſcujuſque loci, &, ſi poſſibile ſit, toti Chriſtianæ fraternitati, nempe ſi interſit, omnibus ſcandalum inter nos factum innoteſcere; aut alibi factum non redundare ad culpam noſtram: ut exequi valeamus quod præcipitur Rom.* 16. 17. Videte, qui diſſenſiones & ſcandala præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt: & recedite ab ipſis. *Hactenus primum officium privatorum, &c.* Et quidem admodum Catholica ſunt, & laudabilia; quibus nihil opus eſt addere. *Ibid. pag.* 119.

CCXXXIII. Scribit 5. De citato à nobis loco Act. 15. 28. & principio quidem tenerrimæ commiſerationis affectum Coccejus aperit: *Miſeret me fratrum, quòd ingenio ſuo ac judicio (quæ non contemnenda habent) ita cogantur abuti, ut malam cauſam ſtatuminent, ut facere non poſſint, quin tam inconcinna & inepta proferant, ne nihil dicant, ibi, ubi de requiſitis fidei agitur; unde omnis cauſa victoria pendet: Miſeret illorum, in quibus eſt tanta cupiditas redeundi ad cœtum Antichriſti, ut hiſce ficulneæ foliis arreptis & malè conſutis ſperent ſe nuditatem ſuam & malam conſcientiam poſſe tegere.* *Diſp.* 9. *n.* 7.

CCXXXIV. *Reſp.* Si inconcinna, ſi inepta proferimus, eò

faciliùs nos confundet Coccejus. Non eſt in nobis cupiditas redeundi ad cœtum Antichriſti; qui à Catholicis parentibus, per ſingularem Dei miſericordiam, nati, & in Eccleſia Catholica educati ſumus. Non eſt, quod malam conſcientiam ficulneæ foliis obtegamus, ut ille pergit calumniari; Deum habiturus judicem de protervo improperio. Coccejum certè non ſatis exercitatum æſtimamus, ut contra conſcientiam ſuam apertè agat, quam vincibiliter eſſe ignorantem, non dubitamus.

Ibid. n. 8. CCXXXV. Scribit 6. *Memorant nobis Apoſtolicum Concilium*, &c. *Sed quid hoc ad probandam neceſſitatem propoſitionis authenticæ præter Scripturam jam ita, ut extat, extantem, ut & ipſâ fide recipiatur, & quæ ex illa intelligi demonſtrarique poſſunt.* *Reſp.* Aſſumpſimus eo loco, quem oppugnat Coccejus, probandam propoſitionem ſufficientem. Probavimus eam ex Concilio Apoſtolico. Vel propoſitio facta in Concilio Apoſtolico erat ſufficiens, vel inſufficiens. Si ſufficiens: jam probavimus, quod erat probandum. Inſufficientem non audebit dicere Coccejus. Quæ addit, de neceſſitate propoſitionis authenticæ, huc non pertinent.

Ibid. n. 9. CCXXXVI. Scribit 7. *An dictum Amoſi, quod Jacobus in hoc cœtu profert, non fuit divinum ante hunc cœtum: & ſenſus illius non fuit credibilis ante illud tempus? An Petrus dubitavit de illa quæſtione, & Cornelius & qui cum eo fuerunt? an Paulus, an fratres Antiocheni, antequam quidam Hieroſolymis deſcenderent ad ipſos?* *Reſp.* Perſuaſum vellet Coccejus, neminem dubitaſſe de iſta quæſtione. Petrum autem hæſitaſſe, inveniet *Act.* 10. Judæos Chriſtianos in communi dubitaſſe, inveniet *Act.* 11. Ex ipſo capite *Act.* 15. evidentiſſimum eſt, non paucos dubitaſſe. Erat quidem Amoſi dictum divinum, & credibile ante eum cœtum: ſed non omnibus & ſingulis conſtabat de ejus ſenſu; ſi enim conſtitiſſet, adverſùs conſcientiam obſtitiſſent, quod præſumendum non eſt. Cornelio res per miraculum erat nota: S. Paulus in converſione ſua erat edoctus. Antiocheni idem acceperant à S. Paulo; quàmvis à ſupervenientibus ex Judæa fratribus turbarentur. Sed quorſum hæc? An vult Coccejus, non fuiſſe neceſſariam propoſitionem? ita ſapiat ſupra Apoſtolos.

Ibid. n. 10. CCXXXVII. Diſputat deinde, eos non habuiſſe illam ſententiam pro vera tantùm, ſed etiam pro articulo credendo. Impónit
Ibid. n. 11. nobis: *Dicunt, propter propoſitionem Apoſtolicam, ut authenticam, rem fidei fuiſſe.* neque enim nos id unquam ſomniavimus, nec ullus Catho-

Digitized by Google

tholicus. Videtur Coccejus *Examen* III. contra quod ſcribit, vel *Ibid. n.* 12. curſim legiſſe, vel non intellexiſſe, fingit, *improbam eſſe oppoſitionem Spiritus ſancti & Scripturæ, quaſi Scriptura non ſit vox Spiritus Sancti*. Sed quis oppoſuit Spiritum S. Scripturæ? Agnoſcimus Spiritum S. in Scriptura loquentem; agnoſcimus Spiritum S. Miniſtros Eccleſiæ dirigentem. Non ſunt idem, locutio in Scriptura, & directio Miniſtrorum Eccleſiæ: quicquid de tyrannide Papali calumnietur Coccejus, & fruſtrà minetur. Reliquis non eſt neceſſe immorari, ut quæ vel levia ſunt, vel ad rem non faciant, vel maledictis ſcateant.

CCXXXVIII. Scribit 8. adverſùs tertium requiſitum: *Si iſta* *Ibid. n.* 18. *ſunt tres diſtinctæ conditiones, 1. Verbum Dei. 2. Sufficienter propoſitum. 3. Evidenter credibile; neceſſe eſt, ut prima conditio nihil amplius exigat, quàm ut ſit verbum, reverà quidem à Deo profectum, ſed tamen in ſe ἄδηλον: ſecunda addat notificationem illius verbi, ut verbum eſt: tertia demum id notificet, ut verbum Dei eſt. Sic enim demum videtur obligare fidem, quando verbum conſtat eſſe non hominum, ſed Dei. Atqui jam in prima conditione ponunt* eſſe à Deo revelatum. *Cui quando deinde ſuperinducunt* ſufficienter proponi, *atque inibi inculcant* τὸ viſum eſt nobis; *ac tertio* eſſe evidenter credibile *ſuperaddunt: videntur vel ſe confundere & intricare vel neſcio quid monſtri alere. Nam quod à Deo revelatum eſt, nonne idem & ſufficienter propoſitum & evidenter credibile eſt? Neque enim poteſt intelligi revelatum, niſi ſit notificatum.*

CCXXXIX. *Reſp.* Moleſtum eſt reſpondere, vel non intelligenti, vel nolenti intelligere, vel ſimulanti ſe non intelligere, quæ oppugnat. Requiſivimus 1. ad aſſenſum fidei; Ut ſit aliquod Verbum Dei, ut objectum quod creditur, ſit à Deo revelatum. Dicit Coccejus; *quod à Deo, revelatum eſt, nonne idem & ſufficienter propoſitum & evidenter credibile eſt?* Nullus dubitat. Ita *Act.* 10. Deus revelavit Apoſtolo Petro vocationem Gentium ad Eccleſiam Chriſti: illa revelatio fuit Apoſtolo Petro ſufficienter propoſita, & evidenter credibilis. Nullus negat; revelationem Dei, cui illa immediatè contingit, eo ipſo, quòd à Deo revelante eſt, eſſe ſufficienter propoſitam, atque evidenter credibilem. Non fingimus revelatum, quod non ſit notificatum. Sed non per hoc, quòd Deus revelavit S. Petro vocationem Gentium ad Eccleſiam Chriſti, ſufficienter propoſita erat toti Eccleſiæ vocatio Gentium ad Eccleſiam; neque per hoc vocatio gentium ad Eccleſiam erat omnibus fidelibus evidenter credibilis. Neminem putamus id velle aſſerere, niſi qui ſenſu communi caruerit.

 Dicen-

Digitized by Google

Dicendum proindè, ad aſſenſum fidei requiri, ut ſit aliquod verbum Dei, ſive, ut objectum, quod creditur, ſit à Deo revelatum. Et hoc eſt primum requiſitum. Requiſivimus 2. ut illud objectum ſufficienter nobis proponatur. Quid per propoſitionem ſufficientem intellexerimus, tradunt loca S.Scripturæ à nobis allegata, publicam nimirùm, ad totam Eccleſiam directam; ab illis provenientem, qui in auctoritate publica erant conſtituti, & univerſam Eccleſiam erudiebant. Ideò inculcavimus illud, *viſum eſt nobis*; in Miniſterio ſcilicet publico conſtitutis; quod Coccejus non malè obſervat. Quia verò non quicquid à publico Miniſterio proponitur, eo ipſo fidem meretur; niſi nobis conſtet, veritatem, à publico Miniſterio propoſitam, eſſe evidenter credibilem: ideò requiſivimus 3. ut veritas, quæ proponitur credenda, ſit evidenter credibilis; quæ nobis ſit evidenter crebibilis, ſi conſideremus notas Eccleſiæ, promiſſioneſque Eccleſiæ divinitùs factas, divinitùs præſtitas. Hæc cùm dicimus, non *confundimus* nos, ut Coccejus fingit; non *intricamus* nos, ut Coccejus ſomniat; nihil *monſtri alimus*, quàmvis Coccejus neſciat.

CCXL. Indignum eſt, Theologum, non capientem quid oppugnet, nobis affingere, quod non cogitavimus, & confidenter ſcribere: *Neceſſe eſt, ut prima conditio nihil amplius exigat, quàm ut ſit Verbum Dei, reverà quidem à Deo profectum, ſed tamen in ſe ἄδηλον.* Nugæ. *Secunda addat notificationem illius verbi, ut verbum eſt.* Nugæ. *Tertia demum id notificet, ut verbum Dei eſt.* Nugæ. Undè neceſſe eſt, non illa ponere, quæ ille fingit? Non libet his diutiùs immorari. Declamationes injurioſas prætèrimus.

De reſolutione fidei.

Diſp. 8. *n.* 2. CCXLI. Poſuimus 1. *Interrogatus, quomodo pervenerit ad fidem; reſpondebit, per docentem Eccleſiam.* Ad hoc dicit Coccejus: *Verba inculpata, niſi dolus ſubeſſet. intelligunt enim vocabulo* docentis Eccleſiæ *Papam* dicentem *cum obligatione ipſum audiendi ut infallibilem doctorem. quod ex ſequentibus clarum eſt. Reſp.* Dolum fingit Coccejus, ubi nullus eſt dolus. Quid intelligamus per Eccleſiam docentem, & fidem proponentem, explicatum eſt in præcedentibus, nec opus eſt repetitione. Doceat Coccejus, quod aſſerit, ſive ex antecedentibus, ſive ex ſequentibus, in quibus dicit noſtram mentem *clarè* contineri.

CCXLII. Poſuimus 2. *Iterùm interrogatus, quomodo ſciverit Eccleſiam*

Digitized by Google

cleſiam Catholicam eſſe audiendam; reſpondebit, ex ſignis ſeu notis vera Eccleſia. Ad hoc dicit Coccejus: *Quomodo ſciverit audiendam Eccleſiam Catholicam, (hoc eſt, Papam Romanum) eſſe audiendum. (etiamſi indemonſtrabilia dicat)*, &c. *Reſp.* Pone textum: tolle gloſſam Coccejanam: & non habebit, quod dicat. *Ibid.*

CCXLIII. Poſuimus 3. *Poſteà interrogatus, quid crediderit; reſpondebit, verbum Dei ab Eccleſia propoſitum.* Poſuimus 4. *Tandem interrogatus, cui crediderit; reſpondebit, Deo revelanti.* Ad 2. 3. & 4. dicit Coccejus: *Hæc, ut apertum eſt, eam mentem habent. Quod Eccleſia dicit, id eſt verbum Dei: atque adeò credit ipſi Deo, quia Deus nihil revelat, niſi per os Eccleſiæ, hoc eſt, Papæ; & quicquid per illum proponitur, eſt divina revelatio. Hoc autem, Papam eſſe ultimum & neceſſarium (Dei voluntate) medium notificationis & unicè ſufficiens ad fundandam fidem, colligitur ex notis Eccleſiæ. Inter quas notas nullatenus continetur Profeſſio Scripturæ ut regula & Obſervatio eorum, quæ in illa traduntur. Quis non videt, in his nullam relinqui autoritatem Scripturæ, ut ſtatim & ſine alia autoritate, ipſi, tanquam verbo Dei credere teneamur aut poſſimus? ſed omnia reſolvi in dictum Papæ & aſſenſum eorum, qui ipſum ſequuntur? iiſque attribui infallibilitatem in omnibus? & ad fucum tegendum, proponi ex ingenio humano, quaſi ſilente Scripturâ aut ſepoſitâ, notas Eccleſiæ; quæ eâdem operâ accipiantur ut notæ imò certiſſima argumenta infallibilitatis Papæ? Atque adeò Papam planè jam exui illo titulo & obtentu ac larvâ, quaſi ſcilicet propter Scripturam ipſi credendum eſſet; & ſupra verbum Dei collocari?* *Ibid. n. 3.*

CCXLIV. *Reſp.* Infelicem nacti ſumus verborum noſtrorum gloſſatorem; qui aſſerit confidenter, apertum eſſe, verba noſtra eam mentem habere, quam ipſe ponit. Ponit, quaſi ex mente noſtra: *Quod Eccleſia dicit, id eſſe verbum Dei.* Si intelligat; quod Eccleſia proponit in Concilio generali, vel per praxin univerſalem, tanquam verbum Dei, id eſt verbum Dei; concedimus. Si univerſaliter intelligat; *Quicquid Eccleſia dicit, id eſſe verbum Dei:* falſa erit propoſitio. Multa dicit Concilium Tridentinum de Reformatione, quæ non tradit, tanquam à Deo revelata. Hinc format concluſionem: *Qui igitur credit Eccleſiæ, credit Verbum Dei.* Dolus eſt, Cocceje; ſi tamen doli ſis capax. Ex quo antecedente ſequitur iſta concluſio? Verum eſt, certo ſenſu, antecedens: *Quod Eccleſia dicit, id eſt verbum Dei.* Indéne ſequitur? *Qui credit Eccleſiæ, credit verbum Dei.* Ponat integrum ſyllogiſmum, ſi poteſt. Interim, non credimus *Eccle-*

Digitized by Google

Eccleſia, uti ex adverſo fingitur; ſed credimus *Deo revelanti*, uti ipſe Coccejus noſtra verba poſuit.

CCXLV. Falſa eſt ratio, quam addit: *Quia Deus nihil revelat, niſi per os Eccleſiæ, hoc eſt, Papæ; & quicquid per illum proponitur, eſt divina revelatio.* Ubi diximus, Deum nihil revelare, niſi *per os Eccleſiæ?* Imò diximus, poſt tempora Apoſtolorum non dari novas revelationes pro tota Eccleſia. Et tamen iſte gloſſator vult videri mentem noſtram habere perſpectam apertiſſimè. Ubi diximus; Deum nihil revelare, niſi per os Eccleſiæ, *hoc eſt, Papæ?* Ad fictiones illa pertinent impertinentes. Ubi diximus; *Quicquid per illum proponitur, eſt divina revelatio?* Num univerſa decreta Pontificia, univerſas Bullas aſſerimus eſſe divinas revelationes?

CCXLVI. Falſum eſt quod addit: *Papam eſſe ultimum & neceſſarium (Dei voluntate) medium notificationis, & unicè ſufficiens ad fundandam fidem, colligitur ex notis Eccleſiæ.* Ubi hoc diximus? da locum, ſi potes. Falſum iterùm quod ſequitur: *Inter quas notas nullatenus continetur profeſſio Scripturæ ut regulæ, & obſervatio eorum quæ in illa continentur.* Imò nota Sanctitatis doctrinæ innititur verbo Dei ſcripto, & tradito: ſicut Sanctitas vitæ complectitur obſervationem eorum, quæ verbo Dei traduntur.

CCXLVII. Ambiguè dicit: *Quis non videt, in his nullam relinqui auctoritatem Scripturæ, ut ſtatim & ſine alia auctoritate, ipſi, tanquam verbo Dei, credere teneamur aut poſſimus?* Relativa hæc ſunt ad præcedentia. Quis non videt, *in his* falſiſſimis effatis, impotentis animi ſomniis, nullam relinqui auctoritatem Scripturæ, &c. Quid ad nos? ſi poſito abſurdo, ſequatur abſurdum: ſi tamen ſit abſurdum. Nobis autem ſua figmenta tribuere; & indè quidlibet concludere; puerile eſt. Non eripitur Scripturæ ſua eminentiſſima auctoritas, etiamſi ſtatuatur ſubalterna auctoritas, per quam Scripturæ auctoritas nobis innoteſcit. *Ego verò Evangelio non crederem, niſi me Catholica Eccle-*
Potent. *ſia commoveret auctoritas*; inquit S. Auguſtinus. De quo loco Cocce-
ſcript. jus multis agens, non audet omnem auctoritatem Eccleſiæ negare.
cap. 5. Imò & alterum locum S. Auguſtini ex lib. ad Honorat. de util. cred.
Ibid. pag. 82. cap. 15. producit: *Non eſt deſperandum ab eodem ipſo Deo auctoritatem aliquam conſtitutam, quâ velut gradu incerto (lege, certo) innitentes at-*
Ibid. pag. 83. *tollamur in Deum.* Addit & ex lib. 11. cap. 2. contra Fauſtum: *Vides in hac re (in cuſtodia ſacrarum literarum) quid Eccleſia Catholica valeat auctoritas*, &c. An non licet nobis loqui, & ſentire cum S. Auguſtino?

Digitized by Google

guſtino? An non licet nobis dicere; homines ordinariè nec teneri, nec poſſe credere Scripturæ, ſine auctoritate Eccleſiæ eam commendantis? Auctoritas Eccleſiæ non cadit maledictis.

CCXLVIII. Falſum eſt, quod ſequitur: Quis non videt *omnia reſolvi in dictum Papæ, & aſſenſum eorum, qui ipſum ſequuntur? iiſque attribui infallibilitatem in omnibus?* Unde enim illud eſt conſequens. Num etiam, ex ſententia S. Auguſtini, omnia reſolvuntur in auctoritatem Pontificis Romani, & aſſenſum eorum, qui ipſi in fide communicabant? num iis tribuebat infallibilitatem in omnibus? Si hoc non cohæret ſententiæ S. Auguſtini; cur noſtræ? Nunquid expreſſe diximus? *Ex parte objecti veritas Dei revelantis eſt ratio formalis, in quam ultimatè reſolvitur fides.* Si reſolvitur, ex noſtra ſententia, in veritatem Dei revelantis; quomodo nobis affingitur, quaſi reſolveretur in dictum Papæ, & aſſenſum eorum, &c.? Accedit, quod anteà dixerat Coccejus: *Papam eſſe unicum & neceſſarium medium notificationis & unicè ſufficiens ad fundandam fidem.* Hanc autem calumniam retractat, ſcribens; *omnia reſolvi in dictum Papæ, & aſſenſum eorum, qui ipſum ſequuntur.* Nam ſi reſolvatur fides in Papam, & aſſenſum eorum, qui ipſum ſequuntur: falſum eſt, Papam eſſe unicum & neceſſarium medium notificationis & unicè ſufficiens ad fundandam fidem. Sed utrumque falſum eſt: & tam infelix eſt Coccejus, ut dum falſa falſis cumulat, ponat non cohærentia, aliâ falſitate aliam ſubvertente.

CCXLIX. Adhuc falſum ſequitur: Quis non videt, *ad fucum tegendum proponi ex ingenio humano, quaſi ſilente Scripturâ aut ſepoſitâ, notas Eccleſiæ.* Quis non videt, nos adverſus eos, qui Scripturas admittunt, deducere notas ex Scriptura? adverſus eos, qui Scripturas non admittunt, eas ducere ex ingenio humano? Quis hîc fucus, qui tegatur? Profectò Coccejus non tegit ſuas falſitates. Sed fortè fucus detegitur verbis ſequentibus: *Quæ*, notæ, *eâdem operâ accipiantur ut notæ imò certiſſima argumenta infallibilitatis Papæ.* Da vel unum Doctorem Catholicum, qui notas Eccleſiæ accipiat ut certiſſima argumenta infallibilitatis Papæ. Si neminem valeas proferre, fucum tuum ipſe detexeris.

CCL. Pro coronide falſitatum concludit: *Atque adeò Papam planè jam exui illo titulo & obtentu ac larvâ, quaſi ſcilicet propter Scripturam ipſi credendum eſſet; & ſupra verbum Dei collocari?* Necdum didicimus, quomodo quidlibet ex quolibet concludatur: diſcendum id eſt ex

Digitized by Google

Coccejo, per titulos falſitatis, per obtentum fictionis, per larvam maledicentiæ.

§. 20.

De iis, quæ requiruntur ad probandum articulum fidei.

CCLI. Hîc ſedulò diſtinguendum eſt, inter ea, quæ requiruntur ad aſſenſum fidei, de quibus egimus §. 18. & ea, quæ requiruntur ad probationem fidei. Licèt enim requiratur gratia Spiritus ſancti, ut v.g. infidelis aſſentiatur fidei: non tamen requiritur in infideli gratia Spiritus ſancti, ut infideli ſufficienter proponatur & probetur veritas fidei. Imò qui probaturus eſt fidem, nihil roboris addit ſuo argumento, ſi allegat ſe habere Spiritum ſanctum; niſi illud ipſum aliundè probaverit.

Rom. 10. 14. CCLII. Ut probetur fides, requiritur 1. Verbum Dei. *Quomodo credent ei, quem non audierunt?* & hoc apud omnes in confeſſo eſt. Requiritur 2. Ut ſit, qui proponat Verbum Dei: *Quomodo autem audient ſine prædicante?* (Ibid.) & de hoc etiam, quod ſciamus, nulla lis eſt, niſi fortè cum Enthuſiaſtis, contra quos hîc non agimus. Requiritur 3. Ut de fidelitate proponentis Verbum Dei ſufficienter conſtet. Si enim auctoritas proponentis vacillet, non poterit nobis ſufficienter conſtare de Verbo Dei, quod proponitur. Hinc nos dicimus, dicta tria requiri, eademque ſufficere.

CCLIII. Itaque probaturi fidem Catholicam, ante omnia docemus, eſſe Eccleſiam proponentem Verbum Dei, & oſtendimus ejus fidelitatem auctoritatemque in proponendo. Hoc ſufficienter præſtito, nullum eſt dubium, quin illud ſit Verbum Dei, quod ab Eccleſia proponitur: nec quicquam ſupereſt, quod poſſit requiri, ad probandam fidem.

CCLIV. Adverſarii noſtri, probaturi fidem, quid adducent? Verbum Dei, inquiunt, ſacris literis comprehenſum. At ſi controverſia oriatur de Epiſtola v.g. ad Hebræos: quomodo probabunt Reformati, eam Epiſtolam eſſe Verbum Dei? Reſpondebunt: *Hos libros agnoſcimus eſſe Canonicos, id eſt, ut fidei noſtræ normam & regulam habemus, idque non tantum ex communi Eccleſiæ conſenſu, ſed etiam multò magis ex teſtimonio, & intrinſecâ Spiritus ſancti perſuaſione: quo ſuggerente, docemur illos ab aliis libris Eccleſiaſticis diſcernere, qui, ut ſint utiles, non ſunt tamen ejuſmodi, ut ex illis conſtitui poſſit aliquis fidei articulus.* (Conf. Gall. art. 4. pag. 100.)

Pſal.

Pſal. 12. 7. & 19. 8. At ſic patet 1. illos hîc non reſpondere, quomodo *probent*, Scripturam eſſe Verbum Dei; ſed quomodo *cognoſcant*, Scripturam eſſe Verbum Dei. Quæſtio non eſt de modo cognoſcendi, ſed de modo probandi. 2. Si putatis intrinſecam Spiritus ſancti perſuaſionem, venire in probationem Scripturæ; cùm vos affirmetis, Epiſtolam ad Hebræos eſſe Canonicam, negaverint autem Lutherani; quomodo perſuadebitis iſtis Lutheranis, vos Spiritu ſancto ſuggerente, Epiſtolam ad Hebræos habere Canonicam? Id profectò nulla probabili ratione nititur; tantum abeſt, ut neceſſariâ & evidenti. At verò, ſi intrinſeca Spiritus ſancti perſuaſio non veniat in probationem; undè docebitis, Epiſtolam ad Hebræos eſſe Canonicam? Non ex communi Eccleſiæ conſenſu: quia fidelitatem Eccleſiæ, in proponendo Verbum Dei, non agnoſcitis; vel, ſi eam teneatis, neceſſe eſt, ut fiatis Catholici.

CCLV. Tandem, ut paradoxum hoc ſit notius, dicite Reformati; an credere Epiſtolam ad Hebræos, ſit articulus neceſſarius? Si affirmatis; quomodo potuiſtis communionem Lutheranorum affectare, qui contrarium tenebant. Si negatis; quis tum Spiritus determinabit libros Scripturæ neceſſarios? An de quibuſdam erit liberum credere, vel non credere? Quæ ſomnia!

CCLVI. Non quærimus hîc, undè probetis, totam Scripturam eſſe Verbum Dei: id enim alio loco agemus: ſed undè probetis, Epiſtolam ad Hebræos eſſe Verbum Dei. Sic enim manifeſtiùs conſtringimeni, nec habetis exceptiones, quas objiciatis. Eodem modo petimus à Lutheranis, undè probent v.g. Epiſtolam ad Titum eſſe Verbum Dei: fuerunt enim qui ex Catalogo librorum Canonicorum eam rejicerent.

CCLVII. Sed hæc omittamus: quomodo probabunt Reformati, infantes fidelium ſine baptiſmo ſalvari? Adducent Scripturam, eamque dicent ab Apoſtolis propoſitam. At contrà: teſtimonia Scripturæ, quæ in hac materia producitis, non ſunt expreſſa. Reſpondetis; id evidenter ſequi ex Scriptura. Contrà 1. Undè probatis, illud eſſe Verbum Dei, quod evidenter ſequitur ex Scriptura. 2. Quæ Eccleſia propoſuit hunc fundamentalem articulum; Illud eſſe Verbum Dei, quod evidenter ſequitur ex Scriptura? Si hoc Scriptura non dicat; ſi nulla Eccleſia proponat; cur id docetis? cur ubique ingeminatis? 3. Tantum abeſt, ut ſententiam veſtram, de ſalvandis ſine baptiſmo fidelium infantibus, per evidentem conſe-

quentiam ex Scriptura probetis, quòd ne quidem habeatis certam. Dicite enim: quibus erit ea conſequentia evidens? an fortè regeneratis? Jam illud aſſumitis, quod probandum erat; vos ſcilicet eſſe regenitos, & ſufficere aſſertionem veſtram, ut quælibet concluſio dicatur evidenter ſequi ex Scriptura.

CCLVIII. Ex his patet, apud Adverſarios noſtros nullam eſſe certam probationem fidei, niſi nobiſcum admittant propoſitionem Eccleſiæ nunquam errantis, & ex directione Spiritus ſancti Verbum Dei fideliter proponentis. Patet etiam; Verbum Dei ab Eccleſia
Loc. 43. § 16. propoſitum ſufficere ad fidem probandam. Unde Bucanus: *Poteſt quidem cogere interdùm homines Eccleſia ſuâ* AUCTORITATE *& teſtimonio perpetuo, ut permoveantur & agnoſcant Scripturas eſſe canonicas.* (Hoc eſt, quod docemus.) *nec crederemus ſacris literis, niſi Eccleſia illas proponeret & nobis commendaret, ſed ut de earum veritate privatim, & internè in cordibus perſuadeantur, nullus ſufficere poteſt, niſi Spiritus* Dei, *nec enim fides eſt Eccleſiæ donum:* (idem nos docemus) *nec etiam fides noſtra in Eccleſia vocem, atque judicium, ſed in* Dei *verbum canonicis ſcriptis comprehenſum reſolvitur.* Nos dicimus, reſolvi fidem noſtram in Verbum Dei, abſtrahendo à ſcripto, & non ſcripto.

Diſp. 18. Corol. n. 3. CCLIX. Coccejus hanc rem obiter tangit: *Qui in probanda S. Scripturæ divinitate rejiciunt internum teſtimonium S. Sancti, nunquam illam eſſe divinam ac ut talem recipiendam, ſufficienter probabunt.* *Reſp.* Quicunque in probanda S. Scripturæ divinitate requirunt internum teſtimonium Spiritus ſancti, illi hoc requirunt, quod probari non poſſe, ipſi Reformati fatentur: fatentur enim Reformati, non poſſe alteri conſtare, ſitne hic, aut ille regeneratus, aut illuminatus interno Spiritus ſancti teſtimonio. De quo alteri conſtare non poteſt, illud nequit eſſe neceſſarium requiſitum ad probandum: omnis enim probatio fit per ea, de quibus alteri conſtare poteſt. Atqui internum teſtimonium Spiritus ſancti, pertinet ad ea, de quibus alteri conſtare non poteſt. Ergò nequit eſſe neceſſarium requiſitum ad probandum. Iterum: Quicunque dicit, non poſſe divinitatem S. Scripturæ probari ſine interno Spiritus S. Teſtimonio, is dicit, non poſſe divinitatem S. Scripturæ probari, ſine eo quod probari non poteſt: neque enim internum Spiritus ſancti teſtimonium probari poteſt. Atqui Coccejus dicit, non poſſe divinitatem S. Scripturæ probari ſine interno Spiritus S. Teſtimonio. Ergò Coccejus dicit, non poſſe divinitatem S. Scripturæ probari, ſine eo quod probari non poteſt.

Poſteà;

Poſteà; Bucanus allegatus benè dixit, *Poteſt quidem cogere interdùm homines Eccleſia ſuâ auctoritate & teſtimonio perpetuo, ut permoveantur & agnoſcant Scripturas eſſe canonicas.* An coguntur homines auctoritate & Teſtimonio perpetuo Eccleſiæ, nihil probantis, vel non ſufficienter probantis ſuâ auctoritate, & teſtimonio perpetuo? Si non ſufficienter probet Eccleſia ſuâ auctoritate, ſuo teſtimonio perpetuo; quomodo cogit Eccleſia homines, ut permoveantur, & agnoſcant Scripturas eſſe canonicas?

§. 21.
De fide implicita.

CCLX. Supereſt, ut nonnihil dicamus de fide implicita, tùm ad præcedentium elucidationem, tùm ut occurramus importunis quorundam cavillationibus. Explicitè credere eſt, credere aliquid in ſeipſo, ita ut illud ſit proximum objectum, in quod cadit aſſenſus fidei. Implicitè credere, eſt credere in alio tantùm: quia quod ſic creditur, reverâ non expreſſè cognoſcitur, neque intellectus format proprium & diſtinctum conceptum propoſitionis, quæ implicitè tantùm credi dicitur; ſed alterius, in qua ille continetur.

CCLXI. Fidem implicitam & virtualem eſſe, quando creditur principium aliquod, ſimul cum concluſione, quæ indè deduci poteſt, adeò certum eſt, ut nullus poſſit contradicere. Explicitè v. g. credimus; Chriſtum eſſe verum hominem; nonne ſimul implicitè & virtualiter credimus, Chriſtum eſſe riſibilem? Qui credit, Chriſtum eſſe verum hominem, immediatè attingit eſſentiam hominis, & eſſentia hominis eſt proximum objectum ejus aſſenſus: riſibilitas autem immediatè non attingitur. Sed quia ſub ratione proprietatis logicæ immediatè fluit ab eſſentia, dicitur implicitè credi & attingi cum eſſentia explicitè credita, tanquam concluſio in ſuo principio, undè & probari poteſt. Atque hac ratione fides implicita eſt in intellectu.

CCLXII. Deindè, ſi quis credit uni articulo per Eccleſiam propoſito, ob veritatem Dei revelantis; neceſſariò paratus eſt aſſentiri reliquis articulis, à Deo per Eccleſiam propoſitis. Ratio manifeſta eſt: ſi enim quis credit ob veritatem Dei revelantis, hæc ratio formalis aſſenſus extenditur ad omnia, quæ Deus revelavit, & in omnibus eſt eadem, licèt objecta materialia ſint diverſa. Undè non

 poteſt

poteſt aliquis fidelis judicare, dictam rationem formalem nunc ſequendam eſſe, nunc repudiandam: ſed ſi in uno articulo eam ſequatur, neceſſariò judicat, in omnibus ſequendam eſſe; atque ita paratus eſt credere, quicquid Deus per Eccleſiam docet eſſe revelatum. Nam ſi quis unum credat, & alterum neget; cùm utrumque ſit à Deo revelatum; talis eſt *proprio judicio condemnatus*. Et quomodo? quia credens unum, eo ipſo approbat rationem formalem credendi circa omnia objecta materialia fidei. Quocirca, ſi neget unum materiale fidei, cùm in eo ipſo inveniatur ratio formalis credendi, condemnatur priore judicio, quo uni veritati revelatæ aſſenſum præbens, rationem formalem credendi circa omnia revelata probavit, & eum probando contradictorium diſſenſum condemnavit.

Catech. 5. Tom. 4. Bibl. SS. Patr. pag. 408. F. CCLXIII. Hinc S.Cyrillus Jeroſol. *Cùm enim non omnes poſſint Scripturas legere, & alios quidem inſcitia, alios verò occupatio quædam impedit à cognitione: ne ob inſcitiam animam perdas, in paucis verſibus univerſam fidei doctrinam comprehendimus.* & mox: *Habeto autem hanc doctrinam tanquam viaticum omni tempore vitæ, & præter hanc aliam non ſuſcipere decet: nec ſi nos ipſi mutati, contrarium his, quæ docemus nunc, aſtruamus: neque ſi angelus contrarius in angelum lucis tranſmutatus, ſeducere te voluerit.* & mox: *Et quemadmodum ſemen ſinapis in parvo grano multos continet ramos, ſic & fides in paucis verbis omnem tam veteris, quàm novi Teſtamenti pietatis cognitionem involvit.*

CCLXIV. Vides, puto, lector, quid ſit de fide implicita: ſed operæ pretium eſt, audire Adverſarium noſtrum, contra ſeipſum *Reſp. contr. Mogunt. n. 24.* teſtimonium perhibentem. Calixtus ſtatuit aliquem inopinatò morientem, inſtructum in fide Chriſtiana, nondum inſtructum in materia de Sacramentis, concluditque, eum non damnandum: *Et tamen*, inquit, *propoſitum ſuſcipiendi Sacramenta habuit non niſi implicitum, cùm juxtà hypotheſin de Sacramentis nihil, aut nondum diſtinctè quicquam cognoverit. Ex quo autem fide in Chriſtum & inſtitutione imbutus ſe totum Chriſto mancipavit, paratus quoque erat & his, & quibuſvis Chriſti præceptis obſequi.* Eodem modo dicimus; ex quo aliquis per Eccleſiam Catholicam inſtitutus eſt, & ſe totum Chriſto mancipavit, paratus quoque eſt omnibus à Deo revelatis acquieſcere: & hanc vocamus fidem implicitam, ſive propoſitum implicitum explicitè credendi. Vid. Bucan. *de fide. loc.* 29. §. 16.

Quæſt. 22. CCLXV. Numquid Catechiſmus Heidelbergenſis dicit, *ſummam eorum*, quæ in Evangelio promittuntur, eſſe in Symbolo Apo-

Apoſtolico? Numquid Conf. Helv. poſter. idem Symbolum vocat *Art.* 17.
compendium Scripturæ? Et tamen illud Symbolum non continet ex- *pag.* 56.
plicitè omnes promiſſiones, vel totam Scripturam. Quomodo igitur eſt *ſumma*? quomodo *compendium*? Si vocetur ſumma, quòd implicitè contineat promiſſiones univerſas: ſi vocetur compendium, quòd totam Scripturam implicitè complectatur, propter eandem rationem formalem omnibus communem; hoc eſt, quod dicimus.

CCLXVI. Quapropter quiſquis propter auctoritatem & veritatem Dei revelantis credit Deum eſſe, neceſſariò paratus eſſe debet aſſenſum præbere omnibus, quæ intelliget ab eadem veritate revelata: ſicut qui amat divinam bonitatem, neceſſariò amat objecta ſecundaria, id eſt, proximos.

CCLXVII. Tandem dicimus, aliquem implicitè credere per relationem ad alios explicitè credentes, Eccleſiam ſcilicet. Ita qui credit, quod Eccleſia credit, paratus eſt omnia amplecti, quæ Deus per Eccleſiam propoſuit credenda. Et quia fide divinâ credit, Eccleſiam regi à Spiritu ſancto, neceſſariò paratus eſſe debet in nullo diſſentire ab Eccleſia. Imò ſi exactè agendum eſt; Catholicus credens Eccleſiam omnes veritates fidei fideliter proponere, eo ipſo formaliter credit & amplectitur omnes & ſingulas particulares veritates fidei ab Eccleſia propoſitas. Neque eſt neceſſe, ut explicitam notitiam habeat omnium particularium veritatum fidei, ut verè & formaliter dicatur ſingulas credere. Sicut formaliter de omnibus & ſingulis hominibus dicit, *eſt animal*; qui dicit, *omnis homo eſt animal*: licèt longè maximam hominum partem non noverit.

CCLXVIII. Atque hinc corruunt multiplices adverſariorum noſtrorum cavillationes contra fidem implicitam. Vide Calixt. *Reſp. contr. Mogunt. n.* 119. Hoffman. *in Prologo Officin. Theolog. pag.* 14.

§. 22.

Objectorum conſideratio.

CCLXIX. Objicit Judicium Neufeld. *Si credere quod Eccleſia* *Cap.* 10. §. 2.
credit ſatis eſt, ignarus etiam quid Eccleſia credat, alienâ fide ſalvari poſſibile erit. At hoc abſurdum Propheta, dicenti: juſtus ſuâ fide vivet. Abac. 2.

CCLXX. *Reſp.* Nullus Catholicus docet, ſatis eſſe, ſi quis credat, quod Eccleſia credit, nihil ipſe explicitè credens. Docent enim

omnes

omnes Catholici, multorum articulorum explicitam fidem omnibus & ſingulis eſſe neceſſariam: ideoque ſimpliciores, quoad ea, quæ ſingulis neceſſaria non ſunt, credere, quod Eccleſia credit, hoc eſt, paratos eſſe in omnibus & ſingulis Eccleſiæ acquieſcere. Cæterùm nec ipſi Adverſarii exigunt à ſingulis explicitam fidem omnium & ſingulorum, quæ Deus revelavit: ac proindè hîc nihil habent, quod nobis objiciant.

Diſp. 34. *n.* 24. CCLXXI. Coccejus 1. *Nos non ſumemus nobis examinandum vocabulum ipſum fidei* IMPLICITÆ, *quàm illud pulchrum, venuſtum & ſalubre atque utile ad inſtitutionem ſit; hoc ſaltem dicendum habemus, meliùs intellecturos & doctos & indoctos, quid ſit, de quo quæritur, ſi nominetur propoſitum recipiendi aliquid, ſi demonſtretur, propter ſubjectionem ſui ergà certam auctoritatem, aut propter receptionem ac aſſenſum habitum certæ veritati cum qua altera veritas (licèt necdum cognita) ſuâ natura connexa eſt. Reſp.* Tranſeat.

Ibid. n. 25. CCLXXII. Coccejus 2. *Paulus Apoſtolus Act.*24. 14. *profitetur*, ſe credere omnibus, quæ in lege & in Prophetis ſcripta ſunt, *non ſignificans, ſe omnia myſteria pernoſſe; (Nam ex parte cognoſcimus, ex parte prophetamus, ut ipſe dicit* 1Cor. 13. 9. 12.) *ſed ſe legem & prophetas pro certiſſimo & unico Dei teſtimonio recipere. Reſp.* Laudamus probationem ex Act. 24. 14. Quod dicit de unico Teſtimonio, ad rem non facit.

Ibid. n. 26. CCLXXIII. Coccejus 3. *Idem ſic interrogat Agrippam Act.* 26. 27. Credis, Rex Agrippa Prophetis? novi, quod credas. *Atqui certus erat, Agrippam nondum ſcire, nedum aſſentiri omnibus, quæ in Prophetis continentur. Attamen ſciebat, Agrippam Prophetas habere pro teſtibus divinæ voluntatis & conſilii indubitatis, ita ut, quod ex iis demonſtraretur, non judicaret eſſe rejiciendum & damnandum. Reſp.* Bona iterùm ex Act. 26. 27. probatio. De gloſſa non ſumus ſolliciti.

CCLXXIV. Coccejus 4. *In ea fide formaliter (ut ita loquar) eſt perceptio & apprehenſio divinæ auctoritatis, hoc eſt, amor & timor Dei, ac Teſtimonii ipſius recognitio. Itemque agnitio Chriſti ſalvatoris & fiducia in ipſo. Nam citra hanc nulla cognitio* θειότητος τοῦ Θεοῦ *ſive attributorum Dei, nulla convictio de veritate & divinitate Sacræ Scripturæ, poteſt hominem reddere paratum ad Deo obediendum & aſſentiendum in omnibus, quæ is ad gloriam ſuam in verbo ſuo revelat. Adeſt etiam huic fidei votum ac ſtudium*

ſtudium ad cognitionem Dei magis magiſque ex Scripturarum inſtitutione proficiendi.

CCLXXV. *Reſp.* Verè Coccejus, in ea fide eſt formaliter perceptio & apprehenſio divinæ auctoritatis, tendit enim in objectum ut Dei auctoritate revelatum: Quomodo autem iſta apprehenſio & perceptio ſit amor & timor Dei, fatemur nos non capere. Verè iterùm, quod perceptio & apprehenſio divinæ auctoritatis, complectatur agnitionem Chriſti ſalvatoris, & fiduciam in ipſo: ea enim ſunt inter prima credibilia. Sed abſurdum eſt dicere: *Citra hanc agnitionem Chriſti ſalvatoris & fiduciam in ipſo, nulla cognitio attributorum Dei, nulla convictio de veritate & divinitate Sacræ Scripturæ poteſt hominem reddere paratum ad Deo obediendum & aſſentiendum in omnibus, quæ is ad gloriam ſuam in verbo ſuo revelavit.* Nam qui ſine agnitione Chriſti ſalvatoris, & fiducia in ipſo, non poteſt eſſe paratus ad Deo aſſentiendum in omnibus, quæ is revelavit: debet habere agnitionem Chriſti ſalvatoris, & fiduciam in ipſo, antequam de facto aſſentiatur in omnibus, quæ Deus revelavit. Si non ſufficit conſcientiam eſſe convictam de veritate & divinitate Sacræ Scripturæ, ut quis aſſentiatur veritatibus in S. Scriptura revelatis, ſine prævia agnitione Chriſti ſalvatoris, & fiducia in ipſo; ergo datur agnitio Chriſti ſalvatoris & fiducia in ipſo, antequam aſſentiamur verbo Dei ſcripto. Nùm verè? Iſto ſcilicet inſtitutore docti & indocti rectiùs intelligent, quæ ſit ratio fidei implicitæ.

CCLXXVI. Coccejus 5. *Cæteroquin, quod attinet ipſas* *Ibid. n. 28.* *veritates, quæ partim in regula illa, partim in fundamento continentur, circa illas habet is, qui ita credit, vel ignorantiam omnimodam, vel ſaltem non ſufficientem notitiam.* *Reſp.* Si non habet ſufficientem notitiam, habet aliquam notitiam: & ſi talia ſint, quæ non requirunt à ſingulis expreſſam notitiam, habebit etiam ſufficientem notitiam.

CCLXXVII. Coccejus 6. *Neque omninò verum eſt, qui quomodolibet uni veritati aſſenſus ſit, neceſſariò etiam veritati connexa aſſentiri.* *Ibid. n. 29.* *Multi enim poſſunt partem aliquam veritatis cum gaudio recipere, radicem non habentes, ſed, propter concupiſcentias ſuas, integram veritatem, quum ea propalata fuerit, repudiare. Sed hoc verum eſt, qui id faciunt, eſſe* αὐτοκατακρίτους. *Reſp.* Idem dicit Coccejus, quod diximus ſuprà n. 261.

Digitized by Google

n. 261. niſi quod per quomodolibet aſſentiri, innuat tales non verè aſſentiri; cauſa nota eſt.

Ibid. n. 30. CCLXXVIII. Coccejus 7. *Et verò cogitent pii, quid de Walenburgiis ſentiendum ſit, an non hic ſe oſtendant αὐτοκατακρίτους*, ſuopte judicio damnatos, *qui aſſerant*, cum principio concluſionem, quæ indè deduci poteſt, virtualiter credi; *& tamen, ut ſuprà cognovimus, receptionem concluſionis demonſtrata negant eſſe* fidem. *Reſp.* Miſeret nos Cocceji. Virtualiter credi, non eſt formaliter credi. Nihil eſt de fide, niſi quod formaliter creditur, utpote formaliter revelatum. Quod tantùm virtualiter revelatum eſt, tantùm virtualiter creditur, non formaliter: neque eſt abſolutè & ſimpliciter de fide. Doceat Coccejus, ubi Scriptura dicat, quod tantùm virtualiter revelatum eſt, eſſe formaliter credendum. Maledictum donamus ejus ſimplicitati.

CCLXXIX. Coccejus 8. *Item, quando implicitam ſuam fidem, qua nihil eſt aliud, quàm ſubjectio ſui ſub auctoritatem Eccleſia tanquam errare neſcia, probatum eunt ex iis, qua Calixtus & Catechiſis Heidelbergenſis partim de hominis fidelis propoſito implicito ad ſuſcipiendum ſacramentum (quod continetur in fideli obedientia, ſive amore & timore Dei) partim de ſumma Evangelicarum promiſſionum dicunt. quaſi perinde ſit credere, Deum nos omnia docere per Scripturam, & credere, Eccleſiam (hoc eſt, vel maximam multitudinem eorum, qui ſe Chriſtianos vocant, vel eos ſaltem, qui Papam pro capite recognoſcunt, vel omninò, vel ſaltem in quantum cum ipſo faciunt.) fallere & errare non poſſe: idemve eſſet, paratum eſſe ad obediendum Deo loquenti in certo verbo, & paratum eſſe ad obediendum homini, ſepoſitâ Scripturâ ἀναπόδεικτα* indemonſtrabilia *loquenti.*

CCLXXX. *Reſp.* Implicitam fidem non uno ſe habere modo, dictum eſt paragrapho præcedenti. Dari implicitam fidem, quæ explicetur per relationem ad alios credentes, ibidem diximus. Sive Eccleſia poſſit fallere, ſive non fallere, non niſi admodum imperitè negari poteſt, fidem ad Eccleſiam (quam judicamus fallere non poſſe) dicto modo relatam, eſſe implicitam. Non quæritur, quid melius, quid ſecurius ſit, paratum eſſe ad obediendum Deo loquenti in certo verbo, an paratum eſſe ad obediendum homini, ſepoſitâ Scripturâ indemonſtrabilia loquenti? Talis enim quæſtio ad fictiones Cocceji pertinet. Illud potiùs quæritur; quid melius, quid ſecu-

ſecurius ſit, paratum eſſe ad obediendum Deo, (non ſepoſitâ Scripturâ, ut ille calumniatur) in S.Scriptura, & in Verbo Dei tradito loquenti, & per Eccleſiam univerſam veritates fidei (non indemonſtrabiles, ut ille comminiſcitur) proponenti; an paratum eſſe ad obediendum Deo loquenti in certo verbo ſuo, ſecundùm cujuſque privatam explicationem intellecto? Judicet lector.

CCLXXXI. Coccejus 9. *Cui fidei implicita (hoc eſt, reverà labyrintho implicata & εἰς ἄδηλον φερομένη) Carbonaria, & atro carbone notanda, quàm probè conveniant verba Cyrilli, ex iis ipſis perſpicuum eſt.* &c. *Ibid. n.* 32.
Reſp. Loquitur Coccejus, quaſi doceremus fidem implicitam, ſine ulla fide explicita, ſufficere ad ſalutem: cùm tamen in præcedentibus dixerimus apertiſſimè, quorum articulorum fides explicita requiratur; quod & S. Cyrillus facit, credenda breviter proponens. Qui putant Carbonarium ſolâ fide implicitâ fuiſſe inſtructum, ipſo Carbonario ſimpliciores ſunt. Carbonarium in tentatione habuiſſe recurſum ad fidem implicitam, verum eſt: hoc autem ſi atro carbone notandum, quo colore pingendum, quod ſcribit Coccejus? *Poteſt ſimplicitas rejicere ut vanum, quod contra certam veritatem opponitur, licèt ſtropharum ingenium & præſtigiarum ludibria explicare neſciat.* Vid. S. Baſilium *de Askeſi. Tom.* 2. *pag.* 383. C. *S.Script. potent. cap.* 8. *pag.* 201.

CONCLUSIO.

CCLXXXII. Propoſuimus Principium Catholicum, & oſtendimus, planam eſſe veritatis viam: ſeparavimus nonnulla Scholaſtica à Catholicis, certa à minùs certis; tùm ut errantes faciliùs reducantur, tùm ut contradicentes faciliùs convincantur. Egimus etiam de Articulis neceſſariis; ne quis putaret, nos plura in alienis examinare, quàm ex noſtris proponere: licèt interim illud neceſſitatis fuerit, hoc abundantioris charitatis. Tandem varias difficultates hinc indè vel expedivimus, vel prævenimus; ut particularium controverſiarum tractatio æqualiús decurrat: quod an aſſecuti fuerimus ſuo tempore patebit. Si autem, dùm examinata ſunt principia, jejunus lector dimiſſus videatur, meminerit ejus S. Ambroſii: *Non in principiis perfecta quæruntur, ſed de principiis ad ea quæ perfecta ſunt per-* *In cap.* 9. *Luc. Tom.* 3. *col.* 118. E.

 veni-

venitur. Secuti autem ſumus illud S. Clement. Alexandr. *Meritò ergò cum fide comprehenderimus principium indemonſtrabile ex abundanti ; & ab ipſo principio de principio demonſtrationes ſumpſerimus , voce Domini erudimur ad agnitionem veritatis.* lib. 7. ſtromat. ſub fin. pag. 757. B.

EXA-

Digitized by Google

EXAMEN QUARTUM.

DE

PRINCIPIO COMMUNI.

Doctrinam Chriſtianam primorum ſeculorum, quæ in libris Sanctorum Patrum & antiquorum Conciliorum reperitur, eſſe incorruptam, ſaltem quoad articulos ad ſalutem neceſſarios.

§. 1.

Ratio hujus Examinis.

I. GRata eſt morigeris filiis parentum recordatio, moleſta diſcolis. Accuſatores temerarii judices fugiunt, quos amat & proſequitur reorum innocentia. Adverſarii noſtri, ubi de SS. Patribus agitur, modò extollunt illos, modò deprimunt: utuntur eorum ſententiis, quorum auctoritatem contemnunt: idque ne videantur eſſe, quod reverâ ſunt, filii immorigeri, & accuſatores temerarii. Nam, ut de Lutheranis rectè dixit Calviniſta Balæus; venerantur piam & eruditam antiquitatem, ſicut milites, qui dicebant, *Ave rex judæorum.* Et de Calvino rectè dicemus, quod Euſebius de Marcello Ancyrate: Ut verbo dicam, Eccleſiæ Patres omnes nihili facit: ſolo ſeipſo contentus, ſibi placens. Noſtrum proindè eſt, pro honore parentum, pro auctoritate judicum, pro fidelitate teſtium, pro ſolicitudine diſpenſatorum, pro reverentia magiſtrorum, pro ſinceritate conſiliariorum diſſerere; illudque ſtabilire, quod ab initio hucuſque fixum ratumque fuit.

Exam. recitat. Selneceri. pag. 67.

Lib. 1. cap. 4. pag. 19. B.

§. 2.

Sententia utriuſque Partis.

II. Concilium Tridentinum ſtatuit, non eſſe permittendam interpretationem Scripturæ, *contra unanimem conſenſum Patrum.* Ubi notandum eſt, interpretationem Scripturæ non tantùm eam impro-

Seſſ. 4.

 bari,

Digitized by Google

bari, quæ unanimi conſenſui Patrum Scripturam interpretantium contravenit; ſed abſolutè, quæ unanimi Patrum conſenſui eſt diſſentanea. Sunt enim Sanctorum Patrum conſentientia Teſtimonia, Deo diſponente, ad æternam veritatis memoriam conſcripta; & antè exortos Adverſarios, ante litem motam publicata.

Method. Auguſt. Part. 1. cap. 5.

Inſtit. lib. 4. cap. 2. § 3.

III. Adverſarii noſtri communiter ſtatuunt, SS. Patres primorum ſeculorum, in articulis fidei neceſſariis non erraſſe. Hinc Calvinus: *Quum extra controverſiam eſſet, nihil à principio uſque ad illam ætatem mutatum fuiſſe in doctrina, ſumebant quod omnibus novis erroribus conficiendis ſufficeret, illis oppugnari doctrinam, ab ipſis uſque Apoſtolis conſtanter & unanimi conſenſu retentam.* In Corpore Confeſſionum fidei ponitur: *Catholicus veterum, qui Patres vocantur, conſenſus.* Et additur: *Nec tamen ſunt hæ ſententiæ inter axiomata Theologica per ſe recenſendæ, &c. ſed ſunt Theoremata, Aphoriſmi vel lemmata per illa ſumma verbi Dei axiomata demonſtranda.* Undè & Hundius dicit: *Quod dicunt: Patres nobis cum Pontificiis, commune principium eſſe, id falſum eſt.* negatque id Calvinum velle, cujus hæc verba Gallica adducit: *Ils prennent cecy comme un principe ſuffiſant à renverſer tous erreurs.* hoc eſt: *accipiunt illud* (conſenſum) *velut principium ſufficiens ad ſubvertendos omnes errores.* & hunc procedendi modum probat in Patribus Calvinus; quorum exemplo accipimus eundem conſenſum, velut principium ſufficiens, ad ſubvertendos Adverſariorum errores. Neque hîc contra Adverſarios urgemus, ut conſenſus SS.Patrum habeatur, *ut cauſa formalis propter quam, aut ſolam, aut ſemper, credere quis debeat*; cùm illa cauſatio ſoli veritati Dei revelantis, & Spiritui S. conveniat. Neque diſputamus, an conſenſus SS.Patrum habeat prærogativam infallibilitatis, circa quaſcunque fidei controverſias: ſed aſſerimus, Adverſarios noſtros ſibi vendicare Patres in articulis neceſſariis; noſque eoſdem nobis vendicare: in his adhiberi ut teſtes ab Adverſariis; ut teſtes adhiberi à nobis: ab Adverſariis implorari eorum patrocinium; impetrari à nobis: ab adverſariis prætenſum adduci judicium; à nobis veram produci ſententiam. Quæ cùm nobis hinc, indè communia ſint, commune dicimus Principium; licèt nos Patribus, ſecundùm Scripturas ipſas, plus deferamus, illi minus. Quis enim neget, verbum Dei, per conſenſum SS.Patrum Eccleſiæ inſinuatum, eſſe Principium probandi fidem? Conſenſus SS.Patrum, ut talis, non eſt verbum Dei; ſed illud, in quo conſentiunt, eſt Verbum Dei; ipſe autem conſenſus, ut talis, eſt medium, quo Verbum Dei nobis

Epiſt. ad Elect. Palat.

Part. 1. ſect. 2. cap. 4. n. 54.

Digitized by Google

bis innoteſcit. An illud medium ſit infallibile, non eſt eadem Adverſariorum, & noſtra ſententia. Atque ideò ſepoſitâ tantiſper quæſtione infallibilitatis; dicimus convenire inter nos, illud medium de facto non erraſſe in articulis neceſſariis: hoc enim utrinque aſſerimus, & utrinque ſentimus. Quo poſito, conſenſus SS.Patrum eſt Principium commune ad probandos articulos neceſſarios; cùm doctrina, in qua conſentiunt, ſit Verbum Dei; prout hinc indè affirmamus.

IV. Verùm, ſicut in ſequentibus oſtendemus, quid SS. Patres de hac ipſa materia ſenſerint; ita non inutile erit, Adverſariorum ſententiam ulteriùs declarare. Dicunt SS.Patres ſecum ſentire in articulis neceſſariis; & tamen hanc legem ponunt: Miniſtri in concionibus *non allegabunt, niſi benè ſobrie, ſcripta antiquorum Doctorum.* Dicunt SS.Patres non erraſſe in articulis neceſſariis; & tamen volunt, ut in diſputatione de fide, *non detur locus ſcriptis antiquorum Doctorum pro judicio & deciſione cauſæ.* Iidem illi, qui nolunt aſtringi conſentientibus SS.Patrum Teſtimoniis; volunt omnes Doctores & Profeſſores Theologiæ *tractare Scripturam in omni puritate, juxta analogiam fidei, & confeſſionis noſtrarum Eccleſiarum Galliæ, quam ſignabunt, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ.* Vid. Diſcipl. Eccl. Mittelburg. *art.* 37.

Diſcipl. Gall. cap. 1. art. 11.
Ibid. cap. 6. art. 4.
Ibid. cap. 2. art. 3.

V. Illi cupiunt tractari Scripturam juxta analogiam fidei Reformatæ; nos juxta analogiam fidei ab Apoſtolis uſque ad hæc tempora continuatæ: illi juxta analogiam Confeſſionis Eccleſiarum Reformatarum Galliæ; nos juxta analogiam Confeſſionum, per unanimem conſenſum Patrum traditarum: illi juxta analogiam Diſciplinæ Gallicæ recèns fabricatæ, nos juxta analogiam Conciliorum generalium. Hæc veſtra libertas eſt, quam de prædicatis, ut ab obedientia Eccleſiæ Catholicæ exempti, graviſſimo ſervitutis jugo premamini, conſtricti catenis Gallicæ Confeſſionis, & Diſciplinæ Eccleſiaſticæ.

VI. An hoc eſt, quod ingeminatis, SS.Patres ſubjectos debere manere Scripturis, ut omnia ſubjiciantur veſtræ Confeſſioni, & Diſciplinæ Eccleſiaſticæ? An neſcitis, Judicem eſſe ſubjectum legi; & tamen judicare inter partes de vero ſenſu legis? Ita Patres ſubjiciuntur Scripturis, & judicant de interpretatione Scripturæ. Si Confeſſio veſtra ſubeſt Scripturæ; quomodo Scriptura tractanda eſt juxta analogiam veſtræ Confeſſionis? Si hoc inconveniens non eſt; quid æquius excogitari poteſt, quàm interpretationem Scripturæ ab illis acci-

Eilbracht. *Epanorth. cap. 14. annot. Gen. 12. pag. 100.*

Digitized by Google

accipere, qui nobis ipſas Scripturas tradiderunt? Dicit Conf. Helv.
Art. 3. pr. ſe recipere Sanctos Patres *non ſolùm ut interpretes Scripturæ, ſed ut*
pag. 87. *organa Dei dilecta*, quatenùs non diſceſſere à vera interpretatione,
Ibid. art. 2. quæ fit per ipſam Scripturam, *charitatis fideique regulâ moderante.* Quid verò magis ad charitatem facit, quàm permanere in prima unitate? quæ regula fidei ſequenda eſt, niſi quæ ab initio eſt tradita?

VII. Quod hîc diximus contra Reformatos, ſimili ratione valet contra Lutheranos: nam & illi aſtringunt ſuos Confeſſioni Auguſtanæ, Catechiſmo Lutheri, aliiſque pluribus; Scripturæ quidem (ut dicunt) ſubjectis, ſed à quibus etiam Doctori Lutherano nefas ſit recedere.

§. 3.

Vtilitas ex ſententia Adverſariorum.

Part. 2. VIII. Dicit Hundius: *Certum eſt nobis, Patres primorum ſeculorum*
cap. 1. *n.* 18. *in omnibus ad ſalutem neceſſariis noſtros eſſe.* Et hæc eſt communis Ad-
& part. 1. *cap.* 6. *n.* 71. verſariorum ſententia; ut & in præcedentibus diximus. Vid. Molin. *Defen. de la foy lib.* 2. *art.* 2. *pag.* 170. Calv. *lib.* 4. *Inſtit. cap.* 8. Du Pleſſis, *Præfac. du Myſter. d'iniq.*

IX. Hinc ſequitur 1. *Nullum articulum apud Adverſarios eſſe neceſſarium; niſi in quo conſentiunt cum Patribus primorum ſeculorum.* Oſtendant ergò unum ſolum articulum controverſum, ad ſalutem neceſſarium, in quo ipſi conſentiant cum Patribus primorum ſeculorum. Hoc ſi nequeant, quomodo docebunt, nos errare in articulo aliquo ad ſalutem neceſſario? Sequitur 2. cùm Adverſarii certi ſint, ſe convenire in omnibus ad ſalutem neceſſariis cum primorum ſeculorum Patribus; etiam nobis, & ipſis certum eſſe, poſſe haberi indubitatam notitiam conſenſus doctrinæ neceſſariæ hujus temporis, cum
Part. 3. doctrina Patrum. Atque ita Hundius non tantùm exploratæ verita-
cap. 3. *n.* 28. ti; ſed & ſibi contradicit, quando aſſerit: *Conſenſus Catholicus præfinitò ex Patribus haberi nequit.* Si enim de illo conſenſu conſtare nequeat; neque de veſtro cum illis conſenſu conſtare poterit. Hinc vana ſunt, ne dicamus, contra conſcientiam Hundii prolata, quæ in tertia libri ſui parte, ex ſua ſententia, contra SS. Patres declamat. Sequitur 3. ex Patribus poſſe ſciri, quid ſit ad ſalutem neceſſarium; niſi enim id ſciri poſſet, quomodo veſtro de illis conſenſu conſtaret? Hoc autem cùm ſciatur, conſideret Hundius, quoties ſententias ipſius hæreſi deputaverint.

X. Ut

Digitized by Google

X. Ut ſequentia planiùs decurrant, nota; nos non agere de conſenſu SS.Patrum in rebus Philoſophicis, aut quibuſcunque aliis, ad fidem & mores Eccleſiæ non ſpectantibus: neque agi de unius aut duorum ſententia; non enim quod ſolis Auctoribus Canonicis proprium eſt, huic, aut illi è SS.Patribus tribuimus privilegium: neque agere de conſenſu plurium, reliquis, licèt paucioribus, reclamantibus; niſi & paucorum ſententia ab Eccleſia fuerit rejecta.

XI. Acturi de conſenſu SS.Patrum, operæ-pretium erit, ipſa SS.Patrum adducere Teſtimonia; ut intelligatur, ab initio naſcentis Eccleſiæ, hoc in uſu & praxi fuiſſe, quod modo tenet & ſequitur Catholica Eccleſia.

§. 4.

Cocceji confidentia notatur.

XII. Antequam ad ipſa SS.Patrum Teſtimonia veniamus, obſervanda eſt Cocceji admiranda confidentia, quando ſcribit: *Si Apoſtolum audimus, nulla capitalior peſtis Eccleſia & certior pernicies ejus eſſe poteſt, quàm Scripturas poſtponere libris antiquorum, qui ad noſtras manus pervenerunt, & hos putare fontem limpidum & ſincerum vera ac ſalutaris interpretationis. Quod ideò rotundiùs dico, quia, ſi fidem adhibemus Apoſtolo, hac πανδοχῇ inanium δοξῶν & inutilium ἐθῶν hoc monſtrum, Antichriſtus, in Eccleſiam invehendum erat. Imprimis, quum hoc videamus fieri à Papiſtis etiam contra monita & proteſtationes optimorum inter illos, inter quos meritò Auguſtinum referimus.* *Diſp. 44. n. 18.*

XIII. *Reſp.* 1. Ubi dicit Apoſtolus, nullam eſſe peſtem capitaliorem Eccleſiæ, nullam certiorem perniciem, quàm Scripturam interpretari *juxta unanimem conſenſum SS.Patrum.* Hoc enim docet Eccleſia Catholica: cujus quidem ſententiam ſiquidem judicabas impugnandam; debebas & judicare non pervertendam. Aliud utique eſt dicere; *Scripturam eſſe interpretandam juxta unanimem conſenſum SS.Patrum:* aliud; *Scripturas eſſe poſtponendas libris antiquorum.* Prius habet ſententiam Catholicam, poſterius perverſitatem maximam. 2. Sed fortè dicet Coccejus, volentem interpretandas eſſe Scripturas juxta unanimem conſenſum SS.Patrum, eo ipſo Scripturas poſtponere libris antiquorum. Quo judice? Coccejo: qui ſuis dicam ſcribit, dum nobis ſua narrat ſomnia. Doctores & Profeſſores Theologiæ Reformatæ, inter quos numerari vult Coccejus, tenentur, juxta

Digitized by Google

Diſciplinam Eccleſiæ Gallicæ *tractare Scripturam in omni puritate, juxta analogiam fidei, & confeſſionis Eccleſiarum Galliæ, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ*; ut ſuprà retulimus. Vel per hoc Scriptura poſtponitur Confeſſioni Gallicæ, & Diſciplinæ Eccleſiaſticæ; vel non poſtponitur. Si poſtponitur Scriptura; jam, volente Coccejo, nulla capitalior peſtis Eccleſiæ, & certior pernicies ejus eſſe poteſt, ſi Apoſtolum audimus; juxta quem, monſtrum illud, Antichriſtus, in Eccleſiam invehitur. Sin autem per hoc Scriptura non poſtponitur Confeſſioni, & Diſciplinæ Gallicæ; quo prætextu dicetur poſtponi libris antiquorum; quia aſſerimus interpretandam eſſe Scripturam, juxta conſenſum SS.Patrum? Nùm Confeſſio Gallica potior eſt conſenſu SS.Patrum; ut ſecundùm illam interpretata, ſalvus maneat Scripturæ ſuus honor; ſecundùm iſtum non maneat? Nùm Diſciplina Gallica potior eſt conſenſu SS.Patrum, ut interpretata Scriptura juxta Diſciplinam Gallicam, non poſtponatur Diſciplinæ; juxta conſenſum SS.Patrum interpretata poſtponatur? Nùm analogia fidei recenter Reformatæ potior eſt conſenſu SS.Patrum à multis ſeculis recepto, ut ſi juxta novitiam analogiam Scriptura explicetur, non invehatur monſtrum Antichriſti in Eccleſiam; ſi juxta teſtatiſſimum SS.Patrum conſenſum explicetur, Antichriſtus in Eccleſiam introducatur? 3. Nùm Calvinus Antichriſtum invehebat in Eccleſiam, quando dicebat, quæ retulimus? An Antichriſtum introducunt in Eccleſiam, qui aſſerunt, ſuos eſſe Patres primorum ſeculorum in omnibus ad ſalutem neceſſariis? 4. Ergò non Apoſtolo fidem adhibet Coccejus, ſed ſuæ phantaſiæ, à veritate graviter aberranti; etiam in hoc, quod fingat contra monita & proteſtationes optimorum inter Patres, & S.Auguſtini, nos urgere explicationem Scripturæ juxta conſenſum SS.Patrum; cujus contrarium non uno loco oſtendimus, & mox declarabitur. 5. Profitetur Coccejus, ſe rotundiùs loqui: profitemur nos, nos rotundè loqui, quemadmodum nativitate Batavos decet, qui optant populares ſuos ab errore liberatos.

Suprà. n. 3. *Suprà. n. 8.*

§. 5.

De conſenſu SS.Patrum in explicatione S.Scripturæ.

Lib. 4. cap. 63. pag. 400. A. XIV. S.Irenæus: *Agnitio vera eſt Apoſtolorum doctrina, & antiquus Eccleſiæ ſtatus in univerſo mundo, & character corporis Chriſti, ſecundùm ſucceſſiones Epiſcoporum, quibus illi eam, quæ in unoquoque loco eſt, Eccleſiam*

ſiam tradiderunt, quæ pervenit uſque ad nos, cuſtodita ſine fictione, Scripturarum tractatione pleniſſima, neque additamentum, neque ablationem recipiens, & lectio ſine falſatione, & ſecundùm Scripturas expoſitio legitima & diligens, & ſine periculo, & ſine blaſphemia, & præcipuum dilectionis munus, quod eſt pretioſius quàm agnitio, glorioſius autem quàm prophetia, omnibus autem chariſmatibus ſupereminentius.

XV. S. Dionyſius: *Ad illuſtrationes Sacrarum Scripturarum quas Patres tradiderunt, quoad ejus fieri poterit ſuſpiciamus.* lib. de Cœleſt. Hierarch. cap. 1. Bibl. SS. Patr. Tom. 1. pag. 110. C.

XVI. S. Epiphanius: *Divina omnia verba non in allegorias referenda, ſed ut ſe habent accipienda ſunt. conſideratione verò ac ſenſu opus habent, ut argumenti cujuſque vis ac poteſtas intelligatur: ſed & traditione quoque opus eſt. Neque enim ex Scripturis peti poſſunt omnia. idcircò alia ſcripto, traditione alia Apoſtoli reliquerunt. Quod ipſum ita Paulus affirmat, Quemadmodum tradidi vobis.* Item alio loco: *Ita doceo & ita tradidi in Eccleſiis.* Item: *Si meminiſtis, niſi fruſtra credidiſtis. Iam verò illud ab Apoſtolis S. Dei Eccleſia traditum accepit; poſt decretam virginitatem ad nuptias ſeſe conferre, ſcelere implicatum videri.* Et tamen hoc ipſum non probat ex ſola Scriptura; ut ſciamus S. Epiphanium de ea traditione agere, quæ etiam inſervit interpretationi S. Scripturæ. [*Hæreſ. 61. de Apoſtol. Tom. 1. pag. 511. A.* — *1 Cor. 11. 2.* — *1 Cor. 15. 3.*]

XVII. Origenes: *Quoties autem* (hæretici) *canonicas proferunt Scripturas, in quibus omnis Chriſtianus conſentit & credit, videntur dicere: Ecce in domibus eſt verbum veritatis. Sed nos illis credere non debemus, nec exire à prima & Eccleſiaſtica traditione, nec aliter credere, niſi quemadmodum per ſucceſſionem Eccleſiæ Dei tradiderunt nobis.* [*Tract. 29. in Matth. in fin. Tom. 2. pag. 92. I.*]

XVIII. S. Clemens Alexandrinus: *Sunt enim ſocordes qui, cùm liceat ex ipſis Scripturis, divinis Scripturis convenientes colligere demonſtrationes, id omninò non faciunt, ſed quod eorum voluptatibus ſuffragatur eligunt. Gloriæ autem tenentur deſiderio, qui ea quæ ſuâ naturâ conveniunt, ſermonibus divinitùs inſpiratis, tradita à Beatis Apoſtolis & Magiſtris, ſuâ ſponte fallaci ſapientiæ ſimulatione corrumpunt.* & mox: *Sed benè cum eis actum eſſet, ſi ſcire potuiſſent ea, quæ priùs ſunt tradita. Is ergò ſolus qui eſt cognitione præditus, cum in ipſis conſenuerit Scripturis, Apoſtolicam & Eccleſiaſticam ſervans dogmatum rectitudinem, rectiſſimè vivit convenienter Evangelio.* [*Lib. 7. ſtromat. ſub fin. pag. 762. C.*]

XIX. S. Hieronymus: *Revolvi veterum libros, ut viderem quid ſinguli dicerent, & tibi quaſi de multorum conſilio reſponderem.* [*Epiſt. 126. ad Evagr. Tom. 3. pag. 705. B.*]

XX. S. Auguſtinus: *Etſi unaquæque diſciplina, quanquam vilis &*

De util. credend. cap. 17. Tom. 6. pag. 45. B.

Lib. 4. contr. 2. Epiſt. Pelag. cap. 8. Tom. 7. pag. 475. D.

facilis, ut percipi poßit, Doctorem aut magiſtrum requirit: quid temeraria ſuperbia plenius, quàm divinorum Sacramentorum libros, & ab interpretibus ſuis nolle agnoſcere, & incognitos velle damnare? Item; *Ad curam noſtram exiſtimo pertinere non ſolum Scripturas ſanctas canonicas adverſus eos teſtes adhibere, quod jam ſatis fecimus; verùm etiam de Sanctorum litteris, qui eas ante famâ celeberrimâ & ingenti gloriâ tractaverunt aliqua documenta proferre: non quò canonicis libris à nobis ullius diſputatoris æquetur auctoritas, tanquam omninò non ſit quod meliùs ſeu veriùs ab aliquo Catholico ſentiatur: ſed ut admoneantur, qui putant iſtos aliquid dicere, quemadmodum de his rebus ante nova iſtorum vaniloquia Catholici Antiſtites eloquia divina ſecuti ſint: & ſciant à nobis rectam & antiquitùs fundatam Catholicam fidem adverſùs recentem Pelagianorum hæreticorum præſumptionem perniciemque defendi.* Item: *Hæc non ideò commemoravi, quòd diſputatorum quorumlibet ſententiis tanquam canonicâ auctoritate nitamur, ſed ut appareat ab initio uſque ad præſens tempus quo iſta novitas orta eſt, hoc de originali peccato apud Eccleſiæ fidem tantâ conſtantiâ cuſtoditum, ut ab eis Dominica tractarent eloquia, magis certiſſimum proferretur ad alia falſa refutanda, quàm id tanquam falſum confutari ab aliquo tentaretur.*

Lib. 3. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 7. Tom. 7. pag. 307. D.

Epiſta Decret. 97. pag. 171. E.

XXI. S. Leo, poſtquam hæreticam, deinde Catholicam propoſuiſſet ſententiam; & illam ex Scriptura refutaſſet, hanc confirmaſſet; adducturus SS. Patrum Scripturam explicantium Teſtimonia, ſic præfatur: *Vt autem pietas tua cum Venerabilium Patrum prædicationibus nos concordare cognoſcat, aliquantas eorum ſententias huic credidi ſubjiciendas eſſe ſermoni. Quibus ſi digneris attendere recenſitis, non aliud nos prædicare reperies, quàm quod Sancti Patres noſtri toto orbe docuerunt: nec quemquam ab illis, niſi ſolos impios hæreticos diſcrepare.*

Dialog. 1. immutab.

XXII. Theodoretus, poſt adductos multos Patres Scripturam interpretantes, ita concludit: *Hi viri fuerunt ſucceſſores SS. Apoſtolorum, & nonnullis uſu venit, ut ſacrâ eorum & admirabili viſione fruerentur. Plurimi autem eorum Martyrii coronis exornati ſunt. Faſne ergò tibi videtur blaſphemam & maledicam linguam adverſùs eos vibrare?* Idem Theodoretus, poſtquam iterùm ex Scriptura probaſſet, adducit multos Patres, & concludit: *Audiſti, ô vir egregie, magna orbis lumina, & eorum doctrinæ radios intuitus es, & exactè didiciſti*, &c. Et alibi, eodem modo procedens, ſic finit: *Imitare ergò apes, ô vir bone, & S. Scripturæ prata, & SS. Patrum pulchros flores monte circumvolans, fidei favos in te contexe.*

Dialog. 2. Inconfuſ. ſub fin.

Dialog. 3. Impatibilis. ſub. fin.

Apud Theodoret. Eccl. Hiſt. lib. 1. cap. 4. poſt med.

XXIII. Alexander Epiſcopus Alexandr. *Qui etiam nonnullorum veterum comparationem ſecum fieri, aut ſe magiſtris noſtris, quibus à pueris*

uſi:

Digitized by Google

uſi ſumus æquari patiuntur. & mox: *Non afficit illos pudore claritas Dei loqua Scripturarum: non collegarum conſentiens de Chriſto ſtudium, eorum procacitatem contra hunc debilitavit.*

XXIV. Tertullianus: *Ordo rerum deſiderabat illud priùs proponi, quod nunc ſolum diſputandum eſt; Quibus competat fides ipſa. Cujus ſint Scripturæ. A quo, & per quos, & quando, & quibus ſit tradita diſciplina, quâ ſiunt Chriſtiani. Ubi enim apparuerit eſſe veritatem diſciplinæ & fidei Chriſtianæ, illic erit veritas Scripturarum, & expoſitionum, & omnium traditionum Chriſtianarum.* Vid. Keckerm. *Syſt. Theol. lib. 1. cap. 9. pag.* 208. *De Præſcript. cap.* 19.

XXV. Joſephus Hallus dicit in Synodo Dordrechtana: *At nos, mei fratres, edocti melius ſobriè ſapiamus. Hoc eſt, uno verbo, non ſuprà Scriptum, non ſuprà Patres.* Et poſteà: *Non ſuprà Patres, fidiſſimos Scripturæ interpretes, lucidiſſima Eccleſiæ ſydera. Seſſ. 16. Pag.* 46.

§. 6.

De conſenſu in rebus fidei, & morum.

XXVI. Fides accipitur per ſeriem ſucceſſionis. S. Auguſtinus: *Nos, id eſt, Catholica fides veniens de doctrina Apoſtolorum, plantata in nobis, per ſeriem ſucceſſionis accepta, ſana ad poſteros tranſmittenda,* &c. *Tract. 37. in Ioan. Tom. 9. pag.* 127. *D.* Et S.Pacianus: *At ego hucuſque ſecurus ipſâ Eccleſiæ ſerie, congregationis antiquæ pace contentus: nulla diſcordiæ ſtudia didici, nulla certaminum argumenta quæſivi. Tu poſtquam à reliquo corpore ſegregatus es, & à matre diviſus,* &c. Et ſub fin. *Iam & illud attendite, an hæc* (Eccleſia) *potiſſimùm ædificata ſit in fundamentis Prophetarum & Apoſtolorum ex ipſo angulari lapide Ieſu Chriſto. Si antè te cœpit, ſi antè te credidit: ſi à fundamentis prioribus non receſſit: ſi aliò non migravit: ſi non à reliquo corpore ſeparata ſibi magiſtros & proprio inſtrumenta conſtituit, ſi quid in ſolidum argumentata eſt, ſi quid novi juris invenit, ſi corpori ſuo repudium pacis indixit: planè tunc à Chriſto receſſiſſe videatur, tunc contra Prophetas & Apoſtolos conſtitiſſe.* Vid. S. Auguſt. *de peccat. merit. & remiſſ. lib. 3. cap. 6. Tom. 7. pag.* 307. *A.* *Epiſt. 3. contr. Novat. init. Biblioth. SS. Patr. Tom. 4. pag.* 239. *A.*

XXVII. S. Epiphanius comparativè procedit: *Iam verò utri tandem illorum peritiores ſunt? an errore deceptus homuncio, qui nunc tandem emerſit, & adhuc hodiè ſuperſtes eſt? An qui antè nos teſtes extiterunt, quique antè nos eandem traditionem in Eccleſia tenuerunt, quam & ipſi à parentibus ſuis acceperant, & ipſorum parentes à majoribus ſuis didicerant, quemadmo-* *Hæreſ. 75. ſub fin. Tom. 1. pag.* 910. *C.*

admodum Eccleſia, quàm à Patribus ſuis accepit rectam, ac ſinceram fidem cum traditionibus ad hunc diem obſervat? facceſſat igitur, &c.

De decret. Nic. Synod. ſub fin. Tom. I. pag. 277. D. XXVIII. S. Athanaſius, poſtquam defendiſſet ſententiam Nicenæ Synodi ex Scriptura, & poſtea retuliſſet Patres aliquot priores pro eadem ſententia, ita concludit: *Ecce nos demonſtramus iſtiuſmodi ſententiam à Patribus ad Patres quaſi per manus traditam eſſe. Vos autem novi Iudai & diſcipuli Coripha, quos verborum veſtrorum Patres ac majores, demonſtrabitis; cum ne unum quidem ex prudentibus aut doctis in auctorem citare poſſitis.* Vid. etiam *Epiſt. ad Epiſc. Afric. Tom. I. pag.* 937. B.

Adverſ. hæreſ. cap. 42. XXIX. Sed præclarè Vincentius Livin. *Exemplum adhibuimus ſancti Concilii, quod ante trienniumfermè in Aſia apud Epheſum celebratum eſt, viris clariſſimis Baſſo, Antiochoque Conſulibus. Vbi cùm de ſanciendis fidei regulis diſceptaretur, ne qua illic forſitan prophana novitas in modum perfidia Ariminenſis obreperet; univerſis Sacerdotibus, qui illò ducenti ferè numero convenerant, hoc Catholiciſſimum, fœliciſſimum atque optimum factu viſum eſt, ut in medium SS. Patrum ſententia proferrentur, quorum alios Martyres, alios Confeſſores, omnes verò Catholicos Sacerdotes fuiſſe, & permanſiſſe conſtares: ut ſcilicet ritè ac ſolenniter: ex eorum conſenſu atque decreto antiqui dogmatis religio confirmaretur, & prophana novitatis blaſphemia condemnaretur.* Et mox: *Sunt ergò ii Vtri, quorum in illo Concilio, vel tanquam judicum, vel tanquam teſtium ſcripta recitata ſunt, S. Petrus Alexandrinus*, &c. & nominatis aliis: *Ii ſunt igitur omnes apud Epheſum ſacrato Decalogi numero Magiſtri, Conſiliarii, Teſtes, Iudiceſque producti: quorum beata illa Synodus doctrinam tenens, conſilium ſequens, credens teſtimonio, obediens judicio, abſque tadio, præſumptione & gratia de fidei regulis pronunciavit. Quanquam multò amplior majorum numerus adhiberi potuerit, ſed neceſſe non fuit: quia neque multitudine teſtium negotii tempora occupari oportebat, & decem illos non aliud ferè ſenſiſſe, quàm cæteros omnes collegas ſuos nemo dubitabat.* & hæc ea ratione facta dicit, *ut etiam poſt futuris exempla praberent.* Et poſtquam in eandem ſententiam plura diſſeruiſſet, concludit:

Cap. 43. *Neceſſe eſt profectò omnibus deinceps Catholicis, qua ſeſe Eccleſia matris legitimos filios probare ſtudent, ut ſancta ſanctorum Patrum fidei inhæreant, adglutinent, immoriantur.*

Lib. 3. cap. 2. pag. 230. C. XXX. S. Irenæus: *Cùm autem ad eam iterum traditionem, qua eſt ab Apoſtolis, qua per ſucceſſiones Presbyterorum in Eccleſiis cuſtoditur, provocamus eos: adverſantur traditioni*, &c. *Evenit itaque neque Scripturis jam,*

Lib. 3. cap. 3. pag. 232. B. *neque traditioni conſentire eos.* Item: *Per ſucceſſiones Epiſcoporum pervenientem* (fidem) uſque *ad nos, judicantis confundimus omnes eos, qui* quo-

Digitized by Google

*quoquo modo vel per ſuiplacentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæ-
citatem & malam ſententiam, præterquam oportet, colligunt.* Item: *Vbi* *Lib. 4.*
igitur chariſmata Domini poſita ſunt, ibi diſcere oportet veritatem, apud quos *cap. 45.*
eſt ea quæ eſt ab Apoſtolis Eccleſiæ ſucceſſio, & id quod eſt ſanum & irreproba- *pag. 384. B.*
*bile converſationis, & inadulteratum & incorruptibile ſermonis conſtat. Hi
enim & eam quæ eſt in unum Deum qui omnia fecit, fidem cuſtodiunt, &
eam quæ eſt in filium Dei dilectionem adaugent, qui tantas diſpoſitiones pro-
pter nos fecit: & Scripturas ſine periculo nobis exponunt.*

XXXI. S. Cyrillus Alexandrinus: *Seipſam facilè corriget, ſi labo-* *Apol. ad-*
res ſcrutata fuerit SS. Patrum, qui ab omnibus de rectitudine & certitudine *verſ. orient.*
dogmatum celebrantur, tùm ſuam rectè fidem explorabit. Omnes enim qui- *Anathem. 8.* *Tom. 6.*
bus integrum cor eſt, illorum ſententias ſequi contendunt: quia & ipſi Apo- *pag. 177. E.*
*ſtolicâ & Evangelicâ traditione ſuam mentem quum implevissent, & ex ſacris
Scripturis ſermonem fidei rectè & citra reprehenſionem tractaſſent, mundi
fuêre luminaria, ſermonem vitæ continentes, prout ſcriptum eſt.*

XXXII. S. Baſilius inducit Ennomium hæreticum ita loquen- *Lib. 1. ad-*
tem: *Puto autem ante omnia, inquit, à vobis, qui aut his temporibus eſtis* *verſ. Eunom. in prin-*
audituri, aut lecturi poſteà, ne velitis majori parti plus attribuere, ac mul- *cip. Tom. 1.*
titudine verum à falſo diſcernere; neque dignitate quorundam commoti cali- *pag. 698. C.*
*ginem mentibus veſtris offundi ſinere, vel plus his, qui præoccuparunt deferen-
do, poſterioribus aures obſerare.* Putares Lutherum, vel Calvinum lo-
qui. At reſpondet Baſilius: *Quid tu narras? non dabimus plus antiqui-
tati? Chriſtianorum multitudinem, tam eorum qui ſunt, quàm eorum qui
fuerunt, ex quo Evangelium prædicatum eſt? nullam rationem dignitatis
eorum habebimus, qui omni ſpirituali gratiâ claruerunt, quibus tu omnibus
inimicam hanc impietatis malam viam & hoſtilem nuper excogitaſti; ſed
claudentes ſimul oculos animi, exterminatâ ex animo cujuſlibet viri ſancti
memoriâ, otioſam & omninò vacuam deceptionibus atque cavillationibus tuis
mentem noſtram ſupponeremus? magna profectò eſſet tua potentia, ſi quæ
multiplici artificio Diabolus aſſecutus non eſt, ea tibi ſolo imperio obtinere con-
tingeret. Siquidem omnes à te perſuaſi traditionem fidei, quæ præterito tem-
pore omni ſub tot ſanctiſſimis viris evicit, commentis veſtris impiis poſtpo-
namus.*

XXXIII. Tertullianus: *Age nunc: Omnes erraverint: deceptus ſit* *De Præ-*
& Apoſtolus de Teſtimonio reddendo quibuſdam: nullam reſpexerit Spiritus *ſcript.*
Sanctus, uti eam in veritatem deduceret; ad hoc miſſus à Chriſto, ad hoc *cap. 28.*
*poſtulatus de Patre, ut eſſet Doctor veritatis: neglexerit officium Dei villicus,
Chriſti Vicarius ſinens Eccleſias aliter interim intelligere, aliter credere,*

quàm

Digitized by Google

quàm ipſe per Apoſtolos prædicabat. Ecquid veriſimile eſt ut tot ac tanta in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus eſt unus exitus: variaſſe debuerat error doctrina Eccleſiarum. Cæterùm quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum ſed traditum. Plura huc facientia adduximus in Method. Auguſt. *Part.* 3.

CONCLUSIO.

XXXIV. In Reipublicæ judiciis uſu venit, ubi Scripturæ deeſt inſtrumentum, ut teſtibus habeatur fides: & ſicut in rebus humanis oculatos teſtes, ita in fide auritos ſuſcipimus. Quia fides ex auditu eſt. Quæ unquam Reſpublica ſcripto omnia, nihil ſine ſcripto probandum decrevit? Scripturâ maximè utimur propter litigioſos: viri boni ſolo verbo in veritate & officio continentur. Si dubia legis occurrit interpretatio, à communi Doctorum ſententia non eſt in judicando recedendum. Si incerta S.Scripturæ intelligentia; audiendi, conſulendique ſunt SS.Patres; viri docti, ſancti, Apoſtolis vicini; quorum ſanctitatem veneratur orbis univerſus; & communia eorum placita nullo modo contemnenda, ſed fideliter amplectenda. Audiamus ſolum Baſilium: *Si apud tribunal probationibus è ſcripto deſtitutis, multos vobis teſtes produceremus, nonne ſententiam abſolventem à vobis conſequeremur? ego quidem arbitror: in ore ſiquidem duorum ac trium teſtium ſtabit omne verbum. Quod ſi etiam temporis diuturnitatem pro nobis facientem vobis evidenter oſtenderimus, an non videbimur vobis probabilia dicere, non poſſe litem iſtam juſtè nobis intendi? veneranda enim ſunt vetuſta dogmata, quòd ob antiquitatem ſeu canitiem quandam, habeant quiddam reverendum. Enumerabo vobis itaque hujus ſermonis auctores.*

Præf. Everar. conſ. 67. n. 2. & 230. n. 12.

De Spirit. S. cap. 29. Tom. 2. pag. 357.

Appen-

APPENDIX.

De triplici ratione credendi.

I. ABſoluto Examine Principiorum fidei, reſervatiſque controverſiis eò ſpectantibus ad particularem tractationem: attentè conſideravimus, quâ ratione Proteſtantes hoc tempore, in materia Religionis, putent unumquemque Chriſtianum pervenire ad fidem Chriſti, & conſequenter ad ſalutem. In decurſu totius tractatus illud unicè intendimus, ut oſtenderemus, quo modo *probanda* eſſet fides Chriſtiana & Catholica; declarantes eos, qui à nobis diſſident, non poſſe *nobis* ſufficienter probare ſuam fidem. Illud ſupereſt diſquirendum; an Proteſtantes, qui fidem ſuam nobis probare nequeunt, ſibi eam poſſint rationabiliter perſuadere.

II. Utque illuſtrior ſit hæc materia; 1. Dicemus, quomodo Romano-Catholicus, ſive fidelis communicans in fide cum Pontifice Romano, perveniat ad ſalvificam fidem. 2. Quomodo plerique Reformati putent eandem fidem obtineri. 3. Quâ ratione Lutherani nonnulli ſtatuant nobis fidem Chriſti communicari. 4. Reſumentur præcedentia. Multa, quæ hîc breviter dicemus, reſumentur latiùs in Tractatu de Articulis neceſſariis, poſt hunc Tractatum edendo.

Sectio. I.

De Catholicorum ratione credendi.

III. Catholicus interrogatus 1. *Quid credat?* Reſpondet, ſe credere Verbo Dei, propter auctoritatem Dei. Et in hoc conveniunt nobiſcum Proteſtantes: quandoquidem nunc abſtrahimus Verbum Dei à ſcripto, & non ſcripto. Interrogatus 2. Catholicus; *Quomodo cognoverit eſſe Verbum Dei, quod credit?* Reſpondet, ſe illud cognoviſſe proponente Eccleſia, quæ legatione Dei fungitur in terris, ad inſinuandam fidelibus fidem. Hæc iterùm reſponſio apud Proteſtantes nullam habet difficultatem, qui nobiſcum fatentur, Miniſterium Eccleſiæ eſſe medium, ordinariè loquendo, neceſſarium, quo Verbum Dei nobis innoteſcit. Interrogatus 3. Catholicus; *Vndè cognoverit,*

Valer. Magn. *reſp. ad Ioan. Major. cap.* 2.

verit, iſtam Eccleſiam fungi legatione Dei? Reſpondet, ſe illud cognoviſſe ex evidentibus ſignis credibilitatis, quibus Eccleſia coruſcat per univerſum orbem; quæque non niſi ad ſolum Deum referri prudenter poſſunt. Illa ſigna eſſe literas credentiales, quibus Miniſterium Eccleſiæ reſpectu Dei, Magiſterium Eccleſiæ reſpectu hominum, toti mundo deſignatur.

IV. Hinc Catholici firmiter credunt Verbo Dei ab Eccleſia propoſito; hoc eſt, quod docetur in Concilio generali, per Pontificem Romanum confirmato, vel quod manifeſtè patet in praxi univerſalis Eccleſiæ. Credunt Spiritum Sanctum regere Eccleſiam univerſalem, & eam infallibiliter docere; adeoque nec totam Eccleſiam, nec Concilium generale, docens iſtam Eccleſiam, quæ Præpoſitos ſuos ſequitur, labi in errorem.

V. Hæc Eccleſia docet, fidem eſſe donum Dei, omneſque monet, ut gratiam Dei implorent, quò voluntariè intellectum captivent in obſequium fidei. Docet, Deum humiliter imploratum, gratiam ſuam hominibus non denegare; atque ideò peccare eos, qui Verbo Dei ab Eccleſia propoſito non acquieſcunt, quando illud ſufficienter eſt propoſitum. Sufficientem autem patet eſſe propoſitionem, quæ tot, tantiſque ſignis credibilitatis à Deo inſtruitur.

VI. Itaque auditur Eccleſia docens; & homo conſiderans, eſſe Dei Miniſtram, quæ docet, cùm habeat ſufficientem certitudinem de objecto fidei propoſito, imploratâ Dei gratiâ, ſubmittit intellectum veritati fidei. De hoc tota eſt difficultas, uti oſtendemus ſuo loco.

Difficultates removentur.

VII. Atque hinc conſtat, nos non docere, uti inſinuat Judicium
Cap.10. §.4 Neufeld, veram fidem reperiri ſine illuminatione mentis, aut ſine ſenſu motus & gratiæ divinæ; ſed quòd de illa illuminatione, motu & gratia nobis non ſufficienter conſtet, neque per illam ſolam habeamus ſufficientem notitiam de objecto credendo, niſi illud per medium infallibile nobis proponatur.

Cap.10.§.2. VIII. Idem objicit: *Si in materia fidei ulli hominum, aut Conciliorum, credere licet (intellige, ſine ulteriore inquiſitione: de hoc enim controverſia eſt) fides noſtra erit humana, non divina. (Sequitur: quia tum humanâ*

mandè nitimur auctoritate, cum in divinam inquirere prohibemur.) At fidem religioſam eſſe humanam, abſurdum eſt.

IX. *Reſp.* Negamus ſequelam majoris: ratio eſt; quia non credimus ulli hominum aut Conciliorum, tanquam rationi formali objectivæ fidei noſtræ; ſed acceptamus propoſita per Concilia generalia, tanquam infallibiliter veritates fidei proponentia. Ratio formalis fidei noſtræ; eſt veritas Dei revelantis; quæ cùm nobis proponatur per Concilia, tanquam per medium infallibile, etiam fides noſtra ultimatè terminatur & reſolvitur in veritatem Dei revelantem. Atque ideò licet credere Verbo Dei per Concilia propoſito, *ſine ulteriore inquiſitione:* quòd ſi non liceret, uti apud Proteſtantes non licet, fides noſtra eſſet humana: neque enim poſſumus credere fide infallibili, quod nobis tantùm proponitur per medium fallibile. Quod additur, de prohibitione inquirendi in divinam auctoritatem; neque verum eſt, neque ad rem facit.

X. Iterùm objicit: *Si homini Chriſtiano in materia fidei hominibus credere licet, de fide Chriſtiana dubitare licet: Conſequentiam probo: quia ſolus Deus verax, omnis autem homo mendax. Rom. 3. 4.* *Reſp.* Non credimus fide divinà niſi Deo revelanti: acceptamus tamen objectum revelatum per Eccleſiam univerſalem propoſitum, velut per Miniſtram Dei fidam, Magiſtram noſtram fideliter docentem, juxta promiſſa divina. Primi Chriſtiani credebant Verbo Dei per Apoſtolos infallibiliter propoſito: neque ullus ſomniabat, quia per Apoſtolos infallibiliter Verbum Dei proponebatur, licere homini Chriſtiano, de fide Chriſtiana dubitare; quòd ſolus Deus ſit verax, omnis autem homo mendax. *Ibid.*

Sectio. II.

De Reformatorum ratione credendi.

§. I.

Quæ ſit ratio credendi Reformatorum.

XI. Acturi de ratione credendi Reformatorum, dicturique quænam illa ſit, monemus lectorem, nos eam poſituros, quæ apud Reformatos eſt communis; licèt ſciamus, à nonnullis eorum diverſam teneri ſententiam. Verùm quia diverſum ſentientes manifeſtè ſe-

quuntur Lutheranorum de hac re judicium; contra eos valebunt iſta, quæ contra Lutheranos ſumus dicturi *Sect.* 3.

XII. In hac materia præcipuè ſequemur Valeriani Magni, *De Acatholicorum regula credendi Iudicium:* cùm enim non pauci ex Proteſtantibus ei reſponderint, faciliùs erit objectiones prævenire: ſimulque oſtendemus, hæc omnia dependere ab ipſis Proteſtantium Principiis.

XIII. Reformati ſtatuunt 1. *Singulos Chriſtianos poſſe errare in fidei eſſentialibus.* 2. *Etiam Concilia generalia, à Pontifice Romano approbata, errare poſſe in fidei eſſentialibus.* 3. *Singulos Chriſtianorum, ſi debitè invocaverint Spiritum ſanctum, poſſe ſine errore, ex ſacra Scriptura lecta vel audita, quorumcumque hominum, etiam Conciliorum generalium, doctrinam expendere & dijudicare, verane an falſa ſit propoſita.* 4. *Non eſſe aliam rationem cognoſcendi & amplectendi fidem veram, quàm debitè invocato Spiritu ſancto conſulere Scripturam, ſive legendo in ea Verbum Dei, ſive audiendo ex ea Verbum Dei.*

XIV. Itaque Reformatus interrogatus 1. *Quid credat?* Reſpondet, Verbum Dei. Interrogatus 2. *Vndè cognoverit, eſſe Verbum Dei, quod credit?* Reſpondet, eſſe ipſi Verbo Dei ſcripto intrinſeca ſigna, quibus divinitatem ſuam prodat: eſſe Teſtimonium Eccleſiæ, medium neceſſarium, cognoſcendi & intelligendi Scripturam. Verùm quia argumenta ipſi Scripturæ intrinſeca non ſufficiunt; quia etiam propoſitio Eccleſiæ generat tantùm certitudinem hiſtoricam; ſe debitè implorato Spiritu ſancto, accepiſſe gratiam à Deo, & Spiritum ſanctum teſtari in corde ſuo, hoc eſſe Verbum Dei, quod credit; & taliter eſſe intelligendum, uti credit; non quidem in omnibus abſolutè Scripturæ ſententiis; ſed in iis, quæ omnibus & ſingulis ad ſalutem ſunt neceſſariæ: quia Spiritus ſancti illuminatio hoc ſaltem concedit, ut fideles neceſſaria clarè intelligant, quàmvis in aliis fortè errent. Vide Judicium Neufeld, *cap.* 6. *n.* 5.

XV. Hanc eſſe veſtram ſententiam, ex veſtris libris non difficulter oſtenderemus: ſed quia idipſum facilè advertitis, abſtinemus à non neceſſaria Auctorum enumeratione.

§. 2. Re-

§. 2.

Ratio credendi Reformatorum, quid oneris imponat ſingulis Reformatis.

XVI. Hinc ſequitur 1. *Reformatos non debere fidere ullis Doctoribus, ullis Conciliis.* Quia, ex ipſorum ſententia, Doctores & Concilia poſſunt errare; & uniuſcujuſque eſt, invocato debitè Spiritu ſancto, ex Scriptura ſola diſcernere, quid verum ſit, quid erroneum. Ad hoc Coccejus reſpondet; *Rectè.* Diſp. 31. n. 11.

XVII. Sequitur 2. *Omnes illos Reformatos, qui per ſeipſos, invocato debitè Spiritu ſancto, non dijudicant ex Scriptura, quinam ſint articuli neceſſarii ad ſalutem; ſed in eo Doctoribus ſuis fidunt, eoſque ſequuntur; non habere fidem divinam.* Quia, uti ipſi docent, erroribus obnoxii ſunt Doctores Eccleſiæ.

Obſervatio Cocceji.

XVIII. *Fateor, multùm intereſſe inter opinionem & fidem. Qui ſe hominum auctoritati & exiſtimationi accommodat, ut dicat, quod illi dicunt, & foris faciat, quod illi vel faciunt, vel faciendum eſſe dictant, & ſic ſecurus ſalutis agit, vel ſocors negligit acquirere certitudinem ſpei, is, propius eſt, ut meram opinionem habeat, quàm fidem. Eſt in fidelibus amor Dei, fames & ſitis juſtitiæ, probatio voluntatis Dei & eorum, quæ meliora ſunt, eſt ſtudium ad certitudinem ſpei. Ita bonam habent & tranquillam coram Deo conſcientiam. Neque tamen ignoramus, Deum illa dona diſpariliter diſtribuere: ſed negamus tamen, illum fidem habere, in quibus illa penitus non ſunt. Fidem ſine fide haberent ſi ſine iſtis.* Diſp. 31. n. 12. *Reſp.* Vides, lector, nihil reprehendi in ſequela à nobis poſita: quod in præſenti ſufficit.

Proſecutio.

XIX. Sequitur 3. *Reformatos non habere aliam viam cognoſcendi veritatem fidei, quàm debitè invocato Spiritu ſancto, dijudicare ex S. Scriptura, quinam ſint articuli neceſſarii ad ſalutem.* Licèt enim hic, aut ille particularis poſſit juvari à ſuo Prædicante; non debet tamen iſti ſoli, uti nec Concilio Prædicantium fidere; ſed ſoli Spiritui ſancto in Scripturis loquenti, in corde ſuo teſtanti, acquieſcere.

Digitized by Google

Obſervatio Cocceji.

Diſp. 31. n. 13. XX. Audi, lector, patienter Cocceji declamationem: *felices admodum Walenburgianos Catholicos, qui non opus habent invocare Spiritum ſanctum, neque dijudicare ex S. Scriptura, quinam ſint articuli neceſſarii: credo, nec habent neceſſe dijudicare, an Cathedra Romana poſſit errare necne, quid illa Cathedra dictet, quid credendum ſit tanquam articulus fidei, quid recipi quid ignorari poſſit tanquam veritas Theologica, quod ſit fundamentum, quod fœdus Dei, neque indigent bonâ & tranquillâ conſcientiâ, nec certitudine ſpei. Magno onere levatus eſt per Valerianos & Walenburgios Catholicus! tanquam ſi hominem non modo divitiis, & ſupellectile, & domo, ſed & veſtibus & oculis, & auribus, & mente, & manu & pedibus, nudatum & ſpoliatum, maximis oneribus levatum dicant. Eſt enim opus & labor, & cura, & moleſtia in iis omnibus & in recto uſu illorum omnium. Eximium ſcil. fidelem non Reformatum, qui nec regulam credendi novit, neque illam conſulit, neque fundamentum ſalutis intelligit, neque ſe ei inædificat, neque aliud fundamentum ponentes examinat, aut de illis judicat, neque exultat in Deo & ſalutari ejus, ſed lætatur atque gloriatur, quòd ſine tanto labore & onere omnia illa ſecurus ignorat.*

XXI. *Reſp.* Si vera eſt, quam poſuimus, ſequela tertia; cur non fateris aperte? Sin autem falſa eſt, cur non reprehendis? Sed quia non erat, quod reprehenderes; maluiſti retorquere, ne taceres. Sed quàm infeliciter? Vocas Catholicos Walenburgianos, qui noſtros nullos agnoſcimus; ſed Domini noſtri Jeſu Chriſti plurimos, qui illos acquiſivit pretioſo ſanguine ſuo. De illis dicis, *non opus habent invocare Spiritum ſanctum:* ex cujus doctrina? ex noſtra? putidum mendacium eſt, cui univerſa noſtra ſcripta reclamant. an ex tua doctrina? pudeat impias tuas fictiones noſtris tribuere.

XXII. Verè dicit, non opus habent Catholici *dijudicare ex Scriptura, quinam ſint articuli neceſſarii.* Ubi Deus mandavit unicuique, dijudicare ex Scriptura, quinam ſint articuli neceſſarii? Si Deus mandavit, aſſigna locum, & credemus. Si Deus non mandavit, quid propter fictiones tuas noſtros traducis? Iterùm verè dicit, *nec habent neceſſe dijudicare, an Cathedra Romana poſſit errare necne.* Sed quid hoc ad rem facit, de qua agitur?

XXIII. Falſiſſimè dicit: *neque indigent bonâ & tranquillâ conſcientiâ, nec certitudine ſpei.* Exiſtimamus nec Principem Dæmoniorum poſſe

poſſe graviùs calumniari; neque hominem id poſſe, niſi eſſet venundatus ad mentiendum. Non dicimus onere levatum, qui ſpoliatus eſt; quàmvis ſi Coccejus ſpoliaretur virulentâ maledicentiâ, acerbis calumniis, injurioſis fictionibus; gravi onere levatum meritò diceremus.

XXIV. Si *opus & labor, & cura, & moleſtia eſt in iis omnibus, & in recto uſu illorum omnium*; quomodo non etiam opus & labor, & cura, & moleſtia eſt in determinandis articulis neceſſariis? Sed & in hoc fateberis ea locum habere. At ſi cum opere laborioſo, ſi cum cura, ſi cum moleſtia determinandi ſunt articuli neceſſarii; quo fundamento dicitis, eos in Scripturis divinis clarè, perſpicuè, & dilucidè contineri? An clara operoſo labore ſunt perquirenda? an perſpicua ingenti curâ ſunt indaganda? an dilucida per multas moleſtias ſunt invenienda? Vides, Cocceje, te fundamentalem doctrinam Reformatorum ſubvertere, dum opus & laborem, dum curam & moleſtiam in veſtigandis articulis neceſſariis commendas. Reliqua contemnimus.

Proſecutio.

XXV. Sequitur 4. *Omnes illos Reformatos, qui neſciunt legere, quive non habent S. Scripturam, poſſe & non poſſe habere veram fidem.* Poſſe tales habere veram fidem, ipſi docent. Non poſſe eos habere veram fidem, indè patet; quia non poſſunt per ſeipſos conſulere S. Scripturam; & Doctoribus ſuis, qui decipi & decipere poſſunt, non licet eis fidere.

Obſervatio Cocceji.

XXVI. Dicit: *Equidem mihi perſuadeo, ſi huic objectioni ſatisfacimus, omnes reliquas in fumum abituras. Omnes enim ex hac proveniunt. At hac objectio eſt tam inſipiens & frivola, ut mirandum ſit Valeriano & fratribus ita frontem periiſſe, ut non veriti ſint, quid homines honeſti de ipſis eſſent judicaturi.* (vana, & injurioſa declamatio) *Certè nemo dixerit, eos fidem habere poſſe, qui nec legere ſciunt, neque Scripturam, atque aliquid quod ex Scriptura legitur cognoſcere poſſunt. Nam ubi ita agitur, ibi nulla eſt vocatio. Vbi auditus verbi Dei non eſt, ibi nec fides eſt.* (Rectè.) *Quid igitur? An negabimus iis, qui legere non poſſunt, fidem? Neutiquam. Atqui*

Diſp. 31. n. 14.

qui non poſſunt ſcrutari Scripturam per ſeipſos. Quaſi ſcrutatio verbi Dei, quod continetur in Scripturis, tantùm poſſit fieri per oculos & lectionem, & conſiderationem eorum elementorum, quæ in libris, divinitùs editis, extant; & ad ſcrutationem noſtram nihil facerent interpretatio in noſtram linguam, prælectio, narratio, repetitio, collatio per alium viva voce facta. (Nihil ad rem.) *Sic dico: Etiam is ſcrutatur verbum Dei & Scripturas, qui attendit iis, quæ ex ea præleguntur, narrantur, repetuntur, & per comparationem ſpiritualium demonſtrantur. Ita ſcrutari poſſunt, qui ipſi legere non poſſunt, pro modulo chariſmatis hactenus ſibi conceſſi.* (nihil ad rem.)

XXVII. Addit: *Dicunt:* Doctores decipi & decipere poſſunt. Iis fidendum non eſt. *Sophiſma merum. Si homines, quantùmvis ſint errori obnoxii loquuntur ea, quæ à nullo fingi poſſunt; & , quæ, ſi fingerentur, ab uno quovis revinci poſſint; quæque ipſa conſcientia teſtatur eſſe ſancta, juſta, & Deo glorioſa: nullus metus eſt, ne illi, qui id audiunt, decipiantur; nihilque impedit, quò minùs eis attendentes, & ea conſiderantes in bona conſcientia fidem obtineant. Iam verò quomodo fingi poteſt, aut de fictione ſuſpectum eſſe poteſt, quod inſtrumento Sacræ Scriptura in omnibus gentibus famigeratur, in omnibus linguis narratur, ab omnibus literarum non rudibus legitur, Iſraëlitas ex Ægypto & Babylone eductos, ita viſum eſſe Deum in deſerto, iſta Moyſen ſcripſiſſe, ita apparuiſſe D. Ieſum; illa dixiſſe, illa Apoſtolos Spiritu ſancto unctos prædicaſſe; illas Prophetias anteceſſiſſe, illas res ſecutas eſſe? Quomodo poterant Iſraëlitæ, etiam literarum rudes, dubitare, an hoc in libris legis ſcriptum eſſet, quod ſeptimo quoque anno coram toto Iſraële, coram adultis & pueris, coram viris & mulieribus, indigenis & advenis, doctis & indoctis in publico cœtu ſolenniter legebatur: & ita quidem legebatur, ut & legendi mandatum, & quidem datum per Moſen ſervum Dei fidelem ore Dei coram toto Iſraële & potentiſſimâ manu declaratum, legeretur & audiretur à filiis illorum, qui idipſum iis narraverant, vel ſibi à parentibus narratum recitaverant; quodque porrò in templo, in Synagogis ſingulis ſabbatis, imò quotidie legebatur: & in quotidianarum rerum, ac ceremoniarum aſpectu recognoſcebatur?*

XXVIII. *Reſp.* Totus noſter eſt Coccejus; & neſcit: ſua ſubvertit, & ignorat. Si homines, quantùmvis errori obnoxii, fidem merentur, quando nullum eſt de fidelitate teſtium juſtum dubium; etiam fidem merebitur Eccleſia Catholica, quando teſtatur Scripturam, hoc vel illo ſenſu intelligendam, ut quæ eum ſenſum ab Apoſtolis acceperit: etiam merebitur fidem Eccleſia, quando teſtatur has, aut illas veritates revelatas, hos, aut illos ritus ab Apoſtolis ad

ſe

ſe perveniſſe. Ita S. Auguſtinus frequenter provocat ad conſenſum populorum atque gentium: ita S. Vincentius Lirinenſis refert, Concilium Epheſinum, habito decem Patrum Teſtimonio, veritatem fidei declaraſſe; quod nullus dubitaret, quin reliqui cum iis conſenſiſſent. Sed & ſua ſubvertit Coccejus: ſi enim licet hominibus fidere, quando nulla eſt dubitandi ratio de contrario; quomodo cum Reformatis docet Coccejus; *Reformatos non debere fidere ullis Doctoribus, ullis Conciliis?* Num limitanda erit iſta ſequela, ut non liceat Reformatis fidere ullis Doctoribus aut Conciliis, niſi illa proferant, in quibus non datur juſta ratio dubitandi de contrario? Sed quâ auctoritate tàm Catholicè eam limitat Coccejus? fortè, ut ipſe, tanquam pro tribunali ſedens, infallibiliter judicet, quæ ſit juſta dubitandi ratio, quæ non ſit: quid ſit de fictione ſuſpectum, quid fingi non poſſit; quid conſcientia teſtetur eſſe ſanctum, juſtum, Deo glorioſum: hoc enim ſolus valet Coccejus præ omnibus Catholicis, quos in præcedentibus judicavit conſcientiâ deſtitutos.

XXIX. Sequitur 5. *Totam Eccleſiam viſibilem, omniaque Concilia Generalia potuiſſe errare in tradenda Scriptura.* Nulla enim eſt ratio, cur Eccleſiæ potiùs credatur in hoc puncto, quàm in aliis; ſiquidem verum eſt, Eccleſiam univerſalem, & Concilia generalia poſſe errare. Hanc conſequentiam concedit Judicium Neufeld, *cap.* 9. *n.* 5.

XXX. At Coccejus dicit: *Impoſſibile fuiſſe, ut Concilium generale aliquod Scripturas divinas abdicaret; non propter infallibilitatem; ſed tum propter evidentiam & claritatem divinitatis Scripturæ, quæ etiam hoſtes Dei cogit mentiri Deo & Eccleſiæ; tum propter promiſſionem Dei & prophetiam.* Diſp. 32. n. 6.

XXXI. *Reſp.* Cùm initiò Eccleſiæ varia fuerint Evangelia, variæ epiſtolæ, & libri, nomine Apoſtolorum vel diſcipulorum Chriſti celebrata; etiam totam Eccleſiam, adeoque & Concilia generalia potuiſſe accipere non canonicum pro canonico, nullus ambigat; niſi providentia Dei, rebus humanis præſidens, mediaque ſalutis conſervans, & Eccleſiam & Concilia generalia direxiſſet. Illam impoſſibilitatem abdicandi, referre ad evidentiam & claritatem divinitatis Scripturæ, non æquum judicaret Lutherus, qui & rejecit non rejicienda, & aſſumpſit non aſſumenda. Quod in aliquibus partibus fieri potuit, utique in aliis impoſſibile non fuit. Ethnicos non ſufficere, ad Teſtimonium perhibendum veris Scripturis, & diſcernendum veras à ſuppoſititiis non affirmabit Coccejus. Promiſſionem & Pro-

Digitized by Google

phetias valere pro Scripturis & Eccleſia Dei, Catholicum eſt: pro illis, non pro hac valere, neſcimus an prudens dixerit.

XXXII. Sequitur 6. *Vnumquemque Reformatum, invocato debitè Spiritu ſancto, debere determinare ex Scriptura, quinam ſint libri canonici.* Quàmvis enim, ex omnium ſententia, conſtaret de quibuſdam libris; non poſſet tamen ullis fidere, propter periculum erroris, cui iſti ſubjecti ſunt; ut jam nihil dicamus, quòd ſimiliter unicuique Reformato judicandum foret de editione & verſione Scripturæ. Judicium Neufeld: *Simplicibus Chriſtianis libri indubiè canonici abundè ſufficiunt. Reſp.* undè hoc conſtat?

Cap. 9. §. 6.

XXXIII. Sequitur 7. *Vnumquemque Reformatum, doctum & indoctum, virum & mulierem, ut diſcernat quinam libri ſint divini, debere legere tota Biblia, imò perluſtrare diverſas verſiones, ut Spiritu ſancto invocato determinet, quanam verſio ſit conformis originali textui, ab ipſis auctoribus canonicis conſcripto, licèt interim certò ſciat, originalem textum, ab ipſis Auctoribus conſcriptum, ſibi nunquam exhibendum.*

XXXIV. Sequitur 8. *Vnumque Reformatum, conſulto debitè Spiritu ſancto, debere ex Scriptura determinare, quinam ſint articuli omnibus & ſingulis ad ſalutem neceſſarii; idque ſub pœna mortis æternæ; licèt doctiſſimi Reformatorum in determinandis articulis neceſſariis non conſentiant.*

XXXV. Sequitur 9. *Omnes illos Reformatos, qui conſulto debitè Spiritu ſancto, non certiſſimè & indubitanter dijudicant de libris Canonicis, vel non certiſſimè & indubitanter ſtatuunt, quinam ſint articuli neceſſarii ad ſalutem; non habere fidem divinam, nec poſſe eſſe participes regni cœlorum.*

XXXVI. Videant viri prudentes, quid ſibi incumbat oneris; &, ſi placet, præmiſsâ humillimâ oratione conſulant Spiritum ſanctum 1. An unquam huic muneri ſatisfecerint, prout juxta Reformatam rationem credendi ipſis incumbit: & ubi invenerint ſe non ſatisfeciſſe; certò ſtatuant, ſe non habuiſſe veram fidem, & ſi in ea opinione mortui fuiſſent, vitam æternam à ſe non fuiſſe obtinendam, ſiquidem vera eſt Reformatorum credendi ratio. Examinet 2. præmiſsâ oratione, an Reformatus particularis poſſit ullâ certâ viâ ſibi perſuadere, quod de facto Reformatæ rationi credendi ſatisfaciat. Conſideret ſedulò, quid unicuique incumbat oneris, & facilè inveniet, fieri non poſſe, ut quiſquam in re tanta ſincerè procedens, onus ſibi impoſitum certò & indubitatò impleat. Et tamen, niſi eo modo impleat, nulla eſt ſalus. Quis hîc exitus? *Vtinàm ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent!* Deuter. 32. 29.

Audi-

Digitized by Google

Auditur Coccejus.

XXXVII. Dicit 1. *Principiò conſtat, ipſos illos, qui ſe Catholicos vo-* *Diſp. 32.*
cant, non putare ſe credere ſine Spiritu ſancto. Obſerventur ſaltem iſta, quæ *n. 17.*
dicunt Walenburgii §. 6. Non poteſt homo credere fide divinâ,
niſi intùs per ſupernaturalem gratiam à Deo adjuvetur. *Plura iſtiuſ-*
modi occurrunt in ea parte. Quid igitur eſt, quare nobis improperent, quòd
dicamus, Spiritum ſanctum enixè invocandum, ſi velimus diſcere veritatem?

XXXVIII. *Reſp.* Ubi, quibus verbis improperavimus Refor-
matis, quòd dicant Spiritum ſanctum invocandum eſſe, ſi velimus
diſcere veritatem? Pertinet hoc ad fictiones. Multis locis ſimilia dixi-
mus, qualia ex noſtris refert Coccejus. Quando, ex ſententia Re-
formatorum, poſuimus requiſita ad credendum, tam ponendum
erat, quod probabamus, quàm quod improbabamus: neque enim
ſemiplenè exponenda erat eorum ſententia. Cæterùm ſi Coccejus
hîc verè dicit, nos requirere ſupernaturalem gratiam ad fidem; quo-
modo in præcedentibus aſſeruit, Catholicos non opus habere invo- *Suprà. n. 20.*
care Spiritum ſanctum?

XXXIX. Dicit 2. *Quanquam & illud tenendum eſt, non dicere Re-* *Ibid. n. 18.*
formatos, ſimpliciter ad fidem requiri, ut qui crediturus eſt, debitè opem
Spiritus ſancti imploret; ita ut hominis preces præcedant donum fidei. Firmi-
ter enim tenent, ipſas preces, quæ Deo placent, non niſi in fide poſſe fundi,
atque adeò eſſe fidei quandam expreſſionem & fructum. Denique ut precemur
& invocemus Deum in veritate, *donum eſſe* Spiritus precum. Zach. 12. 10.
Nam ſi Deo non placet, niſi cultus & προσκύνησις in Spiritu & veritate,
certè aut invocatio cultus non erit, aut in Spiritu invocabit Deum, & qui-
dem Spiritu veritatis, *qui invocabit Deum. Et quid eſt, quod apud Eſaiam*
dicit Deus, cap. 65. 1. Reſponde illis, qui non interrogaverunt;
inventus ſum illis, qui non quæſiverunt me: *niſi quod Deus volunta-*
tem ſuam curavit indicandam, & per Spiritum ſuum perſuaſerit illis, qui
ante illud tempus, & illam horam, & momentum Deum nec cognoverant,
nec quæſiverant, nec interrogaverant, denique nec invocaverant?

XL. *Reſp.* Inter Reformatos communis hodiè ſententia eſt, antè *Vide Tract.*
fidem juſtificantem dari aliquas diſpoſitiones, quibus homo ad fi- *de Iuſtific.*
dem juſtificantem à Deo præparetur; atque inter has numerandam
eſſe aliquam fidem, licèt adhuc imperfectam, aliquam invocatio-
nem, licèt adhuc imperfectam. Hanc ſententiam Reformatorum

Digitized by Google

ſuppoſuimus, quando diximus, Reformatos exigere invocationem Spiritus ſancti, ut homo ad fidem perveniat. Ex ſententia verò Coccejì, non requirunt Reformati ad fidem ſimpliciter, ut, qui crediturus eſt *debitè* opem Spiritus ſancti imploret; ita ut hominis preces præcedant donum fidei. Ubi ſi hoc vellet, non requirere Reformatos in credituro perfectam Spiritus ſancti implorationem, nec preces perfectas præcedere donum fidei, recta eſſet ejus ſententia. Firmiter tenendum eſt, ipſas preces, quæ Deo placent, non niſi in fide poſſe fundi; & quidem perfectâ, ſi preces ſint perfectæ; vel imperfectâ, ſi preces fuerint imperfectæ. Textus Zachariæ & Evangelicus, agit de perfectis precibus. Deus non invenitur quæſitus, quaſi noſtrum quærere, ex viribus naturæ, ſit cauſa inveniendi Deum: ſed Deus per gratias præparantes ad fidem juſtificantem, facit ut quæramus Deum, licèt eum perfectè non quæramus, niſi obtentâ juſtificatione. Declaret ſententiam ſuam Coccejus, an nullas gratias ad juſtificationem præparantes admittat; & ulteriùs reſpondebimus,

Ibid. n. 19. XLI. Dicit 3. *Sed ſi iſti homines intelligere poſſint, Spiritum ſanctum ſepoſitâ Scripturâ, alicui hactenus non credenti perſuadere, quòd omnia, quæ loquitur Papa cum ſua Eccleſia, ſint credenda; & ut illi obedientiam fidei præſtent; quomodo poſſunt hærere & ambigere & dubitare & offendi, ut videri volunt, quando dicunt Reformati, hominem fidelem, quum ſe ipſe explorat, invocato Spiritu ſancto, illius beneficio intelligere, quòd veritatem ab eo didicerit, atque adeò per eum obſignare? Quòd ſi apud ipſos ſcandaloſum eſt, & irridendum ipſis videtur, ſanè omnes promiſſiones de obſignatione Spiritus ſancti irridendæ fuerint.*

XLII. *Reſp.* Quomodo Catholicus credat, dictum eſt in præcedentibus. Reliqua pertinent ad materiam de certitudine juſtificationis; de qua egimus ſuo loco: non pertinent ad explorationem ſui, an ſatisfecerit ſuæ regulæ credendi, de quo ſolo hîc agitur. Si-

Ibid. n. 22. cut nec illud pertinet, quod addit: *Quum igitur ex his liqueat, fidem ſine Spiritu Dei non exiſtere; quare Reformatos irrident, dum docent, fideles in exploratione ſui, ut cognoſcant*, an in fide ſint, *debere Spiritum ſanctum enixè invocare.* Falſum enim eſt, nos ex ea parte Reformatos irridere, vel invocationem Spiritus ſancti improbare.

De determinatione librorum Canonicorum.

Diſp. 33. n. 23. XLIII. Coccejus 4. *Secundum, in quo hærent Walenburgii, illud*

eſt:

eſt: Quomodo Reformatus quivis determinet de libris Canonicis. *Hoc enim & ſingulis neceſſarium putant, ex noſtra hypotheſi, & exiſtimant ſuperare captum ſingulorum. Nos dicimus, ſi id fixum ratumque nobis eſſet, neminem ſalvari, niſi qui omnia ſciret, quæ in corpore ſacrarum literarum continentur, tum omninò neceſſarium ad ſalutem futurum eſſe, ut quivis Reformatus, quocunque ſexu, ævo, ingenio, diſpiciat atque dijudicet, qui & quot libri Canonici ſint. Sed, quum hoc nemo noſtrum dicat, neque ex iis, quæ dicimus, conſequatur, perperam ab Adverſariis nobis hanc difficultatem objici.*

XLIV. *Reſp.* Concedit Coccejus, ſi nemo ſalvaretur, niſi qui omnia ſciret, quæ ſacris Bibliis continentur, neceſſum fore, ut quivis dijudicet, qui & quot ſint libri Canonici. Addit, non hoc dicere Reformatos, ideoque perperam id iis objici, vel potiùs oneris imponi. Videamus igitur, quid dicant Reformati.

XLV. Coccejus 5. *Quid igitur neceſſarium eſt? 1. Paratum, promptum pronumque eſſe ad omne verbum Dei indagandum, audiendum, recipiendum. Quamquam & hanc promptitudinem (quæ ſpiritus eſt) non negamus mirabiliter impotentiâ carnis hebetari. Sed tamen & ſpiritum in lucta vincere, ne homo ſaltem ſecurus fiat; & debilitatem propter Chriſtum condonari cenſemus.* *Ibid. n. 14.*

XLVI. *Reſp.* Inquiſiturus in veritatem revelatam acceptandam, aut repudiandam; vel ſeipſum examinaturus, quomodo ad ejus notitiam pervenerit; neceſſe eſt conſideret, an habeat, ſeu habuerit paratum animum, ad omne verbum Dei indagandum, audiendum, recipiendum. Undè autem ſciet, an habeat animum verè paratum, & per gratiam diſpoſitum? *Hanc*, inquit, *promptitudinem (quæ Spiritus eſt) non negamus mirabiliter impotentiâ carnis hebetari.* Hæc promptitudo Spiritus, quantùm exiſtimamus, erit Coccejo promptitudo Spiritus Dei. Sed qui necdum novit, quinam libri ſint Canonici, undè cognoſcet, eſſe promptitudinem Spiritus divini, quo excitatur ad omne verbum Dei indagandum? Si dixerit, eſſe gratiam Dei præparantem, ad cognoſcendam, ſequendamque divinam voluntatem; recta erit ſententia. Hanc gratiam pati difficultatem, in operatione, ab impotentia carnis, nemo dubitat. Spiritum in lucta vincere, gratiæ eſt; ſuccumbere, imbecillitatis. Reliqua ad rem non faciunt.

XLVII. Coccejus 6. Neceſſarium 2. *Scire, cui credat, hoc eſt, ſcire id, quod credit, eſſe verbum Dei. Atque ideò ſcire verbum Dei eſſe in mundo; nominatim Moyſen eſſe ſervum Dei fidelem in omni domo ejus; ſcripta* *Ibid.*

 illius

illius ſecundùm voluntatem Dei extare; ea eſſe fontem omnis prophetiæ, conformem eis, quæ locutus erat Deus patribus, in libris Apoſtolorum comprehendi. *Reſp.* Ergò venturo ad fidem neceſſe eſt ſcire, extare libros Moyſis, ſervi Dei fidelis; Prophetarum, & Apoſtolorum. Hæc aſſeruntur ſine omni probatione. Alius fortè divinabit, ſufficere Evangelium S. Joannis, & Epiſtolas S. Pauli. Videamus ulteriora.

Ibid. XLVIII. Coccejus 7. Neceſſarium 3. *Noſſe ea, quæ neceſſe eſt omnem ſalvandum non ignorare. Poſſunt autem ea cognoſci, etiamſi quis nec omnes libros canonicos legerit, neque legi audiverit, neque omnia, quæ in illis ſcripta ſunt meminerit vel intelligat: neque etiam controverſiam de libris non-Canonicis exactè perſpexerit: dummodò non temerè fidem obſtringat iis libris, quæ parem non habent auctoritatem; aut ſententiis, quæ extrà fœderis Dei anologiam proponuntur.*

XLIX. *Reſp.* Hæc iterùm aſſeruntur ſine omni probatione: uti legenti patet. Dictante Coccejo, neceſſarium eſt venturo ad fidem, *noſſe ea, quæ neceſſe eſt omnem ſalvandum non ignorare.* Rectè habet. Sed quâ revelatione divinâ prævià, ea cognoſci poſſunt, *etiamſi quis nec omnes libros canonicos legerit, nec legi audierit*, &c? aſſeruntur hæc, non probantur. Ubi dicit Scriptura, eſſe certos libros, vel Epiſtolas canonicas, ex quibus ea, quæ neceſſe eſt omnem ſalvandum non ignorare, hauriri valeant? Si Scriptura hoc non ſtatuit; ut quid fingitur? Imò, juxta Coccejum neceſſe non eſt, ut *controverſiam de libris canonicis exactè perſpexerit.* Ubi vel loquitur de controverſia præſenti, vel etiam de præterita, circà libros canonicos. De præſenti tantùm controverſia loqui Coccejum, abſurdum foret: neque enim eſt ratio, cur præſentis temporis controverſia de libris canonicis ſit neceſſaria, præteriti temporis non ſit neceſſaria. Videtur proindè loqui, tàm de præterita, quàm de præſenti circà libros canonicos controverſia. Qui ergò dicit, non eſſe neceſſum, ut quilibet ad fidem venturus, *controverſiam de libris canonicis exactè perſpexerit*; is ſimul ſtatuit, eſſe neceſſe, ut controverſiam de libris canonicis, ſive præſentem, ſive præteritam, aliquatenus perſpexerit. Et hoc abſurdum eſt: nec Reformati tradunt, omnibus & ſingulis eſſe neceſſe, ut controverſias de libris canonicis, præteritas & præſentes habeant aliquatenus perſpectas. Imò ſi ſufficit, controverſias de libris canonicis habere aliquatenus perſpectas, etiam ſufficiet libris canonicis, quorum auctoritas non eſt niſi aliquatenus perſpecta, aliquatenus fidem adhibere. Et ſic non erit neceſſe, quod tamen poſtula-

ſtulabat Coccejus, *ſcire, cui credat, hoc eſt, ſcire id, quod credit, eſſe verbum Dei.* Neque enim ſunt libri Canonici, qui tempore præterito, vel præſenti non venerint in controverſiam. Quomodo etiam verbo Dei, non niſi aliquatenùs cognito, fidem quis adhibebit indubitatam, & quidem ſub pœna amittendæ ſalutis æternæ?

L. Accedit, quòd ſi neceſſe non eſt, *controverſiam de libris Canonicis exactè perſpexiſſe*, etiam neceſſe non erit controverſiam de libris Moyſis exactè noviſſe. Et tamen, ſecundùm eundem Coccejum, neceſſe eſt, ſcire verbum Dei eſſe in mundo; *nominatim Moyſen eſſe ſervum Dei fidelem in omni domo ejus, ſcripta ejus per voluntatem Dei extare.* Tenetur igitur venturus ad fidem exactè noviſſe, libros Moyſis eſſe Canonicos; & etiamſi olim deſuper fuit mota controverſia, non tenetur illam controverſiam exactè perſpexiſſe. Non eſt neceſſe, ut de aliis dicamus, quum eadem ſit ratio.

LI. Sed quid hoc eſt, quod Coccejus dicit? non eſſe neceſſariam exactam notitiam controverſiarum de libris canonicis, *dummodò non temerè fidem obſtringat iis libris, quæ parem non habent auctoritatem.* Is nimirùm temerè, vel non temerè obſtringet fidem libris parem auctoritatem non habentibus, qui Cocceji determinationem, tanquam judicis infallibilis, fuerit ſecutus, vel non ſecutus. Nolet eſſe, in hac parte, judex infallibilis Coccejus. Sed primi Lutherani, Luthero adhærentes, Epiſtolam S. Jacobi ſtramineam cenſebant, Apocalypſin dubiæ fidei æſtimabant, Epiſtolam ad Laodicenſes admittebant. An neceſſe non eſt, has controverſias de partibus, libriſque Canonicis exactè perſpexiſſe? Si dicas, neceſſe non eſſe, dabitur progreſſus ad alios libros, & partes; & nihil erit neceſſarium exactè cognitu. Sin dicas, id neceſſe eſt; undè neceſſe erit in iſtis, & non in aliis?

LII. Lepidum eſt, quod addit, *dummodò fidem non obſtringat ſententiis, quæ extra fœderis Dei analogiam proponuntur.* quaſi diceret, non habentem exactam notitiam de controverſiis circà libros Canonicos, ſed aliquatenùs tantùm iis fidem ſuam obſtringentem, poſſe exactiſſimè judicare de fœderis Dei analogia, & juxta illam analogiam aliquatenùs cognitam, inconvenientes ſententias repudiare. Adeò infelix eſt Coccejus, ut ſine probatione loquens, non cohærentia loquatur.

LIII. Coccejus 8. *Et libri Moyſis, Prophetarum atque Apoſtolorum, ex quibus neceſſario promendum eſt, quod creditur, adeò eminentem & indubitatam habent auctoritatem, ut homini, cui Deus impertitur timorem ſui,* *Ibid. n.* 15.
mini-

minimè grave ſit *aut difficile*, *ipſis*, *ut divinis ſcriptis*, *fidem ſubſtringere: ut hoc ipſum præceptum recipiendi Scripturas mereatur id elogium, quod S. Iohannes de præceptis Domini pronunciat epiſt. 1. cap. 5. 3.* præcepta ejus gravia non ſunt. *Quod adeò verum eſt, ut, qui eis fidem derogat, cogatur animo ſuo ac conſcientia vim facere, etiamſi ſit in peccata proniſſimus.*

Supra n. 71. LIV. *Reſp.* Adverſus ſimilem narrationem diximus, Lutherum, primoſque Lutheranos non recepiſſe Epiſtolam S. Jacobi, Apocalypſin habuiſſe dubiam, fictam accepiſſe ad Laodicenſes Epiſtolam. An Deus Luthero, eique adhærentibus non fuit impertitus timorem ſui, ut quod timentibus Deum leve eſt, ac facilè; ipſis fuerit grave, & difficile? An derogantes fidem partibus non Canonicis, adhibentes fidem Epiſtolæ non Canonicæ, coacti ſunt animo ſuo ac conſcientiæ vim facere, qui tamen à Reformatis non putantur fuiſſe in peccata proniſſimi? Si *ex libris Moſis, Prophetarum atque Apoſtolorum, neceſſariò promendum eſt, quod creditur*; certum erit, id quod creditur, non neceſſariò promendum eſſe ex Epiſtola S. Jacobi, vel ex Apocalypſi; niſi primum ſuum prætenſum Reformatorem fide deſtitutum fuiſſe, Coccejus dederit Ubi autem conceſſerit, ex iſtis non neceſſariò deſumendam eſſe fidem; ipſe Coccejus perſpiciet, dari ad ulteriora progreſſum.

Ibid. n. 18. LV. Coccejus 9. *Debitum Reformati in* verſionibus *recognoſcendis alienè à fratribus urgetur: quandoquidem hîc quæritur de fide, in qua homo ſalutem ſperare poteſt; non etiam de fidei incremento in profectu cognitionis.* *Reſp.* Non ſequitur: Quæritur hîc de fide, in qua homo ſalutem ſperare poteſt: Ergò debitum Reformati in verſionibus recognoſcendis
Script. potent. cap. 8. pag. 194. alienè urgetur. Imò dicit Coccejus, ſuos non docere, *Verſionem ſingulos populos in ſua lingua habere authenticam.* Addit: *Eccleſiam non indigere verſione authenticâ ad hoc, ut credat Deo loquenti per Scripturas.* Acceptamus Cocceji confeſſionem, quòd nullæ Reformatorum Confeſſiones ſint authenticæ. Et licet aſſerat, Eccleſiam verſione authenticâ non indigere; non credemus, niſi demonſtraverit verſionem non authenticam Eccleſiæ ad hoc ſufficere.

Ibid. pag. 195. LVI. Videamus quid conetur. Coccejus 10. *Dicimus autem, Verſiones eſſe utiles, ut homo per eas erudiatur ad ſalutem, 1. Quia plurima in Scripturis adeò manifeſta ſunt, ut in iis transferendis nullæ Verſiones diſcordent: de quo conſenſu facilè ex omnium hominum, inter quos ſunt periti, ipſorum etiam infidelium & de religione diſſentientium Teſtimonio homini imperito conſtare poteſt. Tales ſunt ſententiæ ex quibus Symbolum Apoſtolorum (quod*

(quod dicitur) conſlatum eſt, & decalogus, & Inſtitutio Baptiſmi & ſacra Cœna, præter multas alias inſignes pericopas V. & N. T. quarum illæ in omnium Iudæorum & Chriſtianorum, hæ in omnium Chriſtianorum manu & ore verſantur. Hæc autem certum eſt habere eam ἀξιοπιστίαν, quam debet & poteſt habere fidele ἀπόγραφον, & ἑρμηνεία aut narratio vel Teſtimonium indubitatum.

LVII. *Reſp.* Nihil dicimus, quod aſſumpſerit probandum, Verſiones eſſe *utiles*, cùm probandum fuiſſet, Verſiones eſſe *ſufficientes:* fortè enim per *utile* intelligit *ſufficiens*. Concedimus, in multis Verſiones non diſcordare. Sed quomodo conſtabit imperito, qui nec omnes Verſiones habet, nec omnes intelligit, Verſiones in multis non diſcordare? Ad Teſtimonium hominum remittitur, quibus errori obnoxiis, juxta Reformatos, certiſſimam fidem adhibere nequit. Sint periti, qui hoc aſſerant, ſint infideles, qui conſentiant, ſint de Religione diſſentientes, qui adſtipulentur: qualeſcunque fuerint, homines erunt: qui ſimul teſtantur, Verſiones non eſſe factas ex originalibus ſcriptis auctorum Canonicorum, neque ex copiis authenticis, ſed tantùm ex copiis ſimplicibus. Quis ex Reformatis imperitus conſulit in Religione diſſentientes, infideles, & peritos, an plurima ſint in Scripturis, in quibus nullæ verſiones diſcordent; quis determinat illa plurima, antequam cogitet ex illis plurimis fidem ſuam deſumere? Nobis certè, inter Reformatos natis, & educatis, non contigit quemquam audire, qui ſe id feciſſe aſſeruerit.

LVIII. Si tales ſint ſententiæ, ex quibus Symbolum Apoſtolorum conflatum eſt; neceſſe erit, ut primùm conſtet, ex quibus ſententiis Symbolum Apoſtolorum ſit conflatum; quomodo enim imperitus ſciet, an ſententiæ, ex quibus Symbolum Apoſtolorum conflatum eſt, in omnibus Verſionibus reperiantur eædem, niſi priùs ſciat, quænam ſint illæ ſententiæ? Quomodo verò conſtabit imperito, ex quibus ſententiis Symbolum Apoſtolicum ſit conflatum? Nolet Coccejus, in hoc negotio imperitum remittere ad diſſentientes in Religione; nam & hi in deſignandis iſtis ſententiis non conveniunt: nolet imperitum remittere ad infideles, quos meritò putabit illas ſententias ignorare. Porrò, ſi imperitum remittat ad ſolos Reformatos, judicabit imperitus eſſe debile Teſtimonium. Nihil igitur ſupereſt, niſi ut ipſe imperitus congreget ſententias omnes, in quibus omnes verſiones conveniunt; & ex illis determinet certas ſententias, ex quibus Symbolum Apoſtolicum eſt conflatum. Quis au-

Ff tem

tem imperitus hoc unquam fecit, aut putavit ſibi incumbere?

LIX. Quantùm ad verba inſtitutionis baptiſmi, quantùmvis Verſionibus ſatis conveniat, hærebit tamen aſſumpturus fidem, intelligens ex omnium Chriſtianorum ſententia, pronuncianda eſſe in adminiſtratione baptiſmi aliqua verba; quod faciendum eſſe, in inſtitutione baptiſmi non legitur. Verſiones non diſcordare in verbis inſtitutionis ſacræ Cœnæ, craſſa nimis fictio eſt; quemadmodùm conferenti patebit, ſi verſiones contulerit. In his autem non poteſt remitti imperitus ad Teſtimonium omnium hominum, peritorum, infidelium, & de religione diſſentientium.

Ibid. LX. Coccejus 11. *Quia 2. demonſtrari non poteſt in verſionibus, ſaltem omnibus conjunctis & comparatis inter ſe, error importans contrarium ei, quod ſecundùm certa & conformiter verſa creditur. Vndè & Walenburgii auſi ſunt in certamine cum Eccleſiis Reformatis nullas verſiones rejicere. Reſp.* Contrarium ejus, quod aſſerit Coccejus patet in Collatione Bibliorum Acatholicorum: quo modo in conferentia nullas verſiones rejiciamus, vide Method. Auguſt. *Part. 2. princ. n. 7.*

Ibid. LXI. Coccejus 12. *Quia 3. myſterium pietatis habet analogiam, & ſermo Dei ſapientiſſimus eſt. Vnde ubicunque vel analogia vacillat & ſapientia ſermonis non apparet, vel verſiones diſcordant, fideli datur anſa inquirendi, donec ipſi verſio offeratur, in qua conſcientia, deprehenſâ analogiâ, & ſapientiâ ſermonis, & conveniente plurium doctorum de vi vocum & phraſium, per collationes locorum demonſtrata, Teſtimonio, acquieſcere poſſit. Reſp.* Hæc non ſunt imperitorum.

Ibid. *pag. 196.* LXII. Coccejus 13. *Quia 4. impoſſibile eſt, ut non, quantùm ad fundandam fidem in Deum & accipiendum fœdus ejus & excitandam porrò accuratiùs diſcendi induſtriam neceſſarium fuit, in verſionibus compareret: propter divinam promiſſionem (qua clariſſimè & ſine diſcordia in omnibus codicibus extat, & hominum linguis auditur) nempe Verbum & legem Dei egreſſurum ad gentes & populos & nationes & linguas, & eas in viis Dei ambulaturas. Hujus promiſſionis qua vis ſit, non ignoravit Bellarminus, qui* l. IV. *de Verbo Dei* cap. XII. §. 2. *audet dicere*, Eſſe impoſſibile traditiones non conſervari: nam, *inquit*, cura iſta non incumbit præcipuè hominibus, ſed Deo, qui Eccleſiam regit. Sicut ergò Deus conſervavit veram Eccleſiam uſque ad hunc diem contra tot perſecutiones Imperatorum, Philoſophorum, Judæorum, hæreticorum: & ſicut potuit conſervare traditiones ab Adam uſque ad Moyſen per duo annorum millia: & deinde Scripturas à Moyſe ad hoc uſque tempus per tria

millia

millia annorum & ampliùs, ita potuit ſine dubio conſervare traditiones à Chriſto uſque ad nos per 1500. annos, præſertim quum præter Dei providentiam, quæ eſt præcipua cauſa, ſint aliæ quatuor cauſæ adjuvantes, 1. Scripturæ ſive monimenta veterum. 2. Uſus continuus. 3. Monimenta externa. 4. Hæreſis. *Quæ quum ſine fundamento & promiſſione divina dicantur de Traditionibus non ſcriptis, & omnino neceſſe ſit Papiſtas ad Dei providentiam tanquam unicam cauſam conſervandæ Eccleſiæ & Papalis prophetiæ confugere; multò majore jure nos contendimus & aſſeveramus, non potuiſſe fieri, ut quantum ad convertendum & ſalvandum hominem neceſſarium eſt, in verſionibus variarum linguarum non extaret, propter divinæ promiſſionis veritatem.*

LXIII. *Reſp.* Si hîc verum dicit Coccejus, totam cauſam nobis tradit. Tria ſunt, quæ Bellarminus conſiderat; 1. Eccleſiam. 2. Traditiones. 3. Verbum Dei non ſcriptum. Eſſe promiſſionem divinam de conſervanda perpetuò Eccleſia, nemo dubitat. Eſſe promiſſionem divinam de Verbo & lege Dei, egreſſuro ad gentes, & populos, & nationes, & linguas, & eas in viis Dei ambulaturas, undique in confeſſo eſt. Hanc promiſſionem reſtringere ad ſolum Verbum Dei ſcriptum, excluſo Verbo Dei non ſcripto; omni caret fundamento. Coccejus aſſerit, iſta ſine fundamento & promiſſione divina dici de traditionibus non ſcriptis. Sed Scriptura divina, quæ loquitur de Verbo & lege Dei, egreſſuro ad gentes, & populos, non agit determinatè de Verbo Dei ſcripto; ſed abſtrahit à ſcripto & non ſcripto. Ita legitur: *Eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ.* Act. 1. 8. Teſtimonium reddiderunt Apoſtoli, antequam eorum Teſtimonium ſcriberetur, idque in conformitate promiſſionis Chriſti, ut intelligamus, etiam de Teſtimonio necdum ſcripto factam eſſe promiſſionem. Ita legitur: *Prædicabitur Evangelium hoc in univerſo orbe, in Teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio.* Mat. 24. 14 Hæc promiſſio non reſtringitur ad ſolum Verbum Dei ſcriptum. Plurima liceret in eandem ſententiam proferre; ſed nihil opus eſt in re manifeſta.

LXIV. Ampliores, & uberiores factas eſſe promiſſiones Eccleſiæ, & Doctoribus Eccleſiæ, quam ſint illæ, quæ conſervationem Verbi Dei ſcripti concernunt, licebit videre, ex iis quæ diximus, de Perpetua Eccleſiæ viſibilitate, & Promiſſa Eccleſiæ ab erroribus immunitate. Chriſtus dicit: *Et ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum.* Joan. 14. 16. *Paracletus autem*

Digitized by Google

tem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis. Joan. 4. 26. *Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Joan. 16. 13. An minùs præſtabit promiſſum Deus, in dando, conſervandoque in Eccleſia Spiritu ſancto; quàm in dando, conſervandoque Eccleſiæ Verbo Dei ſcripto? Profectò qui hoc aſſeruerit, indignus eſt, cum quo diſputetur.

LXV. Benè dicit Coccejus, omninò neceſſe eſſe, ut Catholici ad Dei providentiam, tanquam unicam cauſam conſervandæ Eccleſiæ, confugiant: illud enim & S. Auguſtinum feciſſe demonſtravimus, & ſaluberrimum eſſe nemo prudens negaverit. Velle dicere; *non potuiſſe fieri, ut, quantùm ad convertendum & ſalvandum hominem neceſſarium eſt, in verſionibus variarum linguarum non extaret, propter divinæ promiſſionis veritatem:* & non velle dicere, Spiritum ſanctum conſervare Eccleſiam univerſalem ab omni errore fidei, tum propter divinæ promiſſionis veritatem, tum propter divinæ providentiæ in Eccleſia protegenda directionem; inſignis pervicaciæ eſt. Utrumque non agnoſcit Coccejus; nec probat unum præ altero eſſe tenendum: manet igitur propoſita circà Verſiones difficultas.

De determinatione neceſſariorum ad ſalutem.

Diſp. 33. *n.* 27. LXVI. Coccejus 14. *Neceſſarium eſt, ob cujus ignorationem aut contrarii retentionem aliquis à fraternitate relegandus eſt, quodque aliquis profitens pro fratre accipi debet, & credens bona conſcientiæ interrogatione ad Deum uti & ſpe vitæ æternæ frui poteſt.* &c. *Dicimuſque, ea, per quæ homo omnis ſervari poteſt, ſic in ſacris Scripturis & per ſacras Scripturas revelata eſſe, ut ad omnem conſcientiam demonſtrari poſſint, utque is, qui ea didicit & credit (cum quo id conjunctum eſt, ut nec falſum præfractè & tanquam ſalutis fundamentum teneat, neque verum, quod ex Verbo Dei demonſtratur, præfractè rejiciat) habere poſſit conſolationem de juſtitia & vita æterna.* (*Ibid. n.* 28.)

Diſp. 34. *n.* 2. LXVII. Addit: *Scriptura docet, quænam certa credendi & agendi regula neceſſariò tenenda ſit,* & fundamentum, *in quo inædificari neceſſe eſt ſalvandos, & ad quod omnia, quæ in ſacro Codice continentur, revocanda ſunt. Iam qui negabit, Scripturam, quæ fundamentum definit, definire, quæ neceſſaria ſunt creditu ad ſalutem? Nam qui fundamentum tenet, qui in fundamento per Scripturam ædificatus eſt, ſine dubio hæres eſt vitæ æternæ.*

Reſp.

Reſp. Idem dicunt Arminiani, idem Anabaptiſtæ. Expectamus determinationem articulorum neceſſariorum.

LXVIII. Addit: *Scriptura docet, quod ſit* Teſtamentum *Dei. Atqui ſi docet, quod ſit Dei Teſtamentum, docet etiam, quæ ſit ratio adipiſcendæ hæreditatis; ac proinde docet, quid neceſſarium ſit creditu ſalvandis. Reſp.* Idem dicunt Arminiani; idem Anabaptiſtæ. Expectamus determinationem articulorum neceſſariorum. *Ibid. n. 3.*

LXIX. Addit: *Scriptura docet, quæ ſit* ſapientia & prudentia: *ergò docet, quid ſit neceſſarium creditu & factu ad ſalutem. Reſp.* Non quæritur, an Scriptura doceat, quid ſit neceſſarium creditu & factu ad ſalutem: ſed, an quilibet poſſit ex S. Scriptura determinare, quid ſit neceſſarium creditu & factu ad ſalutem. Expectamus probationem. *Ibid. n. 5.*

LXX. Addit: *Scriptura docet, quomodo juſtitia & vita obtineatur: quomodo ſimus in Chriſto. Ergò definit, quæ ſint creditu neceſſaria. Reſp.* Non quæritur, an Scriptura definiat creditu neceſſaria: ſed, an quilibet ex Scriptura poſſit determinare, quæ ſint creditu neceſſaria. *Ibid. n. 6.*

LXXI. Addit: *Scriptura quoſdam conſolatur & jubet ſperare vitam æternam. Ergò determinat neceſſaria ſcitu & creditu ad conſolationem & ſpem vindicandam. Reſp.* Necdum quicquam concluditur, quod ad rem faciat. *Ibid. n. 7.*

LXXII. Addit: *Scriptura integrum* fœdus Dei *continet. Et in ſpecie quidem, quid ſtipuletur Deus ab hominibus, ut promiſſionum maximarum compotes fiant, in quo oporteat eos Deo ὁμολογεῖν & adſtipulari. Nempe indicat, Deum ſtipulari μετανοίαν* converſionem: *videlicèt à falſis Diis, à falſis opinionibus de Deo, à falſa juſtitia, à mortuis operibus, ad amorem veri Dei & fiduciam in Chriſto ut Servatore in bonis factis. Quid autem ſit amor Dei & proximi, tum decalogo ſummatim, tum per totam Scripturam aliquando brevius, aliquando fuſius explicat. Reſp.* Etiam Arminiani & Anabaptiſtæ tenent, neceſſariam eſſe converſionem, à falſis Diis, à falſis opinionibus de Deo, à falſa juſtitia, à mortuis operibus, ad amorem veri Dei & fiduciam in Chriſto ut Servatore in bonis factis: neceſſarium amorem Dei & proximi. Hactenùs Coccejus nihil diverſum ponens ab Arminianis & Anabaptiſtis, niſi alia ſubſit cauſa, tenetur eos pro fratribus ſuis agnoſcere. *Ibid. n. 8.*

LXXIII. Addit: *Scriptura proponit* bonum & malum, vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. *Deut. 30. Quomodo igitur non definit, quid ſit ad ſalutem neceſſarium? Reſp.* Necdum probat, *Ibid. n. 9.*

unumquemque poſſe determinare ex Scriptura, quid ſit creditu neceſſarium. Arminiani & Anabaptiſtæ idem dicunt, quod Coccejus, qui tamen illos pro fratribus non habet.

Ibid. n. 10. LXXIV. Addit: *Scriptura exponit ſummam* Teſtimonii Dei *de Chriſto, & teſtatur, id eſſe* ſpiritum prophetiæ, *& officium noſtrum deſignat.* (*Vide* 1 *Ioh.* 5. 10.11.12.13. *Apoc.* 19. 10. *Mich.* 6. 8. *Matth.* 23. 23.) *& quidem* ut ſciamus nos vitam æternam habere: 1 *Ioh.* 5. 13. *& quâ fronte accuſatur, quòd non explicaverit,* ἡ χρεία ἐςὶ, id quo opus eſt, *ſive* materiam credendam *non totam* determinaverit, *ſed aliis reliquerit eam determinandam, ita ut oporteat ſuſpicari, Deum voluiſſe hanc determinationem ab illis pendere? Reſp.* Et Arminiani, & Anabaptiſtæ dicunt, Scripturam exponere ſummam Teſtimonii de Chriſto, & teſtari, id eſſe ſpiritum prophetiæ; & quidem ut ſciamus nos vitam æternam habere. Cæterùm, agitur hîc, an quilibet ex S. Scriptura poſſit determinare neceſſaria creditu: non agitur, an Scriptura totam materiam neceſſariò credendorum determinaverit.

Ibid. n. 11. LXXV. Addit: *Scriptura docet* pietatis myſterium, 1 *Tim.* 3. 16. *docet, quis Chriſtus ſit, ad quid Chriſtus datus ſit, ut in ipſum credamus; & (ſi non mentiuntur Walenburgii) non definit, quid credere oporteat, ut ſalvi ſimus. Reſp.* Non quæritur, an Scriptura definiat, quid credere oporteat: non eſt hoc hujus loci: actum de ea re eſt *Exam* III. Undè noſtra verba allegat Coccejus, *Diſp.* 33. *n.* 29. oſtendes, ſe ex profeſſo aliud agere. Poteſt Scriptura definire, & determinare, quænam ſint neceſſaria creditu ad ſalutem: nec tamen inde ſequitur, ea in Scriptura tam apertè determinari, ut quilibet ex Scriptura ſecure determinet, quænam ſint neceſſaria ad ſalutem; quod vel ipſa Reformatorum in determinandis articulis neceſſariis diſſenſio evidenter evincit. Hæc ſi intellexiſſet Coccejus, non ſomniaſſet de mendacio.

Ibid. n. 12. LXXVI. Addit: *Scriptura docet &* ὁμολογίαν, *per quam cognoſcitur Spiritus Dei,* 1 *Ioh.* 4. 2. *& dubitamus, an doceat quid neceſſarium ſit ad ſalutem creditu? Reſp.* Nihil ad rem. Habet plura ſimilia Coccejus, ſed laſſamur relatione huc non facientium.

Ibid. n. 16. LXXVII. Poſt tam multa, accedit propiùs, dicens: *Sed & illorum methodo utamur. Certum eſt, doctrinam, quæ eſt neceſſaria creditu, in mundo doceri. Deus enim promiſit fidem & Eccleſiam* σωζομένων, eorum qui ſalvantur, *& verbum ſuum è mundo non iri extirpatum. Atqui ea doctrina ex Scriptura hauritur; ut ſuprà probatum eſt. Idque perſpicuum eſt in Symbolo iſto antiquiſſimo, quod vocatur Apoſtolicum, quæ eſt formula* ὁμο-

ὁμολογίας eorum, qui inter Chriſtianos cenſeri cupiverunt. Quam patet ex Scripturis deſumptam eſſe, ad pleniùs paulo explicandam fidem in Deum Patrem, filium & Spiritum ſanctum, quam exigit baptiſmus. Ergo ſic ea doctrina in Scripturis extat, ut conſtet, quâ catecheſi imbuendi ſint pueri, & ut doctrina ſalutaris agnoſci poſſit.

LXXVIII. *Reſp.* Videamus, quàm feliciter Coccejus utatur noſtrâ methodo. *Certum eſt, doctrinam, quæ eſt neceſſaria creditu, in mundo doceri.* Concedimus: nec ea propoſitio eget probatione. *Atqui ea doctrina ex Scripturis hauritur.* Tranſeat, tanquam nihil ad rem faciens. *Idque perſpicuum eſt in Symbolo illo antiquiſſimo, quod vocatur Apoſtolicum*, &c. Quid eſt perſpicuum? Doctrinam, quæ neceſſaria eſt creditu, in mundo doceri? Sed unde hoc eſt perſpicuum? Num ex Symbolo Apoſtolico? Negamus id eſſe perſpicuum ex Symbolo Apoſtolico. Sed Symbolum *Apoſtolicum eſt formula ὁμολογίας eorum, qui inter Chriſtianos cenſeri cupiverunt.* Sed S. Scriptura nullibi dicit, ſolum Symbolum Apoſtolicum eſſe ſufficientem formulam pro recipiendis in numerum Chriſtianorum. S. Scriptura nullibi dicit, omnia & ſingula in Symbolo contenta eſſe neceſſaria creditu ad ſalutem. *Patet ex Scripturis deſumptam eſſe.* Tranſeat: multa ſunt ex Scripturis deſumpta; quæ non ideò omnibus & ſingulis ſunt neceſſaria creditu ad ſalutem. *Ergo ſic ea doctrina in Scripturis extat, ut conſtet, quâ Catecheſi imbuendi ſint pueri, & ut doctrina ſalutaris agnoſci poſſit.* Ubi dicit Scriptura, Symbolum Apoſtolicum continere omnia, quæ omnibus & ſingulis, etiam pueris, ſunt neceſſaria creditu ad ſalutem? oſtende locum, ſi poſſis. Ubi dicit Scriptura, omnes & ſingulos articulos Symboli eſſe neceſſarios ad ſalutem? oſtende loca, ſi poſſis.

LXXIX. Deindè; qui dicit Symbolum Apoſtolicum eſſe neceſſarium creditu ad ſalutem, non agit de ſolis verbis Symboli Apoſtolici, ſed de verbis cum vero ſenſu. Nunquam poterit Coccejus determinare verum ſenſum uniuſcujuſque articuli Symboli Apoſtolici, qui, ex ſententia Eccleſiæ Reformatæ, ſit omnibus & ſingulis neceſſarius creditu. Probamus: non eſt una eademque ſententia Doctorum Reformatorum, de *Deſcenſu Chriſti ad inferos*, uti oſtendimus tractantes eam materiam. Ubicunque autem Doctorum Reformatorum non eſt eadem ſententia de ſenſu vero alicujus articuli, nequit eſſe eadem ſententia de ſenſu neceſſario ejuſdem articuli; quandocunque ſententiæ ſunt oppoſitæ, uti in præſenti.

LXXX. Po-

Digitized by Google

LXXX. Poſteà; ex quibus S. Scripturæ locis evidenter probabit Coccejus, ſenſum neceſſarium articuli, de *Deſcenſu Chriſti ad inferos?* gratum nobis eſſe, ſiquidem id tentaret: ſed faciet nunquam: mavult in genere declamare; & probationem neceſſarii ſenſus neceſſariò defugiet, ne ipſa determinatione ſenſus neceſſarii, etiam ante omnem probationem, fratres ſuos condemnet erroris in articulo neceſſario.

LXXXI. Quò igitur confugiet? dicetne cum Arminianis, articulum, de *Deſcenſu Chriſti ad inferos*, non eſſe neceſſarium ad ſalutem, quòd evidentibus S. Scripturæ locis, ejus neceſſitas nequeat evinci? vix audebit. Expectabimus quid dicat. Nolumus nunc de pluribus articulis agere, ne debito longiores ſimus.

LXXXII. Tandem nec illud omittendum eſt; Coccejus agens *Suprà. n.66.* de articulis neceſſariis, profitetur, ſe de illis agere, *ob quorum ignorationem vel rejectionem aliquis à fraternitate relegandus eſt, quodque aliquis profitens pro fratre accipi debet, & credens bonæ conſcientiæ interrogatione ad Deum uti & ſpe vitæ æternæ frui:* Iſtos autem articulos aſſerit contineri Symbolo iſto antiquiſſimo, quod dicitur Apoſtolicum. Videamus quid ſequatur. Ergò, juxta Coccejum, graviſſimè peccavit Synodus Dordrechtana, relegans Arminianos à ſua communione. Probatur: quia Arminiani nullum articulum Symboli Apoſtolici ignorant, nullum rejiciunt, conſequenter tanquam fratres retineri debebant, qui omnes illos articulos profitebantur, & bonæ conſcientiæ interrogatione ad Deum, & ſpe vitæ æternæ fruebantur. Rogamus Coccejum, ut apertè reſpondeat; caveatque ne in deſcriptionem neceſſitatis, à ſe poſitam, impingat.

LXXXIII. Ex iſtis concludimus: Si Coccejus non potuit ſolidè determinare, quinam ſint articuli creditu neceſſarii ad ſalutem; multò minùs id poſſe quemlibet de plebe Reformata.

§. 3.

Quibus modis unuſquiſque Reformatus debeat ſatisfacere ſuæ rationi credendi.

LXXXIV. Obſerva 1. Nullus Reformatus poteſt aliâ ratione pervenire ad fidem, niſi debitè conſulto Spiritu ſancto, ex Scriptura determinet, quid ſit credendum. *Ergò tria requiruntur ad fidem: Scriptura, ſicut norma, ſine qua Spiritus ſanctus non judicat de materia fidei: Spiritus ſanctus, qui ſit judex controverſiarum fidei: & oratio, ſine qua Spiri-*

Spiritus ſanctus non certò inſtruit Reformatos ex Scriptura. Hoc concedit Judicium Neufeld, *cap.* 9. §. 13.

LXXXV. Obſerva 2. Hanc eſſe S.Scripturam, hos eſſe articulos neceſſarios, ſine quibus ſalus obtineri nequeat; unuſquiſque Reformatus determinat ex S. Scriptura, per Teſtimonium, quod ex Scriptura reddit Spiritus ſanctus; quodque Teſtimonium eſt mentis illuſtratio, vel alius motus internus & divinus à Spiritu ſancto, tanquam argumentum, & conditio neceſſaria determinandi dictas veritates.

LXXXVI. Obſerva 3. *Illos motus internos Spiritus ſancti, quos Reformatus debet ſentire, quique ipſi ſunt neceſſarii ad determinandos libros Canonicos, & ex iis articulos neceſſarios; debere eſſe maximè divinos, certos, & indubitatos, quò, ſine ullâ formidine erroris, quilibet plebeius audeat, teneatur, & poſſit, ſub pœna mortis æternæ, conſtantiſſimè credere, ſe tenere, quicquid eſt ad ſalutem neceſſarium, licèt omnes Catholici & plerique aliarum ſectarum contrarium ſentiant.* Hoc etiam concedit Judicium Neufeld, *cap.* 9. §. 15.

LXXXVII. Conſideret quilibet Reformatus (adferat autem intellectum non præoccupatum) an eâ ratione non teneatur *nimium ſibi tribuere.* Exploret ſeipſum, an *diviniſſimos illos motus* experiatur: & meminerit Angelum Satanæ nonnunquam ſe transformare in Angelum lucis; ipſoſque reprobos, juxta Calvinum, quandoque experiri non diſſimiles motus. Et tamen, niſi motus illos diviniſſimos Spiritus ſancti certò experiatur; non poteſt ſtatuere, ſe habere veram fidem; nec eſſe filium Dei, nec hæredem vitæ æternæ. Quomodo autem ſibi perſuadebit, ſe non errare in determinandis articulis neceſſariis, videns Catholicos, alioſque plurimos à ſe diſſentire; videns ſuos Doctores inter ſe non convenire in determinandis articulis ſaluti neceſſariis? Neſcimus profectò, an ſapientis, & prudentis eſſe poſſit, juxta rationem credendi Reformatam, tantum negotium internis motibus tribuere.

Lib. 3. *Inſtit. cap.* 2. §. 10. 11. & 12.

LXXXVIII. Contigit, ut poſt Synodum Nationalem Hagienſem examinaretur de ſuſpecta doctrina quidam Hermannus, Prædicans Goudanus, docens, *Quòd Prædicantes carnales (ſive non regeniti) quive non haberent cor fidele, non poſſent Scripturis ſuo intellectu rectè uti, neque Scripturam per Scripturam interpretari.* Sed reſponderunt Deputati à Synodo, *Eſſe rem malæ conſequentiæ apud ſimplicem populum, ſicut patet exemplo Iudæ, qui veritatem prædicavit, conſequenter baptizavit,*

Num. 3. Bor. *Tom.* 3. *part.* 1. *lib.* 20. *fol.* 88.

& miraculis confirmavit. *Matth.* 7. 22. & 23. 23. Si hæc declaratio eſt vera, non erit neceſſarius ſingularis ille motus Spiritus ſancti, ad intelligendam, prædicandamque veram fidem: & ſic procedent Reformati per *eſt & non*, contra mandatum S. Scripturæ.

§. 4.
Qualis ſit Eccleſia Chriſti, juxta rationem credendi Reformatorum.

LXXXIX. Obſerva 1. Nullus tenetur credere, niſi quod conſulto Spiritu ſancto judicat convenire cum S. Scriptura. *Ergò unuſquiſque Reformatus putat, illos ſolos conſtituere veram Eccleſiam, qui nihil credunt, niſi quod conſulto Spiritu ſancto judicant convenire cum S. Scriptura.* Ratio eſt; quia ſtatuunt fidem non obtineri, niſi præviâ oratione conſulatur Spiritus ſanctus in S. Scriptura: & ex ea determinetur, quid ſit credendum.

XC. Obſerva 2. Singuli Reformati putant, eos ſolos conſtituere veram Eccleſiam, qui implorato, & conſulto Spiritu ſancto in Scriptura, eam profitentur doctrinam, quam judicant S. Scripturæ conformem. *Ergo ſimul credunt, neminem eorum, qui ſtatuunt aliquid neceſſarium ad ſalutem, quod ipſi non credunt, vel qui ſtatuunt aliquid non neceſſarium, quod habent neceſſarium, eſſe in eadem cum ipſis Eccleſia.*

XCI. Obſerva 3. ſinguli Reformati ſtatuunt, neminem eorum, qui credunt aliquid neceſſarium ad ſalutem, quod ipſi non credunt; vel aliquid non neceſſarium ad ſalutem, quod ipſi credunt neceſſarium, eſſe in eadem cum ipſo Eccleſia. *Ergo ſinguli Reformati ſtatuunt, ſe non eſſe in eadem Eccleſia, cum pluribus ex ſuis Prædicantibus; cùm neceſſario varii ſint, qui non idem cum unoquoque Reformato de articulis neceſſariis ſentiant.*

XCII. Obſerva 4. Singuli Reformati ſtatuunt, ſe non eſſe in eadem Eccleſia cum Prædicantibus ſuis diverſum ſentientibus in materia de articulis neceſſariis. *Ergo credunt, illos Prædicantes errare in articulis neceſſariis.*

XCIII. Obſerva 5. Singuli Reformati ſtatuunt, ſuos Prædicantes errare in articulis neceſſariis, qui à ſe diverſum credunt. *Ergo putant illos Prædicantes non pervenire ad regnum cœlorum, & æternùm damnari.* Ratio eſt; quia error in articulo neceſſario privat regno cœlorum, & æternùm damnat.

XCIV. Ob-

XCIV. Obſerva 6. Nullus Reformatus tenetur credere, niſi quod conſulto Spiritu ſancto judicat convenire cum S.Scriptura: *Ergo nullum extat Eccleſiæ judicium publicum in orbe Chriſtiano, quo infallibiliter ſecernatur unica vera Chriſti Eccleſia ab aliis falſis Eccleſiis.* Ratio eſt; quia ſtatuunt Eccleſiam poſſe errare. Judicium Neufeld reſpondet, extare publicum Dei Verbum. Verùm non agimus in ea conſequentia de judicio Eccleſiæ; & ſic nihil ad rem dicitur. *Cap. 9. §. 18.*

XCV. Obſerva 7. Nullum extat Eccleſiæ publicum judicium in orbe Chriſtiano, quo infallibiliter ſecernatur unica vera Chriſti Eccleſia ab aliis falſis Eccleſiis. *Ergo nulla Eccleſia habet poteſtatem docendi, per quam alii Chriſtiani teneantur credere in materia fidei & morum.* Nec enim poſſunt abſolutè per Eccleſiam credere, qui jubentur nihil credere, niſi quod debitè invocato Spiritu ſancto judicant convenire cum S.Scriptura. Hoc totum concedit Judicium Neufeld: & tamen docet Conf. Helv. poſter. Art. 18. pag. 63. *Inquirendum diligenter in doctrinam & vitam miniſtrorum in Synodis, corripiendi ſunt peccantes,* deponendi incurabiles. *Cap. 9. §. 19.*

XCVI. Obſerva 8. Nulla Eccleſia habet poteſtatem docendi, per quam alii Chriſtiani teneantur credere, in materia fidei & morum. *Ergo nulla extat juriſdictio Eccleſiaſtica, cui quis teneatur ſubeſſe, niſi priùs, implorato Spiritu ſancto, decernat eam juriſdictionem eſſe juſtam, cui ſubjiciatur, vel injuſtam, à qua, ſi poſſit, ſeſe eximat.* Nec enim eſt parendum injuſtæ juriſdictioni Eccleſiaſticæ. Et hoc concedit Judicium Neufeld, *cap.* 9. §. 20.

XCVII. Obſerva 9. Nulla extat juriſdictio Eccleſiaſtica, cui quis teneatur ſubeſſe, niſi priùs, implorato Spiritu ſancto, decernat eam juriſdictionem eſſe juſtam, cui ſubjiciatur, vel injuſtam, à qua, ſi poſſit, ſe eximat. *Ergo tota juriſdictio Eccleſiaſtica ſubjicitur maximis turbis, ab unoquoque excitandis, qui audebit jactare, ſe implorato Spiritu ſancto, ex S. Scriptura judicare, injuſtam eſſe juriſdictionem, cui ſubjicitur.* Hìc Judicium Neufeld dicit; *Nihil minùs. Reſp.* Vide ſequentia. *Cap. 9. §. 21.*

XCVIII. Obſerva 10. Tota juriſdictio Eccleſiaſtica ſubjicitur maximis turbis, ab unoquoque excitandis, qui audebit jactare, ſe, invocato Spiritu ſancto, ex S.Scriptura judicare, injuſtam eſſe juriſdictionem, cui ſubjicitur. *Ergo cœtus Chriſtianorum, qui ſecundùm hanc rationem credendi colligitur, eſt neceſſariò confuſus, ſine fixo ordine & ſtatu.* Quomodo enim fieri poteſt, ut certus ſit ordo, ſi unicuique liceat impunè ordinem turbare? quomodo non unicuique licebit

 impu-

impunè ordinem turbare, ſi nullus Chriſtianus teneatur ſubeſſe juriſdictioni, niſi quam, implorato Spiritu ſancto, ex S. Scriptura decernat eſſe juſtam. Ponamus enim Miniſtrum, qui ſe veritatem docere, ſibi perſuadeat: licebit ei, juxta Conf. Helv. poſter. velut lupos abigere à grege Dominico, quotquot ei monenti non obſequuntur: *ſi enim ſint pſeudodoctores, minimè ferendi ſunt:* prout ipſi loquuntur.

Art. 18. *pag.* 63.

XCIX. Neque obſtit, quòd Reformatorum Eccleſiæ hinc inde videantur eſſe quietæ: hoc enim ſit, vel quia promiſcua multitudo non dijudicat ſingula ex S. Scriptura, implorato Spiritu ſancto; ſed ſimpliciter credit ſuis Prædicantibus: vel quia ſtatuunt juriſdictionem abſolutam, cui ſinguli teneantur ſubeſſe, uti patet ex Diſciplina Gallica, & eorum Synodis. Cùm autem ſtatuunt ejuſmodi juriſdictionem, non ſequuntur ſuam rationem credendi, quam deſignavimus §. 1. Sed imitantur Catholicam; videntes, non poſſe haberi certum Eccleſiæ ſtatum, juxta ſuam rationem credendi.

C. Conſideret nunc unuſquiſque Reformatus, cui ſalus ſua eſt curæ (ſi unquam, implorato Spiritu ſancto, judicaverit ex S. Scriptura, quinam ſint articuli neceſſarii) an ſciat in qua ſit Eccleſia? Quomodo iſtud ſciet, ſi neſcit, quinam cum ipſo idem ſtatuant in materia de articulis neceſſariis. Fortè nunquam cogitavit, quid alii ea de re ſentiant; & conſequenter nunquam ſciverit, in qua fuerit Eccleſia. Hoc poſito, conſideret, & Catholicos, & Lutheranos, & Reformatos docere, Extrà communionem externam cum vera Eccleſia non eſſe ſalutem. Undè ſequitur, ſi non habuerit eam communionem, ſe non fuiſſe hucuſque in via ſalutis. Conſideret, an in ea Eccleſia ſit manendum, in qua, juxta propriam ejus credendi rationem, nullus ordo, ſed ſempiternus inhabitat horror & confuſio: in qua nulla poteſt eſſe unitas, quamdiu membra diverſum ſentiunt in materia de articulis neceſſariis. Nec enim ullus prudens, & de Deo ſentiens in bonitate, talem Eccleſiam à Deo inſtitutam eſſe, ſibi perſuadeat.

Via Comp. cap. 10. *pag.* 196.

CI. Tandem nota ex Eilbrachto: *Reformati, & alii Principibus auctoritatem conſtituendæ in ſuis ditionibus Religionis tribuunt. Singulis item ſubditis ejus vel amplectendæ vel rejiciendæ facultatem concedunt. Atque hoc juxta proprium utrocumque conſcientiæ judicium. Nam ſingulis Principibus perſuadent ipſis non tantùm licitum, ſed inſuper etiam divinitùs injunctum eſſe, ut quam Religionem in ſua conſcientia Verbo Dei conſentaneam eſſe judicant,*

dicant, ad eam amplectendam colendamque ſubditos ſuos etiam vi corporali cogant: Et niſi id faciant, ipſos deſciſſere ab officii ſui fide. Rurſus, ſingulis ſubditis perſuadent, ipſis non modò licitum, ſed etiam à Deo ſeveriſſimè mandatum eſſe, ut quam Religionem Verbo Dei diſſentaneam eſſe in ſua conſcientia judicant, eam repudient & averſentur. Atqui ſæpenumerò contingere ipſâ experientiâ conſtat, ut quam Religionem Princeps Verbo Dei per omnia concordare in ſua conſcientia judicat, eandem ſubditi Verbo Dei è diametro repugnare in conſcientia ſua arbitrentur. Quid autem magis abſurdum, quid magis paradoxum fingi poteſt, quam de una eademque re Principi quidem ſecundùm judicium conſcientiæ ſuæ imperandi & cogendi; Populo autem ſecundùm judicium conſcientiæ ſuæ judicio Principis non acquieſcendi & mandatis non obtemperandi non ſolum poteſtatem facere, ſed etiam neceſſitatem injungere? Qui fructus hinc ſperari poſſunt, niſi quos jam dudum acerbiſſimo piorum quorumcunque cum dolore & gemitu experitur orbis Chriſtianus? Nempe politiæ Eccleſiaſticæ perturbatio, diſciplinæ diſſipatio, doctrinæ adulteratio, rituum ataxia, regiminis anarchia, animorum diſſenſiones, populorum diſtractiones, ſubditorum adverſus ſuperiores ſuos rebelliones, & inter ſeſe turbæ & factiones: Unde verò civitatum, provinciarum, regnorum devaſtationes, bella, incendia, cædes, plurimaque alia mala oriuntur, quorum finis tandem eſt, & religionis & hominum exitium. Quantò æquior & verior eſt doctrina Catholicorum? &c.

§. 5.

Qualis fuerit Eccleſia primis ſexcentis annis poſt Chriſtum, juxta rationem credendi Reformatorum.

CII.° Obſerva 1. Omnia Concilia generalia poſſunt errare in fide: & nullus Chriſtianus tenetur acquieſcere decretis Conciliorum; niſi implorato Spiritu ſancto ſtatuat ex S.Scriptura, Concilia de facto errare. *Ergò Concilia generalia primorum ſeculorum deteſtandam tyrannidem exercuerunt in totam Chriſti Eccleſiam.* Probatur: quia anathematizarunt eos, qui implorato Spiritu ſancto, ex Scriptura judicabant, Concilia de facto errare. Neque ſufficit, ſi dicas prima Concilia rectè ſtatuiſſe de veritate; Arium autem, Macedonium, Neſtorium & Eutychen erraſſe: quia hi, juxta Reformatos, non tenebantur ſequi judicium Conciliorum, niſi, implorato Spiritu ſancto, judicarent ex Scriptura, Concilia non errare. Cùm autem ſtatuerent, Concilia errare; quomodo potuerunt anathematizari ſine tyrannide?

CIII. Obſerva 2. Concilia generalia primorum ſæculorum deteſtandam tyrannidem exercuerunt in totam Chriſti Eccleſiam. *Ergò in dubium revocantur omnes hæreſes per ea Concilia damnata, donec unuſquiſque Reformatus, implorato Spiritu ſancto, decreverit ex S.Scriptura, an iſti hæretici erraverint in articulis neceſſariis.* Cùm enim Concilia nullam habeant poteſtatem, cui alii teneantur acquieſcere; pendebit ſententia Concilii à judicio ſingulorum, eam, implorato Spiritu ſancto, conformem Scripturæ, aut difformem ſtatuentium. Judicium

Cap. 9. §. 24. Neufeld hîc inſinuat, nullius particularis eſſe, condemnare hæreſes damnatas, niſi & cauſam, & rationes cognoverit.

CIV. Obſerva 3. Nulla extat juriſdictio Eccleſiaſtica, quam ſinguli Chriſtiani, antequam eam ſubeant, non teneantur, implorato Spiritu ſancto, ex S.Scriptura declarare juſtam. *Ergò tempore quatuor primorum poſt Chriſtum Conciliorum, nullus extitit publicus verus Dei cultus.* Probatur: quia ille cultus, tunc Deo exhibitus, fuit decretus ex ſumma poteſtate in ſingulos Chriſtianos, quæ (uti vultis) eſt tyrannis contra Verbum Dei, & conſequenter cultus ex tyrannide proveniens, ac deteſtandus. Neque obſtat, quòd multi abominati fuerint eam tyrannidem; quia illi iidem ſunt, quos Concilia generalia eorum temporum condemnarunt. Negat iſtam conſequentiam

Cap. 9. §. 25. judicium Neufeld: verùm non advertit, hîc agi de cultu publico, prout publicus eſt, & decretus ex auctoritate publica; talis autem cultus non cenſetur verus, ſi ipſum decretum, quo talis cultus indicitur, habeat adjunctam tyrannidem.

CV. Obſerva 4. Omnia Concilia generalia primorum ſæculorum deteſtandam tyrannidem exercuerunt in totam Eccleſiam Chriſti: violarunt verum Dei cultum. *Ergo omnes illi Epiſcopi, qui Conciliis illis interfuerunt, & omnes Chriſtiani qui aſſenſerunt, non erant in vera Chriſti Eccleſia; ſed æternùm damnati ſunt, ſi taliter obierunt. Ergo ulteriùs, nulla fuit eo tempore vera Chriſti Eccleſia mundo conſpicua; ſed vera Eccleſia latuit, ignota ſibi & mundo.*

CVI. Conſideret tandem Reformatus, an hæc incommoda non manifeſtè ſequantur ex ſua credendi ratione: recogitet etiam, qualem ſtatuat primis poſt Chriſtum ſæculis Eccleſiam Chriſti; quam tamen communiter fatentur non erraſſe in articulis neceſſariis. Horrendum eſt cogitare tanta inconvenientia: ſed quomodo tollentur, niſi dicatur, nos non rectè poſuiſſe veſtram credendi rationem, (quod tamen facili negotio ex propriis veſtrorum libris confirmabi-

mus, & ſatis patet ex Meth. Auguſt. & hoc tractatu) vel aſſeveretur, ea inconvenientia non ſequi, quod vos dicturos non putamus?

CVII. Præclarè ad hoc propoſitum Dn. Grotius: *Dicit Rivetus ſe & ſuos duci publicâ Spiritus ſancti auctoritate in verbo ſuo Chriſtianis omnibus communi. Tantundem dixit Menno & Brunus, & tot alii. Vides, lector, in quas perplexitates involvantur animæ undique audientium:* Hîc eſt verbum Dei purum & ſincerum, & ſecundùm ſenſum Spiritus ſancti! *Neſciunt quò ſe vertant, niſi quòd plerique ibi manent, quò eos naſcendi ſors, aut ſpes bonorum & commodi detulit, & ſuis altum clamantibus acclamant εὖγεσοφῶς! Si quis ex hac labyrintho expedire homines poſſet, nonne rem præſtaret optabilem?*

Voto pro pace. Eccl. pag. 16.

§. 6.

Rationem credendi Reformatorum non probari ex Scriptura.

CVIII. Non eſſet neceſſe audire Reformatos ex Scriptura diſputantes, pro ſua ratione credendi, poſtquam oſtendimus tot tantaſque abſurditates ex ea ſequi. Ne tamen cuipiam videatur aliquid fortè difficultatis ſupereſſe; reſpondebimus etiam iis argumentis, quæ ex Scriptura ſolent producere.

CIX. Dicunt 1. Poſtquam S. Joannes ſuaſiſſet fidelibus, ne crederent hæreticis, docet internæ revelationi, & privato ſuo ſpiritui quemque debere credere: *Et vos unctionem, quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis. Et non neceſſe habetis ut aliquis doceat vos: ſed ſicut unctio docet vos de omnibus, & verum eſt, & non eſt mendacium; & ſicut docuit vos manete in eo.*

1 Ioan. 2. 27.

CX. *Reſp.* Ibi non agi de acquirenda, ſed de conſervanda fide; patet ex verbo, *maneat*. Ita etiam præcedit: *Vos quod audiſtis ab initio, in vobis permaneat.* Prædicatio ab initio audita, & fide credita, eſt unctio illa, quam acceperant fideles, cujuſque perſeverationem cupiebat Apoſtolus. Non excluditur officium Doctorum, ſed aſſeritur, credentes non neceſſe habere, ut aliqui eos doceant, quod ab initio non audiviſſent: ideoque fortiter ſtandum in accepta fide, ut quæ omnia ſalutifera amplectatur, & prophanas novitates excludat: *Non ſcripſi vobis quaſi ignorantibus veritatem, ſed quaſi ſcientibus eam.*

Ibid. v. 24.
Ibid. v. 21.

CXI. *Reſp.* 2. cum S. Auguſtino: *Vnctionem habebant quibus loquebaris:* (ô Joannes) *tu dixiſti, quia unctio ipſius docet vos in omnibus. Vt quid igitur talem Epiſtolam feciſti? quid illos tu inſtruebas? quid docebas?*

Tract. 3. in 1. Epiſt. Ioan. Tom. 9. pag. 246. A.

quid

quid ædificabas? Et reſpondet S.Auguſtinus: *Iam hic videte fratres magnum Sacramentum. Sonus verborum noſtrorum aures percutit: Magiſter intus eſt. Nolite putare quenquam hominem diſcere aliquid ab homine: admonere poſſumus ſtrepitu vocis noſtræ. Si non eſt intus qui doceat, inanis eſt ſtrepitus noſter.* Eodem ferè modo S.Gregorius eum locum explicat, *lib. 5. Moral. cap. 19. Tom. 2. col. 129. A.*

CXII. Itaque ſoli Deo tribuitur tota inſtructio hominis fidelis: quia licèt Verbum Dei ab Eccleſia proponatur; non tamen poteſt homo credere fide divinâ, niſi intùs, per ſupernaturalem gratiam à Deo adjuvetur. Et Deus, qui intùs mentem illuminat, eo modo illuminat, ut ordinem docendi non evertat, ſed ſupponat: quia veritatem Spiritus ſui illuminantis vult cognoſci, ex obedientia Doctoribus à ſe conſtitutis debita. Alioquin neceſſe non foret, ut parentes parvulos ſuos docerent fidem Chriſtianam; ut populus conveniret ad Eccleſiam, Scripturam legeret, explicationem audiret: ſed unctione expectatâ, & repudiatis Doctoribus, ad veritatem perveniretur.

Vide §. 8.

CXIII. Dicunt 2. *Spiritualis judicat omnia, & ipſe à nemine judicatur.* Ultimum ergò in rebus fidei judicium eſt cujuſcunque ſpiritus privatus, ut qui à nemine judicatur.

1 Cor. 2. 15.

CXIV. *Reſp.* 1. Spiritualem hominem omnia judicare, non eſt eſſe judicem omnium, quæ aguntur; & ſuas actiones nullius judicio ſubjectas eſſe. Inde enim ſequeretur ea confuſio, de qua egimus in antecedentibus. Quomodo igitur judicabit omnia; diſcernet divina & terrena, temporalia & ſpiritualia. Diſcernet ſpiritualia, juxta regulas fidei, auctoritate publicâ acceptæ; & errores contrarios rejiciet. Atque hoc modo à nemine judicatur; ſed tutò judicat omnia. Nec enim judicatur à fidelibus, cùm ab iis non diſſentiat; incredulis autem eſt ſuperior. Verùm ſi nova quæſtio oboriatur circà fidem, aut agatur de interpretatione Scripturæ; non quilibet ſpiritualis infallibiliter judicat. Hoc fatentur Adverſarii; hoc teſtantur lapſus maximorum virorum. Quid ergò? fortè ſpiritualis judicabit omnia ſibi ad ſalutem neceſſaria, independenter ab infallibili Eccleſiæ Magiſterio. Illud vultis, ſed non credimus: quia Scriptura hoc non dicit, & vos ipſi, qui maximè Spirituales haberi vultis, in determinandis articulis neceſſariis non convenitis.

S.Auguſt. *lib. 12. de Gen. ad Litt. cap. 14. Tom. 3. pag. 278. D.*

CXV. *Reſp.* 2. Spiritualis, hoc eſt, perfectus in fide, judicat omnia, diſcernens fidem à perfidia, hæreſin â fidelitate, mendacium à veri-

à veritate: non facit hoc infallibiliter, quia Spiritualis eſt, nec enim habet eam promiſſionem; ſed quia manendo in vera doctrina, proficit de die in diem, perfectiúſque intelligit veritates revelatas: *Dabit Spiritum bonum petentibus ſe.* Luc. 16.

CXVI. *Reſp.* 3. Noſtra quæſtio non eſt, quid Spiritualis judicet, vel non judicet; ſed quomodo fiat aliquis fidelis, quomodo acquirat fidem. Nos dicimus cum Scriptura, *Niſi credideritis, non intelligetis.* Iſa. 7. Oportet primùm audire Verbum Dei ab infallibili auctoritate, ut proficiamus in fidelitate, & ſimus Spirituales. *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te.* Iob. 41. Hinc S.Auguſtinus: *Non cognovimus & credidimus, ſed credidimus & cognovimus: credidimus enim ut cognoſceremus; nam ſi priùs cognoſcere, & poſteà credere vellemus, nec credere, nec cognoſcere valeremus.* Tract. 27. in Joan. Tom. 9. pag. 96. C. D. Vid. S. Iren. *lib.* 4. *cap.* 53. & 62.

CXVII. Dicunt 3. *Prophetæ autem duo, aut tres dicant, & cæteri dijudicent.* 1 Cor. 14. 29. Ergò uniuſcujuſque eſt judicare de controverſiis fidei. *Reſp.* 1. Apoſtolus loquitur de iis, qui habebant Spiritum prophetiæ, quem prudentiores ex Reformatis non dicunt ſe habere: neque enim ſigna ejus ſpiritus in ſeipſis inveniunt. Calvinus. lib. 4. Inſtit. cap. 3. §. 4. 2. Apoſtolus non vult cujuſque judicium infallibiliter eſſe verum; ſed commendat judicium communitatis. 3. Non agit de controverſiis toti Eccleſiæ communibus: tunc enim requirebatur judicium Apoſtolorum, uti fecerunt Antiocheni, mittentes Paulum & Barnabam Jeroſolymam. 4. Non agit de articulis unicuique fideli ad ſalutem neceſſariis; quod tamen Reformati debebant probare.

CXVIII. Dicunt 4. *Qui credit in filium Dei, habet Teſtimonium Dei in ſe.* 1 Ioan. 5. 10. Ergò credendi regula eſt ex interno Teſtimonio, & abſurdum eſt, cogitare forum publicum Spiritus ſancti. *Reſp.* Nos non negamus internum Dei auxilium, illuminationem, & Teſtimonium, ut credamus: ſed dicimus, de illo Teſtimonio ordinariè nobis non conſtare ſufficienter, niſi ſit conforme externo Eccleſiæ Teſtimonio: quia aſſenſus fidei neceſſariò prærequirit externum Teſtimonium Eccleſiæ, quod ſequamur.

CXIX. Dicunt 5. *Spiritus ubi vult ſpirat.* Ioan. 3. 8. qui cum arcanus, & occultus ſit, erit etiam ejus Teſtimonium occultum: qualis enim eſt ipſe Spiritus, tale eſt ejus Teſtimonium. *Reſp.* Spiratio & Teſtimonium Spiritus ſancti eſt duplex: externum, quod audiunt fideles & infideles; ſequuntur autem ſoli fideles: & internum, quod ſimiliter

Digitized by Google

ſequuntur ſoli fideles. Spiritus ſanctus eſt occultus: ergò omnis ejus ſpiratio eſt occulta: non ſequitur. Cur enim ita non arguunt: Spiritus ſanctus eſt Deus: ergò ejus Teſtimonium eſt Deus. Qualis igitur eſt Spiritus, talis eſt teſtificatio, in ratione teſtandi, divina ſcilicet: ſed hoc nihil impedit, quò minùs habeat teſtificationem publicam; uti, fatentibus Adverſariis, publicum Teſtimonium reddit in Scripturis.

Matth. 16. CXX. Dicunt 6. *Caro & ſanguis non revelavit tibi; ſed Pater meus qui in cœlis eſt.* Quibus verbis proculdubiò innuitur, intùs fuiſſe Petro revelatum, quod de Chriſto priùs confeſſus fuerat. *Reſp.* S. Petrum anteà audiviſſe Teſtimonium S. Joannis Baptiſtæ, ipſumque Chriſtum, cujus & miracula viderat. Undè habuit Teſtimonium externum & internum. Interno autem aſſignatur fides; quia immediatè divinum eſt, nec habet aliquid humani admixtum: quæ ſine dubio peculiaris dignitas eſt. Deindè, non negamus, Deum poſſe inſtruere hominem ſine Teſtimonio Eccleſiæ: ſed dicimus, Deum *Ioan.* 17. voluiſſe, ut crederemus per verbum Apoſtolorum, & qui iis in officio docendi ſuccedunt.

CXXI. Dicunt 7. *Et Deus dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris,* 2 Cor. 1. 22. qui *reddit Teſtimonium ſpiritui noſtro, quòd ſumus filii Dei.* Rom. 8. 16. Hæc teſtificatio eſt interna, non externa. *Reſp.* Iſta interna Spiritus ſancti obſignatio & teſtificatio non tollit Teſtimonium externum & publicum Spiritus ſancti: ſicut nec obſignatio luminis naturalis in nobis, quæ in unoquoque noſtrum eſt neceſſaria, ad diſcretionem veri à falſo, tollit publica magiſteria, & externas inſtructiones. Scriptura non dicit, Spiritum ſanctum dari fidelibus, ut eo diſcernant ex Scriptura, quid ſit cuique creditu factuque neceſſarium; vel ut ille teſtetur in cordibus noſtris, quòd rectè ex Scriptura determinaverimus articulos neceſſarios.

Ioan. 5. 34. CXXII. Dicunt 8. Chriſtus docet: *Ego autem ab homine Teſtimonium non recipio.* Ergò recurrendum eſt ad ſolum Teſtimonium internum. *Reſp.* 1. Chriſtus non recipit Teſtimonium ab homine propter ſe: di-
Ibid. cit enim: *Ego habeo Teſtimonium majus Ioanne, opera enim quæ dedit Pa-*
v. 36. 37. *ter ut perficiam ea: ipſa opera quæ ego facio, Teſtimonium perhibens de me, & qui miſit me Pater, ipſe Teſtimonium perhibuit de me.* Recipit tamen Chriſtus Teſtimonium ab homine propter nos, & ad utilitatem fide-
Ioan. 1. 6. 7. lium. *Fuit homo miſſus à Deo, &c. ut Teſtimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.* Ita legitur Joan. 15. 26. 27. *Ille Teſtimo-*
nium

nium perhibebit de me: (Spiritus veritatis) *& vos Teſtimonium perhibebitis de me, quia ab initio mecum eſtis.* Debet igitur Teſtimonium externum jungi interno, ut quoad nos ſit plenum. Ideò dicit Salvator noſter: *Non propter me hæc vox venit, ſed propter vos.* Joan. 12. 30. Vid. S. Cyrill. Alexandr. *Tom.* 4. *lib.* 10. *in Ioan. pag.* 911, C.

CXXIII. *Reſp.* 2. Chriſtus non recipit Teſtimonium ab homine; ſed nos recipimus Teſtimonium hominum de Chriſto. *Eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ.* *Act.* 1. 8. Ita dicit Chriſtus Joan. 5. 41. *Claritatem ab hominibus non accipio.* Et tamen de S. Petro legitur Joan. 21. 19. *Significans quâ morte clarificaturus eſſet Deum.* Vide Canum *lib.* 2. *cap.* 8 *ad primum.* Bellarm. *lib.* 3. *de Verbo Dei cap.* 10. §. *Quartum.* Petr. Mart. *loc. comm. claſſ.* 1. *cap.* 6. *n.* 5.

Auditur Coccejus.

CXXIV. Dicit: *Quomodo Spiritus probetur, manifeſta inter nos & Walenburgios diſſenſio eſt. Hi enim ſtatuunt, Spiritus Dei recognoſcendi argumentum eſſe obedientiam doctorum quorundam, & infallibilis magiſterii obſequium. Ita Scripturam, ita ſpiritum ex magiſterio Eccleſiæ, hoc eſt, Papæ & multitudinis cum eo facientis, volunt dependere. Nos Spiritum Dei ex conſenſu normæ, nempe Scripturæ, & fructuum per eam in nobis (ita in aliis) non carnaliter pullulantium in bona conſcientia cognoſci certum habemus.* *Diſp.* 32. *n.* 26.

CXXV. *Reſp.* Non malè dicit Coccejus, apud Catholicos Spiritus Dei recognoſcendi argumentum eſſe, obedientiam doctorum, in Concilio nimirùm generali congregatorum, & infallibilis magiſterii obſequium. Ita Scripturam, ita ſpiritum ex mageſterio Eccleſiæ, hoc eſt, Papæ, tanquam capitis, & multitudinis cum eo facientis, tanquam corporis, volunt dependere; ad eum modum, ſicut Reformati Scripturam volunt ſuo modo dependere à Teſtimonio Chriſtianorum; hâc tamen differentiâ, quòd nos, ſecundùm promiſſiones divinas, plus ei Teſtimonio tribuamus. Cæterùm Spiritum Dei ex conſenſu Scripturæ, & fructuum per eam in nobis non carnaliter pullulantium in bona conſcientia cognoſci; non negant Catholici: ſed addunt, eam cognitionem non eſſe infallibilem, & errori frequenter obnoxiam.

CXXVI. Iterùm: *Videat igitur mihi hîc quivis homo cui conſcientia non aduſta eſt, ulcus Pontificiæ credulitatis. Verbum Dei non habet auctoritatem ſine Eccleſia, hoc eſt, Papa & eorum, qui ipſi aſſentiuntur, dictatu & imperio; Eccleſia illum juſſus, ſepoſitâ auctoritate Scripturæ, tenet & ob-* *Diſp.* 33. *n.* 1.

ſtringit conſcientiam ut verbum Dei; Spiritus ſanctus probandus & explorandus eſt in ſingulis non ex eo, quod indubitatè loquutus eſt Spiritus ſanctus, ſed ex obedientia doctorum. Quæ ratio? quia hi doctores errare non poſſunt: tu autem errare potes, etiamſi in timore Dei & in bona conſcientia id, quod Scriptura dictat, teneas & ſequaris. At ſunt inter eos, qui doctores nominantur & eſſe debebant, etiam ſeductores, pſeudoprophetæ, pſeudochriſti in mundo; qui à veris & ſinceris doctoribus diſtinguendi ſunt. Hic ad notas Eccleſiæ, ad miſſionem paſtorum redeundum eſt.

CXXVII. *Reſp.* Compellat Coccejus quemvis hominem ad mira videnda, per admiratorem ſui ipſius exhibenda univerſorum conſpectibus. Illos tamen rejicit, quibus *conſcientia aduſta eſt*: ut tanquam judex infallibilis ſingulorum conſcientiæ, cenſuram cujuſcunque, ſua ſenſa non probantis, ſub obtentu conſcientiæ aduſtæ, ſecurus contemnat. Videamus, quid dignum tanto hiatu præſtet. Promittit oſtendere, ulcus Pontificiæ credulitatis. Bonum factum, niſi minùs præſtet, quam ſpondeat.

CXXVIII. *Verbum Dei non habet auctoritatem ſine Eccleſia, hoc eſt, Papa & eorum, qui ipſi aſſentiuntur, dictatu & imperio.* Falſum eſt: non docemus, Verbum Dei deſtitui auctoritate, ſine Eccleſiæ dictatu & imperio: ſed aſſerimus, Verbi Dei divinam auctoritatem non ſufficienter nobis innoteſcere, ſine Eccleſiæ propoſitione. Neceſſitas *dictatus & imperii* falſò nobis tribuitur; cùm abundè ſufficiat Eccleſiæ Teſtimonium & commendatio.

CXXIX. *Eccleſia illius juſſu, ſepoſitâ auctoritate Scripturæ, tenet & obſtringit conſcientiam ut verbum Dei.* Eccleſia ſuam habet auctoritatem ex Verbo Dei ſcripto, & ex Verbo Dei tradito: Apoſtolorum auctoritas fuit à Chriſto conſtituta, antequam novum Teſtamentum ſcriberetur; ſicut horum juſſus obligat conſcientiam, ita & ſucceſſorum.

CXXX. *Spiritus ſanctus probandus & explorandus eſt in ſingulis non ex eo, quod indubitatò loquutus eſt Spiritus ſanctus, ſed ex obedientia doctorum.* Falſum eſt: non docemus Spiritum ſanctum in ſingulis eſſe probandum: non docemus Spiritum ſanctum in ſingulis eſſe explorandum: Hoc autem docemus cum Scriptura, Spiritus eſſe probandos & explorandos, an ex Deo ſint. Si Coccejus tradat, Spiritum ſanctum eſſe in ſingulis probandum & explorandum; edat ex Scriptura fundamentum. Docemus, Spiritus eſſe probandos ex obedientia doctorum: in quo ſequimur magnum Eccleſiæ Doctorem, S. Joannem

Apo-

Digitized by Google

Apoſtolum & Evangeliſtam; uti in ſequentibus dicetur latiùs. Quando aſſerimus, Spiritus probandos eſſe ex obedientia doctorum; non negamus (uti Coccejus nobis falſò tribuit) Spiritus ex eo probandos eſſe, quod indubitatè loquutus eſt Spiritus ſanctus.

CXXXI. *Quæ ratio? quia hi doctores errare non poſſunt: tu autem errare potes, etiamſi in timore Dei & in bona conſcientia id, quod Scriptura dictat, teneas & ſequaris.* Falſa falſis cumulat. Quis unquam Catholicus, quis unquam hæreticus, dummodò Scripturam admiſerit, eò uſque inſaniit, ut doceret, quenquam *errare poſſe, etiamſi in timore Dei & in bona conſcientia id, quod Scriptura dictat, teneat & ſequatur?* Si hoc nullus dixit, niſi fortè delirus; quæ dementia eſt, hoc Catholicis imponere? Et tamen Coccejus, paſſim nominans timorem Dei, & bonam conſcientiam, convincitur nec timorem Dei habere, cujus alioquin vindictam de tanta calumnia expaveſceret; nec bonam conſcientiam, quæ alioquin tam horrendam falſitatem compeſceret. Non ergò hoc dicimus, quod ille nobis imponit. Docemus, neminem errare poſſe, qui, quod Scriptura dictat, tenet & ſequitur: docemus multos eſſe, qui vociferantur, ſe in timore Dei & in bona conſcientia id, quod Scriptura dictat, tenere & ſequi; cùm tamen nec ſequantur, nec teneant id, quod Scriptura dictat; ſed quod privata, erronea, & mendax perſuaſio ipſis ſuggerit; & tales eſſe omnes hæreticos, cauteriatâ conſcientiâ timorem Dei excutientes. Coccejus cum ſuis provocat ad timorem Dei & bonam conſcientiam: tantundem faciunt Arminiani, tantundem Anabaptiſtæ, tantundem Sociniani, tantundem Eutychiani, tantundem univerſi, qui communem Eccleſiæ fidem deſerentes, errorum fuerunt Magiſtri, vel ſequaces. Quis prudens, & Deum timens, videns quanta promiſerit Deus Doctoribus Eccleſiæ, non aſſerat, longè ampliori & uberiori cœleſtis ſapientiæ theſauro eos eſſe præditos, quàm ſeorſim ſingulos? Quis aſpiciens tantam ſectarum multitudinem, negaverit ſecuriùs eſſe, auctoritate ſtabilitâ duci; quàm privatâ perſuaſione, errori obnoxiâ, regi; eidemque ſalutem ſuam æternam, vel damnationem æternam committere?

CXXXII. *At ſunt inter illos, qui doctores nominantur, & eſſe debebant, etiam ſeductores, pſeudoprophetæ, pſeudochriſti in mundo; qui à veris & ſinceris doctoribus diſtinguendi ſunt. Hic ad notas Eccleſiæ, ad miſſionem paſtorum redeundum eſt. Reſp.* Etiam ſimplices Catholici facilè diſtinguunt falſos doctores à veris; monentur enim per S. Cyprianum, ipſos *Epiſt. 52. nec Pag. 100.*

Digitized by Google

nec curioſos eſſe debere, quid ille (Lutherus, Calvinus, Menno, Socinus, &c.) *doceat, cùm foris doceat. Quiſquis ille eſt, & qualiſcunque eſt, Chriſtianus non eſt, qui in Chriſti Eccleſia non eſt.* Dicent cum Tertulliano: *Expeditè præſcribimus adulteris noſtris, illam eſſe regulam veritatis, quæ veniat à Chriſto tranſmiſſa per comites ipſius, quibus aliquantò poſteriores diverſi iſti commentatores probabuntur.*

Apol. cap. 47.

Diſp. 33. n. 2. CXXXIII. Excipit Coccejus: *Sed Scriptura monet, ex ipſo diſcipulorum numero egreſſuros, qui doceant peſtilentes hæreſes, Act. 20. 30. 1 Ioh. 2. 18. 19. & Antichriſtum in templo Dei, hoc eſt, Eccleſia ſeſſurum, 2 Theſſ. 2. 4. Vndè patet, nos ſecuros non reddi neque communione externâ nominis Chriſtiani, neque miſſione, ſive miniſterio legitimè concredito, neque etiam ipſâ profeſſione in Eccleſia.* *Reſp.* Securi reddimur de veris Eccleſiæ Miniſtris, quibus Chriſtus Spiritus ſancti aſſiſtentiam promiſit, non per qualemcunque communionem externam nominis Chriſtiani, pluribus ſectariis communem; ſed per unitatem communionis externæ, à Chriſto per Apoſtolos deſcendentis, & in ſola Eccleſia Catholica conſervatæ: à qua quotquot egreſſi ſunt, vel hæretici, vel ſchiſmatici ſunt. Qui miſſionem in Eccleſia Catholica acceperunt, habent illud legitimè concreditum. Quotquot egreſſi ſunt ab unitate, ipſo egreſſu teſtantur quales ſint.

CXXXIV. Et iſta quidem paulò latiùs deduximus, quia Coccejus promittebat aperire *ulcus Pontificiæ credulitatis*: cùm tamen chartas ſuas maledicentiæ ſuæ virulenta ſanie conſpurcaverit.

§. 7.

Rationem credendi Reformatorum non probari argumentis à ratione.

CXXXV. Dicunt 1. Poteſt Eccleſia ſuadere, ut Scripturas cognoſcamus: poſtquam verò eas legimus, ac intelleximus, tunc credimus ob internam ſuaſionem Spiritus ſancti. Ita Samaritana, cùm multos incitaſſet ad credendum Chriſto; & hi poſteà Chriſtum audiviſſent, audivit eos ſeponentes ſuum Teſtimonium, ut majori Teſtimonio adhærerent: *Quia jam non propter tuam loquelam credimus: ipſi enim audivimus, & ſcimus quia hic eſt Salvator mundi.*

Ioh. 4. 42.

CXXXVI. *Reſp.* Eccleſia ſuadet in genere cauſæ externæ, ut medium neceſſarium ad obtinendam fidem à Deo inſtitutum: accedit interna ſuaſio Spiritus ſancti. Ratio autem formalis fidei non con-

conſiſtit in hac, aut illa ſuaſione; ſed in auctoritate Dei per Prophetas & Apoſtolos revelantis. Samaritana non habebat auctoritatem teſtandi, qualem habet Eccleſia: in hoc tamen eſt ſimilitudo, quòd ſicut Samaritani non propter loquelam mulieris, tanquam rationem formalem crediderunt: ita nunc Eccleſiæ auctoritate, tanquam conditione, & miniſtrâ objecti fidei, inducimur ad credendum; cùm tamen non propter ejus loquelam, tanquam rationem formalem credamus, ſed propter Dei dicentis auctoritatem. Porrò uti certum eſt, ſolum Teſtimoniùm Eccleſiæ non ſufficere, ut credamus; ita nec ſolum Teſtimonium Spiritus ſancti internum ordinariè ſufficit; licèt utrumque à Spiritu ſancto proficiſcatur, utrumque ſit medium neceſſarium. Sed promiſſiones Eccleſiæ in Scripturis factæ infallibilitatem important in proponendo fidei objectum; cùm tamen ſingulis fidelibus non ſit promiſſa infallibilitas in apprehendenda fide ex Scripturis: undè & neceſſe habent ſequi Doctores Eccleſiæ, ne circumferantur omni vento doctrinæ.

CXXXVII. Dicunt 2. Spiritus ſanctus eſt auctor fidei, non Eccleſia, niſi ut inſtrumentum, mediumque externum & miniſteriale. Ergò homines non poſſunt perſuadere, ſed opus eſt ſublimiori & certiori Teſtimonio, quàm humano. *Reſp.* Eccleſiam non eſſe cauſam effectivam fidei; ſed Spiritum ſanctum in nobis generare fidem. Dicimus tamen, Eccleſiam eſſe à Deo conſtitutam miniſtram Verbi divini, ſine cujus Teſtimonio ordinariè nemo pervenit ad fidem. Spiritus S. Teſtimonium ſive per Eccleſiam, ſive internum, eſt Spiritus ſancti: *Non vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis.* Nobis autem certiùs conſtat de Teſtimonio Eccleſiæ, quæ ampliores habet promiſſiones, quàm quilibet privatus; quæque evidentibus credibilitatis ſignis illuſtratur; qualia unuſquiſque particularis fidelis in ſe non invenit. *Mat. 10. 20.*

CXXXVIII. Dicunt 3. Quod ſolum habet vim ad fidem generandam principaliter, eſt omni auctoritate præſtantius, illudque ſolum habet ſummam auctoritatem interpretandi Scripturas. At ſola Scriptura & Spiritus ſanctus habent vim ad generandam fidem principaliter. Ergò ſola Scriptura & Spiritus ſanctus habent ſummam auctoritatem interpretandi Scripturas; & conſequenter neceſſaria ad ſalutem docendi.

CXXXIX. *Reſp.* Objectum fidei eſt Verbum Dei, per Spiritum ſanctum Prophetis & Apoſtolis inſpiratum, fides ipſa in nobis

cau-

Digitized by Google

cauſatur per Spiritum ſanctum effectivè. Itaque, licèt major non ſit vera, negatur minor: Scriptura enim & omne Verbum Dei concurrit in genere cauſæ externæ, & non niſi per proprium inſtrumentum ac organum, hoc eſt, per Eccleſiam miniſterialiter operantem; atque ita principalis cauſa objectiva, ut objectum fidei ſit ſufficienter propoſitum, eſt ſolum Verbum Dei, vel Spiritus ſanctus per Eccleſiam operans. Principalis cauſa efficiens eſt ſolus Spiritus ſanctus. Cùm autem ſit idem Spiritus ſanctus, effectivè generans fidem; & in verbo ſuo per Eccleſiam propoſito objectivè concurrens ad generandam fidem; verè dicitur ſolus habere auctoritatem ſummam interpretandi Scripturas, & dirimendi controverſias; ut qui ſolus per miniſterium Eccleſiæ eas dirimat. Eccleſia igitur tanquam miniſtra Spiritus ſancti interpretatur Scripturas, dirimit controverſias: & Spiritus ſanctus, tanquam ſummam auctoritatem habens, idem principaliter per Eccleſiam præſtat, ut cui ſoli vis competat ad generandam fidem principaliter.

CXL. Dicunt 4. Quem Apoſtoli ſummum controverſiarum & religionis judicem agnoverunt, eundem & nos agnoſcere debemus. Atqui Spiritum ſanctum in Scripturis loquentem Apoſtoli ſummum controverſiarum judicem agnoverunt. Ergò. Minor probatur:

Act. 15. *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis.* *Reſp.* Negamus minorem: ad probationem dicimus, quòd Apoſtoli non ſtatuerint Spiritum ſanctum controverſiarum judicem, tanquam loquentem per Scripturas, aut unumquemque privatum. Imò ſtatuerunt Spiritum ſanctum controverſiarum judicem, tanquam per Apoſtolos loquentem, qui publico docendi munere fungebantur: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis:* & hoc judicium ab una cauſa proficiſcitur: à Spiritu ſancto, ut principali, ab Apoſtolis, ut inſtrumentali: ita cùm utriuſque una ſit actio, & ſubordinata cauſatio, una etiam eſt cauſa. Non dixerunt; *Viſum eſt nobis & Scripturæ:* non dixerunt; *Viſum eſt nobis & Spiritui ſancto ſenſum Scripturæ nobis revelanti:* non dixerunt; *Viſum eſt Spiritui ſancto huic, aut illi particulari revelanti*; ſed, viſum eſt Spirtui ſancto *& nobis*, qui ſcilicet publicum docendi munus obibant.

CXLI. Dicunt 5. Qui in omnem veritatem inducit, is eſt ſummus judex controverſiarum fidei. Hoc facit Spiritus ſanctus. Ergò.

Joan. 16. 15. *Reſp.* ad minorem: Spiritus ſanctus inducit Eccleſiam in omnem veritatem, ita ut nunquam erret; concedimus. Spiritus ſanctus ducit unumquemque fidelem in omnem veritatem, ita ut non erret, etiamſi

Digitized by Google

etiamſi non ſequatur Eccleſiam; negamus. Ergò Spiritus ſanctus judicans per Eccleſiam, eſt ſummus judex controverſiarum; vera concluſio.

CXLII. Hæ, ni fallamur, ſunt præcipuæ probationes, quas Reformati adducere ſolent pro ſua credendi ratione: vidimus alias minoris momenti; ſed non eſt noſtri inſtituti, ſingula hoc loco recenſere. Si quis Reformatus reſpondere cogitat, adducat ſolidiora.

§. 8.

Ratio Teſtimonii interni & externi Spiritus ſancti è Scripturis elucidatur, pro explicatione præcedentium.

CXLIII. De utroque Teſtimonio ſic ait Chriſtus: *Cùm autem venerit paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille Teſtimonium perhibebit de me: & vos Teſtimonium perhibebitis: quia ab initio mecum eſtis.* Sed quorſum illud Teſtimonium Apoſtolorum & Doctorum Eccleſiæ? *Ipſe dedit quoſdam Apoſtolos,* &c. *ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti.* Hæc eſt publica operatio Spiritus ſancti per Eccleſiam; ne ſi Verbum Dei inſufficienter proponatur, *ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ.* *Ioan.* 15. 26. *Epheſ.* 4. 11.

CXLIV. Similiter Apoſtolus agens de interno motu Spiritus ſancti operantis in cordibus ſingulorum fidelium, dicit: *Nemo in Spiritu Dei loquens dici anathema Ieſu. & nemo poteſt dicere Dominus Ieſus: niſi in Spiritu ſancto.* Et mox pergit ad publica dona: *Diviſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus, & diviſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus,* &c. in quem finem? *Vnicuique datur manifeſtatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ,* &c. *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus.* 1 *Cor.* 12. 3. *&c.*

CXLV. Itaque habet Eccleſia Teſtimonium internum Spiritus ſancti: nos habemus ſinguli ab Eccleſia Teſtimonium externum Spiritus ſancti: Idem Spiritus ſanctus operatur in ſingulis fidelibus, ad utilitatem ſingulorum: operatur in multis ſingulari modo, ad utilitatem omnium.

CXLVI. Dona univerſali Eccleſiæ conceſſa, quoad miniſterium Evangelii, non ſubjacent ſingulorum diſquiſitione; non eſt unicuique liberum, Eccleſiam ſequi, & non ſequi: eſt enim fidelibus data magiſtra, cui non obedire, Deo reluctari eſt; poſtquam de

Digitized by Google

ejus magiſterio tot tamque divina elucent Teſtimonia. Verum quia
1 Ioan. 4. 1. tale Magiſterium non unicuique competit, legimus: *Nolite omni Spiritui credere, ſed probate Spiritus an ex Deo ſint.* Vultis, ô Reformati, ut veſtrum ſpiritum probemus? undè probabimus? ex Scriptura.

CXLVII. Verùm ſi aliquis nondum Chriſtianus veſtrum ſpiritum probaturus accederet; undè eſſet probandus? An ex Scriptura? Sed hoc iſte à vobis primùm quæreret; an Scriptura ſit Verbum Dei, cùm dicatis ex ea deſumendam eſſe omnem doctrinam ſalutis. Iſtud urſimus §. 2.

Vid. Valer. Magn. *Reſp. ad anon. cap.* 3. CXLVIII. Jam, ſi placet, probate nobiſcum ſpiritum veſtrum, idque ex Scriptura. Quomodo ſtatuitis Scripturam? Illa fuit ante veſtrum Spiritum: cùm enim vos necdum haberetis Spiritum internum, illa erat Verbum Dei. Undè ergò cognoviſtis Scripturam eſſe Verbum Dei? Reſpondetis; non tantùm ex Teſtimonio Eccleſiæ, ſed multò magis ex interna unctione Spiritus ſancti. Ignoſcite, ſi iterùm petamus; Undè cognoviſtis, iſtam internam unctionem eſſe Spiritus ſancti? Quid hîc reſpondebitis? Ex conformitate cum Scriptura. Itaque Scriptura vobis probatur per veſtrum Spiritum; & veſter Spiritus vobis probatur per Scripturam. Nonne ſuſpicamini,

Conf. Gall. *art.* 4.

Cap. 19. 14. eum eſſe Spiritum veſtrum, qui deſcribitur ab Iſaïa Propheta? *Dominus miſcuit in medio ejus ſpiritum vertiginis.* Noſtis, de piis non eſſe dictum, quod in circuitu ambulent: & tamen patet, Scripturam vobis non eſſe ſufficienter notam, ſine Spiritu veſtro interno; nec
1 *Tim.* 4. 1. Spiritum internum ſufficienter notum, ſine Scriptura. Legitis iſtud Apoſtoli: *Spiritus autem* (non hujus, aut illius, ſed publicus Eccleſiæ) *manifeſtè dicit, quia in noviſſimis temporibus* (in quibus nunc ſumus) *diſcedent quidam à fide,* (Reformata communitas diſceſſit ab unitate fidei, quam habebat cum Romana Eccleſia) *attendentes ſpiritibus erroris.* Quid hoc? Reformati non attendunt uni Spiritui, ſi magiſtros eorum conſideremus, qui non conveniunt in determinandis articulis ſaluti neceſſariis; non attendunt uni ſpiritui, ſi ſingulos Reformatos interrogemus; ſed unuſquiſque ſuum Spiritum ſequi-
Iſa. 29. 10. tur. Si non videtis hæc inconvenientia Spiritus veſtri: *Miſcuit vobis Dominus Spiritum ſoporis: claudet oculos veſtros.*

CXLIX. Sed dicente Scriptura: *Probate ſpiritus ſi ex Deo ſint:* redimus ad Spiritum veſtrum, rogantes, ut eum nobiſcum ex Scriptura probetis. Sed ô Sancte Joannes, qui nobis dixiſti, probandos eſſe Spiritus, ſi ex Deo ſint; qui dilectus ſingulariter Salvatori noſtro,

ſtro, noviſti ſenſum, & Spiritum Domini tui; dic nobis, undè cognoſcendus ſit Spiritus veritatis, undè Spiritus erroris? *Qui novit Deum, audit nos: qui non eſt ex Deo, non audit nos. In hoc cognoſcimus Spiritum veritatis, & ſpiritum erroris.* Audiſtis Reformati, quid dicat Scriptura: Spiritus veritatis, in hoc cognoſcitur eſſe veritatis, ſi obediat Paſtoribus, & Doctoribus à Deo conſtitutis, ne circumferantur omni vento doctrinæ: ſpiritus autem erroris per hoc cognoſcitur eſſe erroris, ſi declinet ab obedientia Paſtorum & Doctorum. Non eſt hujus, aut illius privatus Spiritus ultimatus judex controverſiarum fidei: quod enim per aliud probandum eſt, non eſt ultimum, in quo ſiſtitur. Probandus eſt hujus, & illius privatus Spiritus, qui ſibi Teſtimonium perhibens, inveniretur mendax; probandus autem per obedientiam Eccleſiæ debitam; quæ cùm habeat certiſſimas promiſſiones non errandi, non eſt quòd examinemus, probemus, aut dijudicemus ejus decreta, niſi fas eſſe putemus, ſententiam Spiritus ſancti privatæ diſquiſitioni ſubjicere. Vos Reformati receſſiſtis ab obedientia Eccleſiæ, qualis ergò Spiritus veſter, veritatis, an erroris? Dicimus ergò Spiritui veſtro: *Appenſus es in ſtatera, & inventus es minùs habens.* Dan. 5. 27.

1 Ioan. 4. 6.

Hoſius. lib. 2. rer. Eccl. de legit. judic. pag. 464.

CLI. Quando videmus unumquemque veſtrum ſpiritu privato res fidei decernentem, & tantam in deciſionibus diverſitatem, putamus nunc Titium, nunc Cajum pronunciare: *Mene ergò dimiſit ſpiritus Domini, & locutus eſt tibi?* profectò qui ex tanta varietate deciſionum, etiam quoad articulos neceſſarios, non vident ſalutis negotium, à cujuſque judicio non dependere: *Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis: oculos, ut non videant: & aures, ut non audiant.* Verendum eſt, ne Doctoribus veſtris tantum unicuique tribuentibus, illud conveniat: *Seductionem cordis ſui prophetant vobis.* Verendum eſt, ne particularibus, articulos neceſſarios ſecundùm Spiritum privatum determinantibus, meritò dicatur: *Viſionem cordis ſui loquuntur, non de ore Domini.* Sed redeamus ad propoſitum examen.

3 Reg. ult. 24.

Rom. 11. 8.

Ier. 14. 14.

Ier. 23. 16.

CLI. *Probate ſpiritus ſi ex Deo ſint.* Probate nobiſcum Spiritum veſtrum ex Scriptura. Et ut hæc collatio ſit gratior, adhibeamus in conſortium communem amicum, vobis, nobiſque gratum, S. Auguſtinum. Quid dicit Scriptura? *Omnis ſpiritus qui ſolvit Ieſum, ex Deo non eſt.* Audiamus, quid amicus noſter in hunc locum dicat: *Quaſi eriguntur aures ad diſcernendos ſpiritus: & tale quiddam audivimus undè nihilominùs non diſcernamus. Quid enim ait? Omnis ſpiritus, qui confite-*

1 Ioan. 4. 3.

Tract. 6. in 1. Epiſt. Ioan. Tom. 9. pag. 255. A.

tur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt. Ergò Spiritus, qui eſt apud hæreticos, ex Deo eſt; quia confitentur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe? & poſtea: *Quæramus in factis, non in linguis. Quis eſt Spiritus qui non eſt ex Deo? qui negat Ieſum Chriſtum in carne veniſſe. Et quis eſt ſpiritus qui eſt ex Deo? qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe. Eia fratres, opera attendamus, non ſtrepitum linguæ. Quæramus quare venerit in carne Chriſtus, & invenimus qui eum negant in carne veniſſe. Nam ſi linguas attendas, multas hæreſes auditurus es confitentes Chriſtum in carne veniſſe: ſed convincit illos veritas. Quare venit Chriſtus in carne? nonne Deus erat? nonne de illo dictum, in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum?* & mox: *Ideò ergò venit in carne, ut moreretur pro nobis. Quemadmodum autem mortuus eſt pro nobis? majorem hac charitatem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat pro amicis ſuis. Charitas ergò illum adduxit in carnem. Quiſquis ergò non habet charitatem, negat Chriſtum in carne veniſſe. Hic nunc jam interroga omnes hæreticos, Chriſtus venit in carne? venit, hoc credo, hoc profiteor. Imò hoc negas. Vndè nego? audis quia hoc dico. Imò ego convinco, quia negas. Dicis voce, negas corde: dicis verbis, negas factis. Quomodo, inquis, nego factis? quia ideò venit in carne Chriſtus ut moreretur pro nobis, ideo mortuus eſt pro nobis, quia charitatem multam docuit. Majorem hac charitatem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat pro amicis ſuis. Tu non habes charitatem, quia pro honore tuo dividis unitatem. Ergò hinc intelligite ſpiritum ex Deo. Pulſate, tangite vaſa fictilia, ne fortè increpuerint & malè reſonent, videte ſi integrè ſonant, videte ſi ibi eſt charitas. Tollis te ab unitate orbis terrarum, dividis Eccleſiam per ſchiſmata, dilanias corpus Chriſti. Ille venit in carne ut colligat: tu ideo clamas ut ſpargas. Ergo ipſe eſt ſpiritus Dei; qui dicit Ieſum in carne veniſſe: qui dicit non linguâ, ſed factis; qui dicit non ſonando, ſed amando. Ille autem non eſt ſpiritus Dei, qui negat Ieſum in carne veniſſe: negat & ipſe non linguâ, ſed vitâ; non verbis, ſed factis. Manifeſtum eſt ergo undè agnoſcamus fratres. Multi intùs, quaſi intùs; nemo autem foris, niſi verè foris. Adeo ut noveritis, quia ad facta retulit. Et omnis ſpiritus, ait, qui ſolvit Chriſtum non eſt ex Deo. Quid tibi oſtendit qui negat, quia dixit, ſolvit? Ille venit colligere, tu venis ſolvere. Diſtinguere vis membra Chriſti, quomodo non negas Chriſtum in carne veniſſe, qui diſrumpis Eccleſiam, quam ille congregavit? Contra Chriſtum ergo venis.* Audivimus diſcurſum amici noſtri Scripturam explicantis; quid videtur? Omnis Spiritus, qui ſolvit Chriſtum, ex Deo non eſt. Spiritus Reformatus quomodo ex Deo eſt, ſi diſſolvat corpus Chriſti, Eccleſiam Salvatoris noſtri? qui cùm propter amorem gene-

generis humani deſcenderit de cœlo; recedunt ab ejus amore, qui proximum oderunt, qui ſchiſmate lacerant unitatem. Et ſicut proximum non amant, ita nec ſeipſos amant, uti de Marcione hæretico dicit Tertullianus: *Te quidem planè non amaſti, cùm ab Eccleſia & fide Chriſti receſſiſti.* lib. 4. de carn. Chriſt. cap. 4. Tom. 2. pag. 454.

CLII. Itaque diximus de interno, & externo Teſtimonio conjungendo; oſtendimus etiam, quale ſit internum Teſtimonium, quod vobis tribuitis. Jam, ſi placet, audite, quid Calvinus veſter de externo Teſtimonio ſtatuat: *Etſi externis mediis non eſt alligata Dei* *Inſtit. lib. 4.* *virtus, nos tamen ordinario docendi modo alligavit, quem dum recuſant te-* *cap. 1. §. 3.* *nere fanatici homines, multis ſe exitialibus laqueis involvunt.* Item: *Quia* *Ibid. §. 4.* *de viſibili Eccleſia diſſerere propoſitum eſt, diſcamus vel uno matris elogio, quàm utilis ſit nobis ejus cognitio, imo neceſſaria, quando non eſt alius in vitam ingreſſus, niſi nos ipſa concipiat in utero, niſi pariat, niſi nos alat ſuis uberibus, denique ſub cuſtodia & gubernatione ſua nos tueatur, donec exuti carne mortali ſimiles erimus Angelis. Neque enim patitur noſtra infirmitas à ſchola nos dimitti, donec toto vitæ curſu diſcipuli fuerimus. Adde quod extra ejus gremium nulla ſperanda eſt peccatorum remiſſio, nulla ſalus.* Et adductis in probationem Scripturæ Teſtimoniis, concludit: *Ut ſemper exitialis ſit Eccleſiæ diſceſſio.* Item apertè: *At ſicut* (Deus) *olim non* *Ibid. §. 5.* *contentus fuit ſolâ lege, ſed Sacerdotes addidit interpretes, ex quorum labiis populus inquireret verum illius ſenſum: ita hodiè non tantùm vult nos eſſe lectioni intentos, ſed magiſtros etiam præfecit, quorum operâ adjuvemur.* Qui plura cupit huc facientia, videat Dominic. Gravin. *Cath. Præſcript. part. 1. lib. 3. præſcript. 2. art. 2.*

CLIII. Multa adfert Coccejus contrà n. 149. *Diſp. 3. n. 3. &c.* Sed quæ judicio lectoris, ſine ulla reſponſione permittimus.

Sectio. III.

De Lutheranorum quorundam ratione credendi.

§. I.

Quæ ſit ratio credendi quorundam Lutheranorum.

CLIV. Hìc iterùm monendus eſt lector, nos ea, quæ dicturi ſumus de Lutheranorum quorundam ratione credendi, non tribuere pleriſque Lutheranis, ne ſibi aliquis injuriam putet illatam:

 Eſt.

Eſt autem expreſſa ſententia Remonſtrantium ſeu Arminianorum, ut variis locis patet in eorum libro, qui inſcribitur, *Vedelius Rhapſodus*, & ex Judicio Theol. Ultraject. *In Synod. Dordrecht. pag.* 254.

Vid. Valer. Magn. *Reſp. ad Iacob. Mart. cap.* 19. *pag.* 161.

CLV. Statuunt 1. *Singulos Chriſtianos poſſe errare in fidei eſſentialibus.* Dicunt autem, fidei eſſentialia in Scriptura perſpicuè & evidenter poſita, non tantùm quoad ſe, ſed etiam quoad homines non renatos, & deſtitutos Spiritu ſancto. Atque in hoc recedunt à Reformatis. Fatentur verò contingere, ut multi, dum paſſionibus præoccupati accedunt ad lectionem Scripturæ, non intelligant omnia neceſſaria, quæ alioqui mediocri diligentiâ ab unoquoque perſpicuè & evidenter cognoſcuntur. Hanc abſolutam perſpicuitatem & evidentiam, cùm viderent Reformati defendi non poſſe, recurſum habuerunt ad internos motus Spiritus ſancti, de quibus egimus in præcedentibus.

CLVI. Statuunt 2. *Etiam Concilia generalia, à Pontifice Romano approbata, errare poſſe in fidei eſſentialibus.* Atque idem ſtatuunt de ſuis Synodis; quia nimirùm ex præoccupatis opinionibus judicantes, poſſunt deflectere à perſpicua veritate Scripturæ.

CLVII. Statuunt 3. *Singulos Chriſtianos, ſi mediocri diligentiâ legant, vel audiant Scripturam, poſſe ſine errore quorumcunque hominum, etiam Conciliorum generalium doctrinam expendere, & dijudicare, verane, an falſa doctrina, quoad articulos neceſſarios, ſit propoſita.* Et hoc pendet à prioribus.

CLVIII. Statuunt 4. *Non eſſe aliam rationem cognoſcendi, & amplectendi veram fidem, quàm mediocri ſaltem adhibitâ diligentiâ Scripturas legere, vel audire.* Vid. Gravin. *Cath. Præſcript. Tom.* 1. *lib.* 3. *præſcript.* 2. *contr.* 2. *art.* 6. *pag.* 308.

CLIX. Itaque Lutheranus v. g. interrogatus 1. *Quid credat?* Reſpondet, verbum Dei. 2. Interrogatus, *Vndè cognoverit eſſe verbum Dei, quod credit?* Reſpondet, eſſe ipſi verbo Dei intrinſeca ſigna, quibus divinitatem ſuam prodat: verùm quia illa ſola non ſufficiunt, accedere Teſtimonium omnium Chriſtianorum, quo evidenter ſit credibile, Scripturam eſſe verbum Dei: atque ita ſe habere Scripturam ex infallibili propoſitione. Dicunt autem ex omnium Chriſtianorum Teſtimonio haberi eas Scripturas, in qua continentur omnia ſaluti neceſſaria; etiamſi aliæ Scripturæ non haberentur, de quibus aliquando dubitatum eſt. Porrò rectè fatentur, licèt ſupponatur S.Scriptura ſufficere, ut ex ea ſola omnia credenda intelligantur, vel cogno-

cognoſcantur; non tamen ea credenda poſſe credi fide divinâ, ſine gratia Spiritus ſancti. Vid. Valer. Magn. *Reſp. ad Conrad. Berg. cap.* 5. *pag.* 313.

CLX. Judicium Neufeld aſſerit omnia neceſſaria eſſe ſingulis clara, *ſed adultis, ſed mente ſanis, ſed ſine præjudicio accedentibus, ſed attentis, ſed ſcrutantibus, ſed Spiritus ſancti opem implorantibus, ſed voluntatem Dei ex ore Dei intellectam facere deſiderantibus.* Et hæc quidem ſententiam Reformatorum referunt. *Cap.* 10. §. 14.

CLXI. Prior ſententia ab hac differt 1. Quod licèt utraque ſtatuat, omnia neceſſaria perſpicuè & dilucidè haberi in Scriptura; ea tamen ſit differentia, quam *num.* CLV. notavimus. Differt 2. quòd prior ſententia non requirat infallibilem propoſitionem Verbi Dei, ut credatur fide divinâ; (cui ſententiæ è Lutheranis adhæret Scheiblerus) poſterior eam requirat, ut dictum. *num.* CLVIII. *Diſp. Apol. theſ.* 47.

CLXII. Quomodo hæc ſententia vitet quædam abſurda contrà Reformatos poſita, vide Valer. Magn. *Reſp. ad Iacob. Mart. cap.* 20. *pag.* 165. *& Reſp. ad Conrad. Berg. cap.* 5. *pag.* 312.

§. 2.

Ratio credendi Lutheranorum quid oneris imponat ſingulis Lutheranis.

CLXIII. Ex prædictis ſequitur 1. *Lutheranos non debere fidere ullis Doctoribus, ullis Conciliis.* Quia ex ipſorum ſententia Doctores & Concilia poſſunt errare; & uniuſcujuſque eſt, adhibitâ mediocri diligentiâ, ex ſola Scriptura diſcernere, quid verum ſit, quid erroneum.

CLXIV. Sequitur 2. *Omnes illos Lutheranos, qui adhibitâ mediocri diligentiâ non dijudicant ex ſola Scriptura, quinam ſint articuli neceſſarii ad ſalutem; ſed in eo doctoribus ſuis fidunt, eoſque ſequuntur, non habere veram fidem.* Quia, ut ipſi docent, erroribus obnoxii ſunt doctores Eccleſiæ.

CLXV. Sequitur 3. *Lutheranos non habere aliam viam cognoſcendi veritatem fidei, quàm adhibitâ mediocri diligentiâ, dijudicare ex Scriptura, quinam ſint articuli neceſſarii ad ſalutem.* Licèt enim hic, aut ille particularis poſſit juvari à ſuo Prædicante; non debet tamen iſti ſoli, uti nec Concilio Prædicantium fidere; ſed adhibitæ mediocri diligentiæ ſuæ acquieſcere.

CLXVI. Se-

Digitized by Google

CLXVI. Sequitur 4. *Omnes illos Lutheranos, qui neſciunt legere, quive non habent S. Scripturam, poſſe, & non poſſe habere veram fidem.* Poſſe tales habere veram fidem, ipſi docent: non poſſe eos habere veram fidem, indè patet, quia non poſſunt per ſeipſos conſiderare S. Scripturam, & Doctoribus ſuis, qui decipi & decipere poſſunt, non licet eis acquieſcere.

CLXVII. Sequitur 5. *Vnumquemque Lutheranum debere ſcire, de quibus Scripturæ libris ſit nunquam dubitatum inter Chriſtianos; ut etiam quæ, quorumque contradictio nequeat officere certitudini requiſitæ ad infallibilem moraliter propoſitionem.* Hoc verò non mediocrem diligentiam, ſed ſummam requirit hiſtoriarum notitiam.

CLXVIII. Sequitur 6. *Vnumquemque Lutheranum, doctum & indoctum, virum & mulierem, debere perluſtrare diverſas verſiones Scripturæ, ut videat, quænam ſit conformis originali textui ab ipſis auctoribus canonicis conſcripto, licèt interim certò ſciat, originalem textum, ab ipſis auctoribus conſcriptum, ſibi nunquam exhibendum.* Ubi hîc mediocris diligentia?

CLXIX. Sequitur 7. *Vnumquemque Lutheranum mediocri diligentiâ debere ex Scriptura determinare, quod Scriptura contineat clarè & evidenter (etiam reſpectu non renati) quicquid eſt neceſſarium ad ſalutem.*

Vid. Valer. Magn. Reſp. ad Conrad. Berg. cap. 11. pag. 317.

CLXX. Sequitur 8. *Vnumquemque Lutheranum debere mediocri diligentiâ ex Scriptura determinare, quinam articuli ſint omnibus neceſſarii; & qui non ſint omnibus neceſſarii, idque ſub pœna mortis æternæ; licèt Doctores Lutheranorum in iis determinandis non conveniant.*

CLXXI. Sequitur 9. *Vnumquemque Lutheranum debere mediocri diligentiâ ex Scriptura determinare, Paſtoribus Eccleſiæ non competere jus docendi, ita ut ſubditi obligentur ad credendum.*

§. 3.

Quibus modis unuſquiſque Lutheranus debeat ſatisfacere ſuæ rationi credendi.

CLXXII. Obſerva 1. Nullus Lutheranus poteſt alia ratione pervenire ad fidem, niſi poſt Scripturam ſibi ſufficienter propoſitam, ex ea mediocri diligentiâ determinet, quid ſit credendum. *Ergò tria requiruntur ad fidem: ſufficiens propoſitio Scripturæ; determinatio ex Scriptura; & mediocris diligentia, ſine qua ea determinatio fieri nequit.*

CLXXIII. Obſerva 2. *Hanc eſſe ſacram Scripturam, hos eſſe articulos*

Digitized by Google

culos neceſſarios, ſine quibus ſalus obtineri nequeat, unuſquiſque Lutheranus debet poſſe determinare mediocri diligentiâ; ne cogatur ſtatuere, ſimpliciores carere fide divinâ.

CLXXIV. Obſerva 3. *Iſta mediocris diligentia debet præſtare certiſſimam notitiam, quòd hi libri ſint Canonici; certiſſimam etiam notitiam, quòd hi articuli ſint neceſſarii. Idque, licèt aliquando dubitatum ſit de his, aut illis libris Canonicis; & licèt ipſi Prædicantes non conveniant inter ſe in determinandis articulis neceſſariis. Imò iſta mediocris diligentia debet hoc totum præſtare ſub pœna mortis æternæ.*

CLXXV. Conſideret quilibet Lutheranus, an unquam cogitaverit prædicto oneri ſatisfacere, & prædictis mediis uti. Conſideret ſedulò, an Deus voluerit ſalutem ſuam ab iſto onere, ab iſtis mediis dependere: &, ſi non nimiùm ſibi tribuat, eam viam eſſe tenendam. Neutiquam dixerit.

§. 4.

Qualis ſit Eccleſia Chriſti, juxta rationem credendi Lutheranorum.

CLXXVI. Obſerva 1. Nullus tenetur credere, niſi quod adhibitâ mediocri diligentiâ judicat perſpicuè & evidenter contineri in Scriptura. *Ergò unuſquiſque Lutheranus putat, eos ſolos conſtituere Eccleſiam, qui judicant nihil neceſſariò eſſe credendum, niſi quod mediocri diligentiâ cognoſcunt perſpicuè & evidenter contineri in S. Scriptura.*

CLXXVII. Obſerva 2. Singuli Lutherani putant, eos ſolos conſtituere veram Eccleſiam, qui judicant nihil eſſe neceſſariò credendum, niſi quod mediocri diligentiâ cognoſcunt perſpicuè & evidenter contineri in ſacra Scriptura. *Ergò ſimul putant, neminem eorum, qui ſtatuunt aliquid neceſſarium ad ſalutem, quod ipſi non ſtatuunt neceſſarium; vel qui ſtatuunt aliquid non neceſſarium ad ſalutem, quod ipſi habent neceſſarium, eſſe in eadem cum ipſis Eccleſia.*

CLXXVIII. Obſerva 3. Singuli Lutherani putant, neminem eorum, qui ſtatuunt aliquid neceſſarium ad ſalutem, quod ipſi non ſtatuunt neceſſarium; vel qui ſtatuunt aliquid non neceſſarium ad ſalutem, quod ipſi habent neceſſarium, eſſe in eadem cum ipſis Eccleſia. *Ergò ſinguli Lutherani putant, ſe non eſſe in eadem Eccleſia cum pluribus ex ſuis prædicantibus.* Ipſis enim inter ſe diſſidentibus, in determinan-

Digitized by Google

minandis articulis neceſſariis; neceſſe eſt, ut unuſquiſque à multis diſſentiat.

CLXXIX. Singuli Lutherani ſtatuunt, ſe non eſſe in eadem Eccleſia cum pluribus è ſuis Prædicantibus: *Ergò putant illos Prædicantes diverſum ſentientes errare in articulis neceſſariis.*

CLXXX. Obſerva 5. Singuli Lutherani ſtatuunt, plures ſuos Prædicantes errare in articulis neceſſariis. *Ergò putant illos prædicantes non pervenire ad regnum cœlorum, ſed æternum damnari.* Quia errare in articulo neceſſario privat regno cœlorum, & æternum damnat.

CLXXXI. Obſerva 6. Nullus Lutheranus tenetur credere, niſi quod mediocri diligentiâ judicat perſpicuum & dilucidum in S.Scriptura. *Ergò nullum extat publicum judicium in orbe Chriſtiano, quo infallibiliter ſecernatur unica vera Chriſti Eccleſia, ab aliis falſis Eccleſiis. Ergò nulla Eccleſia habet poteſtatem docendi, per quam alii Chriſtiani teneantur credere in materia fidei & morum. Ergo nulla extat juriſdictio Eccleſiaſtica, cui quis teneatur ſubeſſe, niſi priùs mediocri diligentiâ decernat ex Scriptura, eſſe juſtam, cui ſubjiciatur; vel injuſtam, à qua, ſi poſſit, ſeſe eximat.* nec enim eſt neceſſariò parendum injuſtæ juriſdictioni. *Ergo tota juriſdictio Eccleſiaſtica ſubjicitur maximis turbis, ab unoquoque excitandis, qui audebit jactare, ſe mediocri diligentiâ ex Scriptura judicare, injuſtam eſſe juriſdictionem, cui ſubjicitur. Ergo cœtus Chriſtianorum, qui ſecundùm hanc rationem credendi colligitur, eſt neceſſario confuſus.* Vide quæ diximus *Sect.* 2. & 5. illa enim omnia huc facilè applicantur: quia quod Reformati tribuunt implorato à quolibet Spiritui ſancto; hoc Lutherani concedunt mediocri ſuæ diligentiæ.

SECTIO 4.

Reſumptio præcedentium.

CLXXXII. Nunc tempus eſt, ut pro majore elucidatione præcedentium reſumamus fundamenta totius cauſæ. Convenit inter omnes 1. Requiri fidem, ut ſalvemur. 2. Ut obtineatur fides, rogandum eſſe Deum: quia eſt donum Dei. 3. Neminem ordinariè pervenire ad fidem, niſi ei proponatur Verbum Dei. 4. Verbo Dei credendum eſſe, quia Verbum Dei eſt.

CLXXXIII. Sed quæſtio eſt: *An, ut cognoſcamus, hoc eſſe Verbum Dei quod creditur, requiratur infallibilis propoſitio, ſive infallibilis auctori-*

ctoritas in proponente? Non eſt quæſtio, an debeat fuiſſe infallibilis au-ctoritas in primo proponente, v.g. in Apoſtolis? id enim omnes fa-tentur. Sed quæritur; *An hoc tempore unicuique fideli debeat proponi Verbum Dei per infallibilem auctoritatem hoc tempore exiſtentem; ita ut homo non poſſit prudenter dubitare, quin proponens Verbum Dei illud infalli-biliter proponat?* Hîc affirmant Romano-Catholici, oſtenduntque Deum illa ſigna infallibilitatis manifeſtare, quibus evidenter ſit cre-dibile, audiendam eſſe hanc Eccleſiam Romano-Catholicam. Et quia magnum eſt Teſtimonium, quod ex receptiſſima Scriptura, ejuſque prædictionibus deſumitur; oſtendunt ex ipſa Scriptura, eſſe à Deo deſignata & prænunciata credibilitatis ſigna, quibus agnoſca-tur vera Eccleſia, quæ ſit audienda; atque indè, cognoſcentes ve-ram Eccleſiam, ab ea erudiantur, & ab ea accipiant veritatem fidei.

CLXXXIV. Adverſarii noſtri, ſi agnoſcerent infallibilem au-ctoritatem viſibilis Eccleſiæ, hoc tempore Verbum Dei proponen-tis; non potuiſſent novum corpus Eccleſiæ erigere. Si enim iſta in-fallibililis Eccleſia eſſet Romano-Catholica; immeritò ſe ab ea ſepa-raſſent: ſi autem fuiſſet alia; tunc exeuntes ab Eccleſia Romano-Catholica, quam variorum criminum agebant ream, debuiſſent ſe conjungere illi Eccleſiæ infallibili Verbum Dei proponenti, ubicun-que terrarum ea fuiſſet. Verùm cùm talem Eccleſiam non inveni-rent, aliis mediis fuit agendum.

CLXXXV. Negarunt Reformati infallibilem propoſitionem hujus temporis Eccleſiæ eſſe neceſſariam, ad ſufficienter cognoſcen-dum Verbum Dei. Et quia videbatur, ſic ipſam fidem divinam, quæ infallibilis eſſe debet, neceſſariò nutare; ſi neceſſariò depende-ret à fallibili propoſitione Eccleſiæ; dixerunt unumquemque ho-minem, auditâ fallibili propoſitione Eccleſiæ, invocare gratiam Spiritus ſancti, & ſic infallibiliter decernere, Scripturam eſſe Ver-bum Dei; & ex Scriptura determinare, quid ſit neceſſariò cre-dendum.

CLXXXVI. Sed quamvis hæc ſententia multis modis ſit abſur-da, ut dictum *ſect.* 2. nullo modo explicat, quomodo infidelis, au-diens prædicationem Evangelii teneatur credere, & non poſſit ſine peccato non credere. Si enim propoſitio Eccleſiæ Evangelium præ-dicantis, ſit fallibilis; quomodo obligatur per medium fallibile, ad implorandam diligentiſſimè gratiam Spiritus ſancti, quem ignorat,

Digitized by Google

quemque neſcit exiſtere? Nonne abſurdum eſt, infidelem obligari ad invocandum Spiritum ſanctum, quem ignorat; idque ſub pœna mortis æternæ, ob prædicationem Eccleſiæ, quæ ſeſe judicat fallibilem in proponendo Verbum Dei? Quis credat, Deum ſapientem, bonum, clementem, miſericordem, voluiſſe prædicari Evangelium ſuum, ſub pœna mortis æternæ acceptandum; quod tamen non infallibiliter doceretur eſſe ejus?

CLXXXVII. Hæc, aliaque abſurda, ut declinarent quidam Lutherani & Arminiani, dixerunt 1. Se habere Scripturam ex infallibili propoſitione, non Eccleſiæ hujus temporis, quam dicunt fallibilem; ſed omnium Chriſtianorum & infidelium (paucis nonnullis exceptis) atque ita ſe cognoſcere Scripturam ex Teſtimonio moraliter infallibili. Dixerunt 2. Eam Scripturam eſſe tam evidentem & perſpicuam, quoad articulos omnibus neceſſarios, ut etiam non renati mediocri diligentiâ poſſint cognoſcere, quinam ſint articuli omnibus neceſſarii.

CLXXXVIII. Quæ, quantaque abſurda hæc ſententia ſecum adferat, explicavimus *ſect.* 3. Et hîc nota; ſicut ſententia Reformatorum nimium tribuit interno ſpiritui hominis cujuſcunque, & ſic facit cœtum ſeu Eccleſiam maximè confuſam: ita ſententiam quorundam Lutheranorum & Arminianorum ſingulis nimiùm tribuere, in cognoſcenda hac Scriptura, & claritate Scripturæ; tum citrà fundamentum; tum contrà evidentiſſimam experientiam, quæ teſtatur ingenti diverſitate ſuâ, quæ in determinandis articulis neceſſariis reperitur, non eo modo rem ſe habere: ut jam nihil dicamus, quod conſuetudo Chriſtianorum ab initio Eccleſiæ fuerit contraria.

CLXXXIX. Conſidera nunc, doctrinam Eccleſiæ Catholicæ, de ratione credendi, nullis involvi abſurdis. Non imponit onus intolerabile inquirendi veritatem; ſed ponit conſpicuum Eccleſiæ Magiſterium. Non requirit alia media cognoſcendi Eccleſiam, niſi quæ ſint facillima, quæque prudenti judicio plenè ſatisfaciant. Ex doctrina Catholica habetur maximè ordinata Eccleſia: ordo autem Deo convenit. Ex eadem doctrina, apparet conformitas hujus Eccleſiæ Romano-Catholicæ, cum praxi Eccleſiæ Chriſtianæ omnium temporum. Atque ita eſt verè una, verè ſancta, verè Catholica, verè Apoſtolica. Da Domine, ut omnes ad eam perveniant.

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO ex S. AUGUSTINO.

CXC. Oſtendimus, quæ abſurda ſequantur ex ratione credendi
Adverſariorum noſtrorum, ut cognitis abſurdis, doctrinæ ſuæ fal-
ſitatem perſpicerent, eamque manifeſtatâ falſitate, ſalubriter di-
mitterent. Ne autem quis cavilletur, hunc procedendi modum
non eſſe à priori, oſtendimus ex S. Auguſtino, eum eſſe ſolidum &
convincentem. Dicit: Sunt etiam veræ connexiones ratiocinationis falſas Lib. 2. de
habentes ſententias, quæ conſequuntur errorem illius, cum quo agitur. Quæ Doctr.
tamen ad hoc inferuntur à bono & docto homine: ut in iis erubeſcens ille, cu- Chriſt.
jus errorem conſequuntur, eundem relinquat errorem: quia ſi in eodem ma- cap. 3.
nere voluerit, neceſſe eſt ut etiam illa quæ damnat tenere cogatur. Non enim Tom. 3.
vera inferebat Apoſtolus, cum diceret, Neque Chriſtus reſurrexit, & Pag. 17. D.
illa alia, Inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt & fides noſtra: & 1 Cor. 15. & 16.
deinceps alia quæ omninò falſa ſunt, quia & Chriſtus reſurrexit, & non erat
inanis prædicatio eorum qui hoc annunciabant, nec fides eorum qui hoc credi-
derunt: ſed iſta falſa veriſſimè connectebantur illi ſententiæ, quâ dicebatur
non eſſe reſurrectionem mortuorum. Iſtis autem falſis repudiatis, quoniam
vera erant, ſi mortui non reſurgunt, conſequens erit reſurrectio mortuorum.
Cùm ergo ſint veræ connexiones, non ſolùm verarum, ſed etiam falſarum
ſententiarum, facilè eſt veritatem connexionum etiam in ſcholis illis diſcere,
quæ præter Eccleſiam ſunt. Sententiarum autem veritas in ſanctis libris Ec-
cleſiaſticis inveſtiganda eſt. Et poſteà: Qui dicit, cùm falſum eſt quod Ibid. cap. 32.
conſequitur, neceſſe eſt ut falſum ſit quod præcedit, veriſſimè dicit, neque Pag. 18. B.
ipſe facit ut ita ſit, ſed tantùm ita eſſe demonſtrat. Ex hac regula illud eſt
quod de Apoſtolo Paulo commemoravimus, præcedit enim non eſſe reſurrectio-
nem mortuorum, quod dicebant illi, quorum errorem deſtruere volebat.
Porrò illam ſententiam præcedentem, quâ dicebant non eſſe reſurrectionem
mortuorum, neceſſario ſequitur: Neque Chriſtus reſurrexit, Hoc au-
tem quod ſequitur falſum eſt, Chriſtus non reſurrexit. Falſum eſt ergo quod
præcedit. Præcedit autem, non eſſe reſurrectionem mortuorum. Eſt igitur
reſurrectio mortuorum. Quod totum breviter ita dicitur: Si non eſt reſur-
rectio mortuorum, neque Chriſtus reſurrexit: Chriſtus autem reſurrexit, eſt
igitur reſurrectio mortuorum. Hoc ergo, ut conſequenti ablato, auferri
etiam neceſſario quod præcedit, non inſtituerunt homines, ſed oſtenderunt.
Et hæc regula pertinet ad veritatem connexionum, non ad veritatem ſenten-
tiarum.

Digitized by Google

INDEX TITULORUM
EXAMINIS PRINCIPIORUM FIDEI.

Introductio.

EXAMEN I. *De 1. Adverſariorum Principio :* ſolam Scripturam ſufficere ad probandos Articulos fidei. pag. 1

§. 1. *Ratio hujus Examinis.* ibid.

§. 2. *Adverſarii docent : Articulos neceſſarios ex ſola Scriptura eſſe probandos.* ibid.

§. 3. *Quomodo Adverſarii doceant, Articulos neceſſarios eſſe in S. Scriptura.* 2

§. 4. *Iohan. Muſai objectio, circa remotionem conſequentiarum à probatione articulorum neceſſariorum, conſideratur.* 3

§. 5. *Ex primo Lutheranorum & Reformatorum Principio praecludi viam ad omnes controverſias Lutheranas & Reformatas.* 5

§. 6. *Ex primo Adverſariorum Principio praecludi viam ad ſingulas controverſias Lutheranas & Reformatas.* 6

§. 7. *Ex primo Principio Lutheranorum & Reformatorum deſtrui omnes controverſias Lutheranorum & Reformatorum.* 8

§. 8. *Ex primo Principio Lutheranorum & Reformatorum deſtrui ſingulas controverſias Lutheranorum & Reformatorum.* 9

§. 9. *Ex primo Adverſariorum Principio praecludi viam, & deſtrui omnes & ſingulas controverſias, quas Lutherani & Reformati terminis negativis proponunt.* 10

§. 10. *Muſai objectio de ſchiſmate Proteſtantium removetur.* 11

§. 11. *Argumentum noſtrum §. praecedenti poſitum impugnat Muſaus.* 13

§. 12. *Reſponſionem noſtram §. praecedenti poſitam impugnat Muſaus.* 16

§. 13. *Friderici Spanhemii Maledicta referuntur.* 23

§. 14. *Qualis ſit diſtinctio Lutheranorum & Reformatorum, de articulis neceſſariis, & non neceſſariis fidei & morum.* 24

§. 15. *Spanhemii calumnia & objectio refertur & refutatur.* 25

§. 16. *Cur Adverſarii doceant diſtinctionem de articulis neceſſariis & non neceſſariis.* 31

§. 17. *Spanhemius impugnat §. praecedentem.* 32

§. 18. *Quomodo Adverſarii non tantùm per doctrinam de articulis neceſſariis, ſed etiam per uſum ejus doctrinae, ſuum principium evertant, ſibique noceant.* 42

§. 19. *Continuatio, de praxi Adverſariorum ex Decreto Synodi Carentonica.* 43

Concluſio. 45

EXAMEN II. *De 2. Adverſariorum Principio :* Dari veram Scripturæ interpretationem ad probandam fidem. 47

§. 1. *Ratio hujus examinis.* ibid.

§. 2. *De Interprete S. Scriptura, & Iudice controverſiarum.* ibid.

§. 3. *De Interpretatione ſcriptura.* 51

§. 4. *Quotuplex ſit Quaeſtio Theologica, ſeu fidei.* 52

§. 5. *Quomodo dictae Quaeſtiones ſint probandae?* 53

§. 6. *Reformati docent 1. Propoſitiones univerſales à ratione, quoad materiale, eſſe in Scriptura.* 54

§. 7. *Reformati docent 2. Propoſitiones à ratione eſſe tantùm inſtrumenta, non principia.* 57

§. 8. *Coccejii objectio refellitur.* 60

§. 9. *Reformati docent 3. ſe adhibere principia rationis ſecundùm ductum Scriptura.* 62

§. 10. *Defenſio §. praecedentis contrà Coccejum.* 66

§. 11. *Ejuſdem Coccejii ulteriora examinantur.* 74

§. 12. *Reformatos non ſtare promiſſis de interpretatione Scriptura per ſcripturam.* 77

§. 13. *Declaratio Lutheranorum, de interpretatione Scriptura, & conſequentiis.* 78

§. 14. *Vlterior declaratio ſententia Lutheranorum.* 82

§. 15. *Defenſio paragraphi praecedentis.* 83

§. 16. *Quae ſit difficultas cum Lutheranis de interpretatione S. Scriptura & conſequentiis.* 86

§. 17. *Defenſio paragraphi praecedentis.* 89

§. 18. *Quas probationes admittant controverſia terminis negativis propoſita.* 101

§. 19. Quæ

Digitized by Google

INDEX TITULORUM.

§. 19. *Quas probationes promiſerint Adverſarii, in controverſiis, quas terminis negativis proponunt.* 106
§. 20. *Cocceji nonnulla referuntur.* 107
Concluſio. 110
EXAMEN. III. *De Principio Catholico, Verbum Dei ab Eccleſia propoſitum.* 111
§. 1. *Ratio hujus examinis.* ibid.
§. 2. *De Verbo Dei.* 112
§. 3. *De Verbo Dei ſcripto.* 114
§. 4. *De conſequentiis ex Scriptura deductis.* 128
§. 5. *De Verbo Dei non ſcripto.* 129
§. 6. *De Eccleſia, quæ proponit Verbum Dei.* 130
§. 7. *Defenſio paragraphi præcedentis.* 132
§. 8. *Fideles, antè & poſt Concilium Tridentinum habuiſſe eandem fidem.* 139
§. 9. *De Propoſitione Eccleſiæ.* 141
§. 10. *Quomodo Miniſterium Eccleſiæ concurrat ad converſionem hominis.* 144
§. 11. *De Articulis morum ab Eccleſia Catholica propoſitis.* 147
§. 12. *Declaratio doctrinæ Catholicæ de articulis morum ex ſententiis Adverſariorum.* 158
§. 13. *De diſtinctione articulorum neceſſariorum.* 163
§. 14. *Quinam articuli ſint omnibus & ſingulis neceſſarii.* 164
§. 15. *Muſæi Conſiderationes.* 170
§. 16. *Quot ſint præcepta fidei?* 173
§. 17. *Cur Eccleſia Catholica multa definiverit.* 174
§. 18. De *aſſenſu Catholico, & reſolutione fidei.* 175
§. 19. *Cocceji varia cogitationes ad paragraphum præcedentem.* 177
De Reſolutione fidei. 182
§. 20. *De iis, quæ requiruntur ad probandum articulum fidei.* 186
§. 21. *De fide implicita.* 189
§. 22. *Objectorum conſideratio.* 191
Concluſio. 195
EXAMEN IV. *De Principio communi: Doctrinam Chriſtianam primorum ſeculorum, quæ in libris Sanctorum Patrum & antiquorum Conciliorum reperitur, eſſe incorruptam, ſaltem quoad articulos ad ſalutem neceſſarios.* 197
§. 1. *Ratio hujus examinis.* ibid.
§. 2. *Sententia utriuſque partis.* ibid.
§. 3. *Vtilitas ex ſententia Adverſariorum.* 200
§. 4. *Cocceji confidentia notatur.* 201
§. 5. *De conſenſu SS. Patrum in explicatione S. Scripturæ.* 202
§. 6. *De conſenſu in rebus fidei & morum.* 205
Concluſio. 208
APPENDIX. *De triplici ratione credendi.* 209
Sectio 1. *De Catholicorum ratione credendi.* ibid.
Sectio 2. *De Reformatorum ratione credendi.* 211
§. 1. *Quæ ſit ratio credendi Reformatorum.* ibid.
§. 2. *Ratio credendi Reformatorum, quid oneris imponat ſingulis Reformatis.* 213
§. 3. *Quibus modis unuſquiſque Reformatus debeat ſatisfacere ſuæ rationi credendi.* 232
§. 4. *Qualis ſit Eccleſia Chriſti, juxta rationem credendi Reformatorum.* 234
§. 5. *Qualis fuerit Eccleſia primis ſexcentis annis poſt Chriſtum, juxta rationem credendi Reformatorum.* 237
§. 6. *Rationem credendi Reformatorum non probari ex Scriptura.* 239
§. 7. *Rationem credendi Reformatorum non probari argumentis à ratione.* 246
§. 8. *Ratio Teſtimonii interni & externi Spiritus ſancti è ſcripturis elucidatur, pro explicatione præcedentium.* 249
Sectio 3. *De Lutheranorum quorumdam ratione credendi.* 253
§. 1. *Quæ ſit ratio credendi quorumdam Lutheranorum.* ibid.
§. 2. *Ratio credendi Lutheranorum quid oneris imponat ſingulis Lutheranis.* 255
§. 3. *Quibus modis unuſquiſque Lutheranus debeat ſatisfacere ſuæ rationi credendi.* 256
§. 4. *Qualis ſit Eccleſia Chriſti, juxtà rationem credendi Lutheranorum.* 257
Sectio 4. *Reſumptio præcedentium,* 258
Concluſio ex S. Auguſtino. 261

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google